APPROBATIONES

Opus A. R. P. Magistri Fr. Reginald· M. SCHULTES, O. P., cui itulus : "DE *ECCLESIA CATHOLICA PRAELECTIONES APOiOGETICAE*" perlegimus dignumque existimamus quod typis nandetur et in publicam utilitatem edatur.

Romae e Collegio Angelico, die 7â Julii 1925.

Fr. Eduardos HUGON,
Ord. Præd ,
S. Theol. Magister.

Fr. Josephus CUERVO,
Ord. Præd.,
S. Theol. Lector.

Imprimatur :

Fr. Serâ PIUS TAMAYO, O. P.,
Vicarius Generalis.

Imprimatur :

Parisiis, die 7» Nov. 1925.
V. DUPIN, v. g.

DIVISIO OPERIS

M't T I. — De defensione Ecclesiæ catholicæ 1

Vt.1.— De obiecto apologeticæ 1

Ai t. 2. — De methodo apologeticæ 6

Ai t. 3. — De historia et evolutione apologeticæ 18

\|·I Γ ll : De causis Ecclesiæ 26

Sri. 4.·—De nomine Ecclesiæ 26

Sectio i. — *De institutione Ecclesiæ* 30

\ı'I. 5.— De institutione Ecclesiæ. Sententiæ 30

\ rl. 6, — Divina inst itutio Ecclesiæ probatur ex doctrina de regno cælorum 38

r Ar t. 7. — Divina institutio Ecclesiæ probatur ex voluntate Christi . 48

\ı·1» S. — Divina institutio Ecclesiæ probatur ex Ecclesia Apostolorum 56

' Ai t 9.— Divina institutio Ecclesiæ probatur ex S. Paulo .. 63

\rt. 10.— Divina institutio Ecclesiæ probatur ex testimoniis veterum .. .·..... 73

Sectio ii. — *De fine Ecclesiæ* 82

, Art. 11. — De fine Ecclesiæ 82

Sectio in. — *De membris Ecclesiæ o* 89

I Vi. 12. — De membris Ecclesiæ 89

Sectio iv. — *De constitutione Ecclesiæ* 99

Art. 13. — Doctrina Ecclesiæ de constitutione hierar- .i 'cliica et probatio ex S. Scriptura 100

Art. 14, — Constitutio hierarchica Eccl. probatur ex lealimonio veterum 110

Vt. 15.— De constitutione charismatica Ecclesiarum S. Pauli 124

Ail 16. — De convenientia constitutionis hierarchies.. 134

M1 I III : De notis Ecclesiæ 144

Sectio i. — *De visibilitale Ecclesiæ* 145

Ail. 17. — De visibilitate Ecclesiæ 145

Sectio ii. — *De nojis in generali*..... 156
Xrl. 18. — De notis in generali. Notiones..... 156
Sectio in. — *De notis in particulari*..... 167
Art. 19..— De nota unitatis..... 167
Art. 20. — De nola sanctitatis..... 175
Art. 21. — De nota catholicitatis..... 183
Art. 22. — De nota apostolicilalis..... 192
Sectio iv. — De *Ecclesia cui nolæ conveniunt*.. 199
Art. 23. — Nota unitatis Ecclesiæ catholicæ competii. 199
Art. 24. — Nota sanctitatis Ecclesiæ catholicæ compepetil..... '210
Art. 25. — Nota catholicitatis Ecclesiæ catholicæ coinpetit..... 228
Art. 26. — Nota apostolicitatis Ecclesiæ catholicæ competit 234
Sectio v. — *De defectu nolarum*..... 242
Art. 27. — De defectu notarum in ecclesiis photianis... 242
Art. 28. — De defectu nolarum in protestaritisino..... 251
CAPUT IV : De perfectione et dotibus Ecclesiæ in ordine societatis 260
Sectio i. — *De perfectione Ecclesiæ*..... 260
Art. 29. — De Ecclesia ut societate perfecta..... 260
Art. 30. — De Ecclesia ut societate necessaria..... 268
Sectio ii. — *De dotibus Ecclesiæ*..... 277
Art. 31. — De indefectibilitate Ecclesiæ..... 277
Art. 32.— Dé infallibilitate Ecclesiæ. Notio et probatio . 283
Art. 33. De obiecto infall, in genere..... ?..... 296
Art. 34. — De infall. Ecclesiæ circa conclusiones theologicas..... 307
Art. 35. — De infall. Ecclesiæ circa facta dogmatica 313
Art. 36. — De infall. Ecclesiæ circa res disciplinares.... 318
Art. 37. — De infall. Ecclesiæ circa canonizafioppm sanctorum.....‹ 322
Art. 38. — De infall. Ecclesiæ circa approbationem ordinum 327
CAPUT V : De potestate Ecclesiæ..... 333
Sectio i. — *Depotestate regiminis*..... 333
Art. 39. De potestate regiminis Ecclesiæ in generali . 333
Ari. 40. De subiecto, obiecto et amplitudine pot. regiminis..... 348

Sectio ii. — *De polestate magisterii*..... 359
Ari. 41. — Oe magisterio Ecclesiae..... 359

‹ \fi I'VI. De Primatu Romani Pontificis .·..... 368
Art. 42: De primatu Petri. Notiones..... 369
Art. 43. — Primatus Petri probatur ex Mt. 16, 16-19 .. 374
Art. 44.— — — ex Le. et Joa..... 386
Art. 45. — Primatus Petri probatur testimonio veterum 391
Art. 46. — De Sede Romana Petri..... 404
Art. 47. — be Romano Pontifice ut successore Petri in primatu..... 412
Art. 48. — De attributisprimatus..... 441
Art. 49. — De infallibilitate Rom. Pont. Notiones et sententiae..... 457
Art. 50. — ProbaturinfallibilitasR. Pont..... 465

i API T VII : De Conciliis oecumenicis..... 488
Art. 51. — De conciliis oecumenicis. Notiones..... 488
Art. 52. — De convocatione, celebratione et confirmatione concil. oecum..... 495
Art. 53. — De auctoritate conc. oec..... 501
Art. 54. — De infallibilitate conc. oec..... 506

I API T VIII : De fontibus doctrinæ Ecclesiæ..... 512
Sectio i. — *De D. Scriptura*..... 512
Art. 55. — De notione ut txislentia Scripturæ inspiratæ 513
Art. 56. — De natura inspirationis..... 522
Art. 57. — De canone S. Scripturæ..... 537
Art. 58. — De veritate S. Scripturæ..... 543
Art. 59. — De multiplici sensu S. Scripturæ..... 553
Art. 60. — De veritate et authenticitate Vulgatae..... 558
Art. 61. — De interpretatione S. Scripturæ..... 562
Sectio h. — *De traditione divina*..... 574
Art. 62. — De existontia traditionis divinæ..... 574
Art. 63. — De traditione, d. ut fonte revelationis..... 581
Art. 64. — De conservatione et transmissionetrad. d. . 588
Art. 65. — De regulis discernendi traditiones..... 598

(. API T IX : De Ecclesia ut regula fidei..... 605
Sectio i. — *De Ecclesia ut regula fidei*..... ·.. 606
Art. 66. — Quo sensu Ecclesiæ doctrina sit regula fidei. 606
Art. 67. — Quo assensu doctrina Ecclesiae tenenda sit . 614
Sectio ii. — *De dogmate*..... 624
Art. 68. — De notione dogmatis..... 624
Ari. 69. — De progressu dogmatico..... 637
Art. 70. — De censuris ecclesiasticis..... 648

Sectio III. — *De aucloritale SS. Patrum et Iheolog.* 658
Ari. 71. — De auctoritate ss. Patrum 659
Art. 72. — De auctoritate theologorum 680
Art. 73. — De auctoritate theol. S.Thomæ 693

Sectio IV. *De aucloritale rationis* 705
Ari. 74. De usu rationis el philosophise 705
Art. 75. De aucloritale philosophorum 719
Ari. 76. De auctoritate historiae 727
Art. 77. De methodo historica in theologia 733

CAPI I X : De relationibus Ecclesiæ ad extra 743
Ati. 7H — De habitudine Ecclesiæ ad societatem civilem 743
Ari. 79. — De relatione Ecclesiæ terrestris ad Ecclesiam coelestem 753

CAPUT I

INTRODUCTIO

De defensione Ecclesiæ catholicæ

Incipientes defensionem Ecclesiæ catholicæ, primum vim et rationem nostri tractatus exponemus, ne quasi in incertum curramus (*I Cor.,* ix, 26). Agemus igitur :

1° de *obiecto* ;
2° de *methodo* ;
3° de *historia et evolutione* apologeticæ.

ARTICULUS PRIMUS

De obiecto apologeticæ

1. Materia tractatus : Ecclesia catholica romana. — Tractatus noster est de Ecclesia catholica-romana, cuius caput est Romanus Pontifex, cuius præsides sunt episcopi, cuius membra sunt christifideles coniuncti cum Romano Pontifice. Quæ Ecclesia catholica romana velut signum levatum inter populos oculis nostris conspicua exhibetur, ab unis honore et amore maximo colitur; impugnatur, iinmo odio accerrimo ab aliis habetur. Ecclesia catholica certe est obiectum inquisitione dignum, tum ob eius antiquitatem, tum ob numerum maximum membrorum, tum ob magnificum organismum, tum ob influxum potentissimum inter homines, tum denique ob assertam institutionem et auctoritatem divinam. Etenim hoc principale est in doctrina et in constitutione Ecclesiæ catholicæ quod unquam vera et unica Ecclesia Christi, ut divinitus instituta atque auctoritate divina instructa proponitur et creditur. Ista igitur Ecclesia, prout in rerum factis

extat et a fidelibus catholicis tenetur, est materia nostri, tractatus : materia certa, determinata, digna1.

2. Obiectum proprium tractatus nostri est institutio atque auctoritas divina Ecclesiæ catholicae. — Ecclesia catholica sub diversa ratione considerari potest : potest considerari vel eius evolutio historica atque influxus in tempore præterito (historia ecclesiastica), vel eius natura intima, ut quod sit corpus Christi mysticum, quod habeat sacramenta quæ gratiam conferunt, et similia (theologia dogmatica), vel considerari' potest tanquam institutum divinum, auctoritate divina præditum : atque sub hoc respectu in nostro tractatu Ecclesia catholica proprie considerabitur.

Et quidem triplici ex ratione. *Primo* : divina institutio atque auctoritas Ecclesiæ est pars fundamentalis et principalis in doctrina et constitutione Ecclesiæ ac proinde ab adversariis quam maxime negatur et impugnatur adeoquc a catholicis maxime defendenda est ; *secundo* : in Ecclesia catholica ea sunt credenda, et facienda quæ tanquam divinitus revelata ab Ecclesia proponuntur, ita ut fides ac vita fidelium per Ecclesiæ auctoritatem determinentur ; *tertio* : theologia dogmatica et moralis sicut et ius canonicum et exegetica catholica auctoritatem divinam magisterii Ecclesiæ supponunt eamque sequuntur : in Ecclesia igitur catholica totum per auctoritatem divinam Ecclesiæ peragitur. Conveniens igitur est, immo omnino necessarium ut divina auctoritas atque institutio Ecclesiæ tanquam obiectum speciale consideretur atque inquiratur. Proinde obiectum proprium huius tractatus erit divina ins-t'tut'0 atque auctoritas Ecclesiæ catholicæ, sive in generali sive in particulari, ut e. g. character socialis Ecclesia:, auctoritas magisterialis, potestas gubernativa, primatus Komani Pontificis, etc.

I. lam ex hac parte adversarii Ecclesiæ catholicæ communiter pec,cant. Nam communiter ignorantes vel prætergrediente» Ecclesiam catholicam, prout de facto extat ac sese exhibet, fictam ipiundam Ecclesiam impugnant quæ nullibi existit, certe omnino aliena est a merite catholica.

l Quantum ad institutionem et auctoritatem divinam I . clnniiu proprie fundamenta examinantur et stabiliuntur «lilbuH auctoritas Ecclesiæ innititur. — Auctoritas divina Mj. t |‹- ia· iterum diversimode considerari potest : vel ■ hinni nb ipsa Ecclesia proponitur ac determinatur et simul qimad naturam suam intimam-ita in theologia dogmatica ‹ re ideratur —, vel prout ab ipsa Ecclesia in praxim jhtlrdui d ur et exercetur — et sic est obiectum iuris canonici L vel quoad fundamenta quibus innititur : et sic in nostro lliu tldn considerabitur. Convenientia et necessitas taiis i nn adorationis facile patet. Etenim *primo :* omnis auctorllu titulos vel fundamenta propriæ potestatis quaerenti I^^pdiiiir debet ; *secundo :* ab adversariis quam maxime indumenta auctoritatis ecclesiasticæ negantur; *tertio :* am ioritas et institutio divina Ecclesiæ quam maxime Bkii'diid ione indiget.

l qndamenta vero quibus auctoritas Ec desiæ innititur, E *nml imprimis verba et facta Christi, deinde signa divina lf|iiibuH Deus ipse veritatem Ecclesia· testificatur. Cum enim l'i‹ · lenia ex institutione Christi esse asseratur, necessario ■tilmd.as Christi ex verbis et factis idius probanda est. I autem et facta Christi nobis referuntur partim in BCvmgelio, partim in Epistulis et Actibus Apostolorum, I ituri mi in traditione Ecclesiæ : unde probatio primario ex IBvmigeliis, ex epistulis Apostolorum, ex sententia et modo ■ mli veterum, præsertim ex s. Patribus desumenda est. ■ntirdnul deinde signa vel facta divina (miracula) quibus llh'ii postmodum veritatem Ecclesia· testificatus est Ec desiæ).

l Effectus et conclusio probationis est crédibilités Ki>«l«inim. — Credibilitas (Ecclesiæ) definitur : aptitudo |(|t· i l. inii·) ad credendum1. lamvero tractatus noster osten- ■Hhl dm.Irinam catholicam de institutione et. auctoritate Mil i h ne cal holi, æ esse conformem dictis et factis Christi •Htmqmi esse confirmatam per facta divina, i. e. testimonio Bjin 0ı η ac. directo Dei ipsius.

■ l I lu nul ione credibilitatis vide : R. Garrigou-Lagrange, ■ I' . *Ih ri'i'ciatione,* vol. l, cap. xv ; A. Gardeil, O. P., *La cre-' il l'apologétique** ; idem, *Did. de Théol.,* art. *crédibilité.*

Inde Ecclesia catholica eiusque doctrina fit apta ad credendum, inquantum sc. *negative* tollitur dubium prudens circa veritatem catholicam, et *positive* concluditur, Ecclesiam catholicam esse admittendam et amplectendam, i. e. adesse motiva sufficientia et rationabilia ad sequelam Ecclesiae. Ex eadem ratione argumenta et facta in probatione adducta *motiva credibititatis* vocantur.

Huiusmodi effectus argumentationis, quæ est credibilitas vel indicium de credibilitate, ne confundatur cum ipsa fide catholica. Fides enim divina est assensus intellectus quo doctrina catholica et Ecclesia ipsa tanquam vera tenetur *propter auctoritatem Dei revelantis*[1]*II,*Assensus igitur fidei ulterius procedit quam assensus ad credibilitatem. Qui creilibililatem admittit, indicat adesse motiva sufficientia ut Ecclesia catholica propter auctoritatem Dei credatur ; qui credit, insuper propter Dei revelantis auctoritatem de lacio Ecclesia· assent it. Inde fieri potest ut quis credibilitatem Ecclesiæ quidem admittat, tamen ipsi fidem deneget, sc. ob alia motiva[2]. Insuper indicium de credibilitate est ordinis naturalis, assensus vere fidei est essentialiter actus supernaluralis.

5. Character nostri tractatus erit apologeticus, — Apologia (ἀπολογία), idem sonat ac defensionem, non quidem vi armorum, sed vi argumentorum. Unde tractatus noster necessario erit apologeticus. Et quidem tum ex natura rei Ium ex fine : ex natura quidem rei, quia ostendere fundamenta auctoritatis E clesia* ipso facto est defensio Ecclesiæ ; cx fine autem, inquantum fundamenta aucto-

1. *Concit. Vatic.,* sess. III, c. m ; S. Thomas, *Sum. theoi.,* II, q. i, a. l : « Non enim fides... assentit alicui nisi quia est a Deo revelatum ».

•*i.* Similiter fieri potest ut quis unam vel aliam doctrinam Ecclesiæ, immo divinam institutionem Ecclesiæ admittat, quin tamen fidem divinam habeat, utpote quia molivum assensus non est auctoritas Dei revelantis. Gf.S. Thomas, IIa IIae,q. v, a. 2 (quoad dæmones) et m, a. 3 (quoad hærelicos). « Alios articulos fidei, de quibiis hæreticus non errat, non tenet eodem modo sicut tenet ‹ s fidelis, sc. simpliciter inhærendo primæ veritati (= *propter Auctoritatem Dei revelantis)...,* sed tenet ea quæ sunt lidei, propria voluntate et iudicio » : l. c., a. 3 ad I.

ni ni is Ecclesiæ ea intentione inquiruntur ut stabiliatur un loritas Ecclesiæ contra negantes adversarios.

Defensio Ecclesiæ distinguitur in apologiam et apologeinuni. *Apologia* proprie dicta veritatem singularum vel particularium doctrinarum et institutionum Christianarum di fi ndit, et quidem directe ; ita *Summa* S. Thomæ *contra (icnliles* est apologia. *Apologetica* vero generaliter veri- l ni em totius fidei vel credibilitatem Ecclesiæ catholicæ ih li iidit et quidem ostendendo fundamenta veritatis et ' iidibilitatis. Denique tandem apologiæ modo et stylo liluriore componuntur, dum apologetica modo stricte m n nl ilico procedit.

Noster igitur tractatus erit proprie apologeticus : primo enim considerat Ecclesiam sub ratione universali Inui d ul ionis et auctoritatis divinæ, aliis verbis, considerat l i Icsiam ut magistram veritatis divinitus institutam ; m i undo fundamenta auctoritatis Ecclesiæ investigatl ac d· nique modo scientific© ac thetico procedit.

(i. Definitio apologeticæ ex parte obiecti. — Itaque hpolugetica ex parte obiecti definitur tanquam—*scientia piuilamenlorum quibus auctoritas Ecclesiæ innititur'.*

Modo scholastico obie'tum apologiæ Ecclesiæ ita deterniiiinlm* : objectum *materiale,* i. e. res circa quam versatur, i i i I'v i lesia ffatholica romana, talis qualis ab initio usque Hd Icmpus præsens existât ; obiectum *formale quod,* i. e. id illini proprie in Ecclesia catholica consideratur, est divina Hin l n tins Ecclesiæ; obiectum *formale quo* (vel sub quo), K h nil io vel respectus sub quo auctoritas Ecclesiæ con- Mili i ul iir, est fundamentum auctoritatis divinæ Ecclesiæ, ifl'uiil pi r rationem demonstrari potest.

■ I i.iiiu iIhl de singulis partibus vel proprietatibus Ecclesiæ |fii' i mllui, ut ile potestate Ecclesiæ, de Romano Pontifice, de **H·** I Iu nlugiris, ista cuncta considerantur sub hac ratipne ,ut fila **Ii"veritas** in suis partibus vel proprietatibus appareat. Dexr Imi· Iliimliiglclll infra specialiter.

ARTÏGU I.US SECl ND US

De methodo apologetic»

J. Status quæstionis. — Difficilior est quæslio dc methodo in ista apologetica sequenda : ac circa illam ultimis temporibus disputationes non leves exarserunt[1]. Disputatur præcipue : α) utrum methodus dogmatica an mere rationalis sit tenenda ; *b)* utrum apologetica S. Scriptura tanquam libro inspirato an tantum ut fonte historico utatur ; c) utrum apologetica sub lumine et directione fidei et Ecclesia; positiva an negativa et extrinseca tantum procedat ; *d)* utrum apologetica sit pars theologiæ dogmal ica· an scientia distinct a. Cum tamen has quæstiones iam in tractatu de revelatione tractatas supponimus[2] et cum quæstio in ea parte qua· est de locis theologicis redibit, Ide pauca breviter notabimus, ac maxime quæ proprie defensionem Ecclesia; vel dempnstrationem catholicam respiciunt.

Thesis. I. Apologetica *a)* est pars theologiae dogmaticae. *b)* tamen ex auctoritate Ecclesiae argumentari nequit, c) sed methodus eius est rationalis.

a) *Apologetica quæ fundamenta auctoritatis Ecclesiæ inquirit, per se ad theologiam dogmaticam pejrtinet ac optime in ea absolvi posset.* Theologia enim dogmatica omnia et singula dogmata fidei inquirit ac simul defendit[3] : inter

1. Cf. præcipue R. Garrigou-Laohanch·:, *revelatione*2, 1, cap. ni.

2. In *Collegio Angelico* habetur duplex cursus apologeticae, unus d. Revelatione alter de. Ecclesia.

3. S. Thomas, I, q. r, a. S : « Inferiores scientia· nec probant sua principia nec contra negantem principia disputant, sed hoc relinquunt superiori scientiæ : suprema vero inter eas sc. melaphysica, disputat contra negantem suit principia... Unde sacra doctrina *(i. e. theologia)* cum non htibenl. superiorem, disputat cum negante sua principia. » Gf. In *Hoelh.,* /h' *Trinil.,* q. n, a. 3.

quæ dogmata non minimum est dogma de Ecclesia. Sicut igitur theologia dogmatica alia dogmata non tantum explicat sed simul defendit, ita et dogma de Ecclesia explicare et defendere potest ac debet. Neque theologiæ dogmaticæ media propria ad hanc defensionem perficiendam desunt. Nam theologia dogmatica non tantum ex S. Scriptura et ex auctoritate Ecclesiæ, sed simul ex ratione, ex philosophia et historia argumentatur, i. e. non tantum ex auctoritate, sed simul ex ratione procedit, res et quæstiones non tantum sub lumine revelationis supernaturalis, sed simul sub lumine rationis naturalis considerat[1]. Unde theologia dogmatica dogma quoque de Ecclesia non tantum sub lumine revelationis supernaturalis et auctoritatis Ecclesiæ, sed simul sub lumine rationis naturalis et secundum methodum rationalem considerare potest ac debet. Theologia igitur dogmatica omnes quæstiones quæ in apologetica tanguntur, et omnia argumenta quæ ibi afferuntur, absolvere potest, ac quidem eo modo ac eadem ratione qua in apologetica tractantur.

Ob rationem, jmino necessitatem practicam, ac denique præsertim ob amplitudinem materiæ rationabiliter quidem usu venit ut pars ista et consideratio apologetica separatim tractaretur et institutiones speciales apologeticæ crearentur, minime tamen apologetica inde desinit esse pars theologiæ dogmaticæ.

b) *Theologia apologetica, licet ad dogmaticam pertineat, tamen ex auctoritate Ecclesiæ argumentari non potest.* — Theologiæ dogmaticæ proprium est ut ex auctoritate Ecclesiæ argumentetur, sive directe, adducendo sc. definitiones Ecclesiæ, sive indirecte, interpretando sc. S. Scripturam et traditionem nec non s. Patres secundum sensum Ecclesiæ. Isto modo argumentandi apologetica evidenter uti nequit : esset enim petitio principii manifesta ac simul probatio contra adversarios esset inefficax. Unde, propter obiectum speciale, in apologia Ecclesiæ methodus theologi, certas modificationes et limitationes patitur.

Ipsa quoque theologia dogmatica circa alia dogmata,

1. Exemplum habes in *Sumina lheol.* S. Thomæ in qua plurimi articuli solam considerationem rationis continent.

cum ex diversis locis «theologicis argumentatur, alia et alia methodo utitur : cum ex ratione argumentatur, sequitur methodum philosophicam, cum ex historia, methodum tenet historicam ; similiter diversæ disçiplinæ theologicæ propriam habent methodum, ut exegesis, historia ecclesiastica, ius canonicum. Apologetica igitur propriam habebit methodum quam proinde apologeticam nominamus.

c) *Methodus apologetica est rationalis,* i. e. apologetica sub lumine rationis naturalis procedit, non vero sub lumine fidei argumentatur. Id quod necessario sequitur :

a) Ex *fine* apologeticæ : quippe quæ credibilitatem rationabilem fidei et Ecclesiæ demonstrare intendit ; β) ex *natura* apologeticæ . quippe quæ fundamenta auctoritatis fidei et E;· lesiæ investigat; γ) ex *conditione loci theologici* ex quo apologetica argumentatur : apologetica enim utitur loco theologico rationis et historiæ quorum locorum methodus est rationalis. Accedit denique consensus communis theologorum nec non adversariorum fidei. Theologia igitur apologetica procedet : vel ex factis qua; sola ratione cognosci possunt (miracula), ex quibus, mediantibus principiis naturalibus, conclusiones deducit ; vel ex S. Scriptura cl traditione Ecclesia·, *examinando eius doctrinam sub lumine rationis,* atque interpretando dicta secundum communes regulas interpretationis philologicæ et historicæ. Inde quoque sequit ur qua rat ione t heologus apologeticus S. Scriptura utatur.

II. Utrum apologetica S. Scripturam ut inspiratam vel tantum ut fontem historicum consideret, — Respondetur cum distinctione,

a) *Theologus apologeticus subieclive, ex parte sua, certe ac necessario S. Scripturam ut divinitus inspiratam considerat :* viro enim catholico non licet, dogma fidei revelatum in dubium vocare neque assensum fidei suspendere, donec demonstrationem scientifieam iredibilitatis et veritatis fidei suæ absolverit[1]. Neque persuasio de veritate divina

1. *Cone. Vatic.,* sess. III, c. m, et can. (i; Denz., 1794, 1815,

S. Scripturæ sinceram investigationem quocunque modo impedit.

b) *Argumentando contra adversarium, qui inspirationem divinam S. Scripturae negaverit, theologus apologeticus ab inspiratione divina S. Scripturæ abstrahit,* i. e. ad illam non recurrit, sed vel (si textus admittitur) interpretationem catholicam secundum regulas communes interpretationis defendit vel authenticitatém textus contra negantes probat.

c) *Denique theologia fundamentalis per se, ut theologia fundamentalis, S. Scripturam ut inspiratam supponit.*

Prob. a) Theologia apologetica est pars theologiæ dogmaticae (supra I a) : atqui theologia dogmatica certe S. Scripturam tanquam inspiratam supponit : pars vero alicuius scientiæ minime principia fundamentalia scientiæ cuius est pars, derelinquit. Ergo theologia fundamentalis S. Scripturam ut inspiratam supponit. Similiter theologia dogmatica, cum ex ratione vel historia argumentatur, fidem, inspirationem S. Scripturæ et veritatem divinam dogmatis minime derelinquit, sed supponit.

S) Finis et officium defensionis Eccle.siæ7"est ostendere fundamenta quibus auctoritas Ecclesiæ innititur. lamvero quantum ad argumentum ex S. Scriptura, huiusmodi fundamenta optime ostenduntur, etiam supposita inspiratione. Nam *primo :* supposita inspiratione, optime secundum regulas scientificas ostendi potest, doctrinam catholicam de Ecclesia in S. Scriptura contineri. *Secundo :* doctrina S. Scripturæ ostenditur ac demonstratur aut catholicis et protestanticis inspirationem admittentibus aut rationalistis vel incredulis inspirationem negantibus. Quantum ad catholicos et protestantes inspirationem admittentes, inspiratio optime supponi potest : immo de facto supponitur; quantum ad alios, sc. inspirationem negantes, iain r statutum est, ab inspiratione abstrahendum esse : id quod tamen quantum ad scientiam apologeticam est per accidens, i. e. non accidit ratione scientiæ ut talis (= per se), sed ratione conditione speciali hominum illorum. Ergo apologetica, argumentando ex S. Scriptura, per se loquendo inspirationem supponit.

γ) Optime s. *Thomas* notat : « Sacra doctrina, cum non habeat superiorem, disputat cum negante sua principia, argumentando quidem, si adversarius aliquid concedat eorum quæ per divinam revelationem habentur (in nosto casu divinam inspirationem S. Scripturae) sicut per auctoritates sacræ doctrinæ disputamus contra haereticos, et per unum articulum contra negantes alium. Si vero adversarius nihil credat eorum quæ divinitus revelantur (in nostro casu, si negat auctoritatem divinam. S. Scripturæ), non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationem, sed ad solvendas rationes si quas inducit contra fidem. Cum enim fides infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium, manifestum est, probationes quæ contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes sed solubilia argumental ». Ita in tractatu apologetico de Ecclesia : in ordine ad admittentes S. Scripturam ostenditur, per textus S. Scripturæ divinam institutionem et auctoritatem Ecclesiæ edoceri,, sive S. Scriptura supponatur ut divinitus inspirata sive ul fons inero historicus ; in ordine vero ad negantes veritatem vel aut hent icit at em S. Scripturæ ostenditur, argumenta forsitan ex S. Scriptura deprompta non concludere ».

i) Secundum plures quidem auctores catholicos apologetica S. Script,uras tanquam libros mere historicos considerat,, de quorum authenticitate et veritate aliunde constet[2]. Attamen illi auctores de facto nil aliud sentire videntur quam quod apologetica argumentando contra adversarios incredulos, S. Scriptura tanquam inspirata *uti* non intendat ; id quod concedimus.

1. *Summa lheol.,* 1, q. i, a. 8.

2. De facto mullo maior pars adversariorum modernorum Ecclesiæ non tantum inspirationem sed simul veritatem, inuno vel authenticitatem textuum S. Scripturæ negat (affirmantes se. in Evangeliis non iam doctrinam incorruptam Christi continuer!) : adversus huiusmodi, quantum ad argumentum ex S. Scriptura proprie valet dictum S. Thomæ : non remanet alia via nisi ad solvendas rationes si quas inducant. Manet tamen semper argumentum ex testimoniis divinis seu ex miraculis.

3. Cf. e. g. de Groot, *De Ecclesia,* q. i, a. 6.

ε) *Obiciiur* : Quodsi divina Scriptura ut inspirata supponitur, supponitur id quod est probandum — et habetur circulus vitiosus : nam S. Scriptura ex auctoritate Ecclesiæ ul inspirata tenetur.

Respondetur distinguendo : contra negantem divinam auctoritatem S. Scripturæ et Ecclesiæ non est quidem argumentandum ex'S. Scriptura ut divinitus inspirata ; in ordine tamen ad hominem confitentem originem divinam S. Scripturæ et Ecclesiæ optime ostendi potest, et quidem secundum regulas communes interpretationis, doctrinam catholicam de Ecclesia in S. Scriptura contineri. De reliquo notandum occurrit : tractatus apologetici non pro protestanticis, sed pro catholicis scribuntur qui, etiam supposita inspiratione S. Scripturæ, optime instrui possunt de textibus quibus fundamenta auctoritatis Ecclesiæ enuntiantur.

d) Apologetica, licet S. Scripturam per se ul inspiratam supponat, tamen sensum et doctrinam S. Scripturæ sub lumine rationis, secundum regulas communes sanæ hermeneuticæ et critices investigat : methodus enim apologetic® est rationalis.

Itaque apologetica optime et necessario inspirationem S. Scripturæ supponit (et quidem fide divina), tamen argumentando sensum et doctrinam S. Scripturæ sub lumine rationis determinat : atque, ita proprie habetur theologia, sed apologetica.

Alio igitur modo theologia dogmatica et alio apologetica ex S. Scriptura argumentatur. Theologia enim dogmatica ut talis ex S. Scriptura argumentatur ut est inspirata atque doctrinam illius proprie sub lumine inspirationis, revelationis, fidei et simul magisterii Ecclesiæ investigat, determinat ac considerat : atque ita proprie argumentum dogmaticum ex S. Scriptura conficitur[1]; apologetica vero, supponendo quidem inspirationem et veritatem divinam S. Scripturæ, tamen ex ea argumentatur sub lumine rationis et histori® : atque ita argumentum proprie apologeticum conficitur.

1. Cf. C. Schaezler, *Introductio in Theolog. dogmaticam,* c. i, art. 2.

Idem dicendum est quoad *divinitatem Jesu-Christi.* Immo plura argumenta non sunt efficacia nisi divinitate Christi præsupposita, ut argumenta pro necessitate Ecclesiae, pro indefectibilitate et infallibilitate Ecclesiæ, pro notis, etc. : solus enim Deus Ecclesiam indefectibilem, infallibilem atque necessariam ad salutem constituere potest. Denique nihil interest, utrum divinitas Christi tanquam factum historicum vel ut veritas fidei supponatur.

III. Utrum theologia apologetica sub directione positiva fidei et Ecclesiæ procedat. — Omnes theologi admittunt, apologeticam dirigi a fide et ab Ecclesia tanquam a regula negativa et externa, cui se. non licet contradicere. Sed ulterius quaeritur, utrum apologetica a fide et Ecclesia sit dirigenda tanquam a norma intrinseca et positiva. Respondetur cum distinctione.

a) *Apologeticus doctrina fidei et Ecclesiæ uti nequii tanquam principio ex quo conclusiones suas deducal.* Conclusio· est evidens : apologetica enim, utendo doctrina Ecclesiæ tanquam principio ex quo conclusiones deduceret, præsuponeret id quod ipsi probandum incumbit-occurreret petitio principii et circulus vitiosus.

b) *Apologetica dirigitur ab Ecclesia tanquam norma intrinseca et positiva, inquanlum fides et Ecclesia necessario edocet finem et media apologelicæ :* præstituere enim finem ac determinare media est dirigere positive et intrinsece[1].

a) *Ecclesia determinat finem apologelicæ.* Finis enim apologelicæ est cognitio eredibilitatis Ecclesiæ. lamvero notio vera et recta tum Ecclesiæ tum eredibilitatis necessario ab ipsa Ecclesia accipienda est : notio quidem Erclesiæ quia non nisi Ecclesia ipsa nos edocere potest qualis denique sit, qua ratione seipsam tanquam divinitus institutam affirmet, qua ratione auctoritatem divinam sibi vindicet ; notio vero eredibilitatis Ecclesiæ, quia ista notio nonnisi ex natura revelationis, fidei et Ecclesiæ vere recteque determinari potest. Inde evenit uf protestantes, ideam erroneam de natura fidei, revelationis et

1. Gf. Garrigou-Lagranoe, *De revelatione,* I, p. 43-46 ; idem, *Jiev. Thom.,* 1919, p. 193-213.

Ecclesiæ sectantes, ab omni initio incapaces reddunt ur ne fundamenta auctoritatis Ecclesiæ vel eius credibilitatem intelligere valeant ; simul tamen non pauci apologet» catholici, licet optima intentione ducti et multiplici scientia pollentes, tamen in Ecclesia defendenda erraverunt, ut Traditionalist®, Schell, defensores methodi imanentiæ et alii. E contra, apologeta quo magis atque intimius naturam Ecclesiæ, fidei et revelationis sub directione Ecclesiæ cognoverit, eo magis fit aptus ad defendendam Ecclesiam; quo magis enim aliquis rem noverit, eo facilius atque efficacius eam defendere valebit[1].

β) *Ecclesia edocet media demonstrationis.* Deus enim non tantum Ecclesiam suam credibilem fecit, sed simul per revelationem nos edocet circa motiva eredibilitatis : ita Christus ipse ad miracula a se patrata et ad sanctitatem suam appellat tanquam ad motiva crebidilitatis (Joa.. xv, 22 s. ; vin, 46) ; similiter signa determinata promittit (Mc., xvi, 17, 20) : similiter Ecclesia externa revelationis et eredibilitatis argumenta, facta sc. divina tanquam signa certissima atque omnium intelligent!» accomodata proponit et explicat[2]. Ecclesiam ipsam in se tanquam magnum quoddam et perpetuum motione eredibilitatis declarat?. Altera ex parte Deus in Ecclesia et per Ecclesiam temporibus succedentibus sensum S. Scripturæ semper magis magisque explicat, ita ut doctrina S. Scripturæ nunc vel per rationem facilius exactiusque cognosci possit. Ita factum est, ut filii Ecclesiæ, illuminati per doctrinam Ecclesiæ, fundamenta auctoritatis Ecclesiæ facilius rectiusque intelligant, dum e contra protestantes et increduli summas difficultates patiantur[4].

1. Addi potest : quo magis aliquis Ecclesiam amaverit eo promptior et aptior fit ad eam defendendam ; quis vero Ecclesiam vere amaverit quin eius directionem sequatur ?

2. *Cone. Vatic.,* sess. III, c. m ; Denz., 1790.

3. l. c., Denz., n. 1794.

4. Cf. circa totam quæstionem i R. Garrigou-Lagrange. *De revelatione,* vol.I, c. n. Ipse optime sic concludit : « Apologetica· arguit ex ratione sub directione positiva fidei, nam ratio non ex se sola invenit motiva eredibilitatis debita, sed solum iudicat de valore eorum quæ sibi proponuntur a Deo revelante et ab eius ministris ». Videsis ibidem solutionem difficultatum.

IV. Conclusio. — *Methodus* igitur apologeticæ esi *rationalis,* i. e. *apologetica argumentatur ex ratione,* sive investigando facta supernaturalia quibus Deus veritatem -Eccleèiæ testificatur, eorumque vim probativam demon-/ strando, sive sensum S. Scripturæ secundum regulas scien/ tificas hermeneuticæ et historiæ exponendo : tota tamen argumentatio procedit præsupposita fide et sub directione vel potius illuminatione positiva revelationis et magisterii Ecclesiæ atque sic « recta ratio fidei fundamenta demonstrat[1] ».

V. Definitio apologeticæ. — Itaque apologetica Ecclesia* definitur : *scientia rationalis fundamentorum quibus auctoritas Ecclesiæ innititur.* Dicitur *scientia,* inquantum est. cognitio certa et evidens fundamentorum auctoritatis vel breviter credibilitatis Ecclesiæ; dicitur *rationaKs,* quia comparata sub lumine rationis et secundum regulas vel normas scientificas, licet sub illuminatione fidei præsuppositæ[2]. Dicitur scientia *fundamentorum* auctoritatis Ec-| lesiie, inquantum examinantur et exponuntur omnes rationes quibus divina institutio et auctoritas Ecclesiæ lil credibilis. Dicitur scientia fundamentorum *auctoritatis* Ecclesia:, inquantum Ecclesia defenditur ut institutum divinum, potestate et auctoritate divina instructum.

VI. De nominibus apologeticæ. — Tractatus de Ecclesia apud diversos diversum nomen sortitur : vocatur theologia *fundamentalis* quia circa fundamentum fidei et theo-

1. *Cone. Vatie.,* sess. III, c. ni Denz., n. 1799. — In hac quaestione iuvare possunt quae circa methodum historiæ dogmatum scripsimus in : « *Introductio in historiam dogmatum* », art. 18, p. 309-332.

2. Optime P. Garrigou-Lagrange, O. P., l. c., i, 44, differentiam inter methodum philosophicam, dogmaticam et apologeticam determinat. « Sacra theologia argumentatur ex fide, deducendo ex præmissa revelata conclusionem theologicam. Philosophia argumentatur ex sola ratione non contradicendo fidei... et dirigitur a fide tanquam a norma negativa. Apologetica arguit ex ratione sub directione positiva fidei, nam ratio non ex se sola invenit motiva credibilitatis debita, sed solum iudicat de valore eorum quæ sibi proponuntur a Deo revelante et ab eius ministris. »

logiæ versatur ; vocatur theologia *generalis* quia Ecclesiam sub ratione generali institutionis et auctoritatis divinæ considerat ; vocatur *proprædentica* ad theologiam tanquam « institutio eorum quæ scitu necessaria sunt ad sacram theologiam addiscendam[1] ; eadem ratione a cl. C. *Schæzler*[2] vocabatur *introductio* in s. theologiam dogmaticam'; vocatur denique *apologetica* tum ex natura rei tum ex fine operis (cf. supra, a. 1, n. 5).

VII. De necessitate et utilitate scientiae apologeticæ. — Scientia apologetica qua veritas Ecclesiæ defenditur, omnino neccessaria est ac præsertim nostris temporibus utilissima. Prob.

1° Ut *apologia vel defensio.* Divina enim institutio atque auctoritas Ecclesiæ, nostris præsertim temporibus,, quam maxime impugnatur ; ita ut fides multorum inde· pereat : unde opus est, refutare argumenta adversariorum et vera fundamenta auctoritatis Ecclesiæ positive demonstrare. lam vero adversarii Ecclesiam impugnant non tantum argumentis vulgaribus, sed simul mediis scientificis, immo omnis quasi scientia historica, exegetica, religiosa et philosophica protestantium et incredulorum in hoc denique tendit ut auctoritas Ecclesiæ labefacta pereat[3]. Inde defensio *scientifica* omnino necessaria est.

2° *Ob dignitatem Ecclesiæ.* Ecclesia est opus praeclarissimum Dei et Christi, regnum ipsius Dei incarnati, continens in se media salutis æternæ, ac summa majestate fulget. Itaque, si quod institutum inter homines existons, si veritas quædam defensionem ac investigationem meretur, certo Ecclesiæ veritas præ omnibus eam meretur ac vindicat. Simul inde dignitas apologiæ Ecclesiæ patet : quodsi

1. Card. Zigliara, *Propædenlica,* proœmium, n. 1.
2. C. Schæzler, *Introductio,* Præfatio.
3. Ita e. g. G. Krueger, Was *lieisst und zu ivelchem Zwecke studierl nam Dogmengeschichle ?* (1895), hunc finem historiæ dogmatum statuit, « ut discamus ne dogma cum Evarjgelio confundamus » (p. 55) et sub nomine dogmatis, ut ipse (l. c.) notat, doctrinam ab auctoritate ecclesiastica propositam intelligit. Similiter A. Harnack, tanquam principale intentum historiæ dogmatum declarat, ut ostendatur origo et sors humana dogmatum Ecclesiæ catholicæ *{Dogmengeschichle,* I, Prolegomena, § 1).

ænim defensores patriæ merito summo habentur honore, «pianto maiore digni sunt honore ii qui matrem nostram spiritualem defendunt[1].

3° *Ex parle scientiæ theologicæ.* S. Thomas docet ; « Inferiores scientiæ nec probant sua principia nec contra negantem principia disputant sed hoc relinquunt superiori scientiæ : suprema vero inter eas, sc. metaphysica, disputat contra negantem sua principia... Unde sacra doctrina (i. e. theologia), çum non habeat superiorem (sc. scientiam), disputat cum negante sua principia[2] ». Est igitur officium proprium theologiæ, ut est scientia, defendere sua principia. lam vero dogma de institutione et auctoritate divina Ecclesiæ est unum ex principiis theologiæ, immo principium quoddam fundamentale et quasi generale, cum omnia dogmata catholica per magisterium infallibile Ecclesiæ proponantur. Secundum enim fidem catholicam » fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quæ in verba Dei scripto vel tradito continentur et *ab Ecclesia...* tanquam divinitus revelata credenda proponuntur[3] ». Quam maxime igitur ad theologiam pertinet, et quidem propriissime, ut dogma de institutione et auctoritate divina defendat, tum concludendo ex principiis fidei si adversarius quædam principia fidei admittat, tum solvendo obiectiones adversariorum qui revelationem divinam non admittunt, tum denique argumentando ex signis credibilitatis tum extrinsecis tum intrinsecis.

4° *Ex munere pastorali sacerdotum.* Sacerdotum munus est, periclitantes iuvare, rebelles convincere, bonos confortare, præsertim in fide. lam vero fides quot catholicorum nostris temporibus periclitatur, quot obiectiones contra Ecclesiam ventitantur, quot difficultatibus vel boni op-

1. Unde Ecclesia in Doctoribus Ecclesiæ quam maxime celebrat quod fidem et Ecclesiam efficaciter defenderint. Leo XIII in Encyclica. *Ælerni Patris* : « Providentissimus Ileus, sicut ad Ecclesiæ defensionem martyres fortissimos, magnæ anirnæ prodigos, contra tyrannorum sæviliam excitavit, ita philosophis falsi nominis aut hæreticis viros sapientia maximos obiecit qui revelatarum veritatum thesaurum etiam rationis humanæ præsidio luerentur. »

2. S. Th., I, q. i, a. 8.

3. *Concit. Vat.,* sees. III, c. m ; Denz. 1892.

primuntur ! Unde sacerdotes tum munere officii pastoralis tum obligatione caritatis christianæ tenentur ut theologia apologetica optime sint instructi, præsertim circa Ecclesiam. Ista obligatio multo magis sacerdotes illarum premit regionum, in quibus multi sunt protestantes vel increduli vel ubi quacumque ex causa fides et praxis catholica difficultates vel pericula experitur.

VIII. Intentio auctoris, -r- Quibus ex rationibus et nos praelectiones in Collegio Angelico de Urbe habitas (ab anno 1910) publici iuris facimus, in utilitatem primum auditorum, deinde, ut speramus, et aliorum. Inter munera enim filiorum s. Dominici iam a Papa Honorio III enumeratur quod sint « pugiles fidei » (Bulla approbationis Ordinis O. P.).

Pius XI vero in Allocut. d. 24 Mart. 1924 sequentia protulit : « Catholicis omnibus gratiam habebimus maximam quotquot dissidentibus a se fratribus, divina gratia instincti, ad germanæ adoptionem fidei viam munire contenderint, præiudicatas convellendo opiniones, integram tradendo catholicam doctrinam, eamque discipulorum Christi notam, quæ caritas est' in'se potissimum exhibendo... »

ARTICULUS TERTIUS

De historia et evolutione apologiæ Ecclesiæ[1]

1. Apologia religionis christianæ et Ecclesiæ iam *apud Christum Dominum et apud Apostolos* incipit (Mτ., xi, 5 ; χπ, 25 ss. ; Joa., xv, 22 ss. ; *Act. Ap.,* n, 22-24 ; m, 14-16 ; *I Cor.,* xv, 4) ; immo S. Petrus christianos adhortatur ut sint « parati semper ad satisfactionem (προ απολογίαν) omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spes » *(I Pet.,* ni, 15)[2].

2. Primum *ludaei* fidem et Ecclesiam catholicam impugnaverunt. Contra illos christiani defendebant Christum tanquam verum Messiam et Filium Dei, idque præsertim ex prophetiis V. T. impletis : inde simul Ecclesiam tanquam institutum divinum contra synagogam vindicant. Huc pertinent : *S. lustini Dialogus cum Tryphone adversus ludæos, Tertulliani Adversus ludæos, S. Cypriani* collectio *Testimoniorum adversus ludæos* lib. Ill.

3. *Pagani* christianos impugnabant tanquam atheos, ignavos, sceleratos, inimicos Cæsaris. Adversus huiusmodi accusationes religionem et Ecclesiam defendebant Apologetæ secundi et tertii sæculi : *lusiinus* (I et II Apologia), *Aristides, Melito, Athenagoras, Tatianas, Theophylus Antiochenus, Tertullianus* (Apologeticum, Ad Scapulam, Ad Nationes), *Cyprianus* (Ad Demetriadem). Doctrinam et vitam Christianam postmodum defendebant, impugnantes simul doctrinam et vitam ethnicam : *Cyprianus* (Ad Donatum, De vanitate idolorum), *Lactantius*

1. C. Werner, *Geschiclde der apologelischen und polemisehen Literatur,* 4 vols. Ratisbonæ, 1889 ; M. Grabmann, *Die I.e.hrc des Id. Thomas von derKlrche (ils Golleswerlc. Hegensburg,* 1903, pp. 14-70.

2. De modo argumentandi apologetico Christi et Apostolorum, cl'. R. Garrigou-Lagrange, *De. revelatione,* I2, c. m, a. 3, § 3 s.

(Institutiones divinæ, *Origenes* (Contra Celsum), *Eusebius* Cæs. (Praeparatio evangelica, Demonstratio evangelica), *S. Athanasius* (Oratio contra gentes), *Theodoretus* Cyr. et alii[1]. Praecipuum locum tenet opus S'. *Augustini* « *De civitate Dei* », i. e. de civitate Dei quæ angelos et homines bonos comprehendit, et de civitate terrena, inimica regno Dei.

4. Interim iam disputatio cum *haereticis* incipitur. Duces sunt : S. *Irenæus* (Adversus hæreses), *Tertullianus* (De praescriptione), *Hippolglhus* (Philosophoumena, Adversus omnes hæreses vel Syntagma), S. *Augustinus* (De moribus Ecclesiæ catholicæ et de moribus Manichæorum), *S. Epiphanias* (Hæreses vel Panarion). Alii S. Patres communiter hæresim particularem impugnant, ut Arianismum -(S. Athanasius), Nestorianismjim (S. Cyrillus Alex.), Manichæos, Donatistas, Pelagianos (S. Augustinus) : qua occasione tamen simul totam doctrinam ac vitam Ecclesiæ defendunt.

5. Post tempus patristicum Ecclesia defenditur contra ludaeos (Isidorus de Sevilla, Rhabanus Maurus, Agobardus Lugd., Petrus Damiani, Hieronymus a. s. fide) et contra Mahometanos (Petrus Venerabilis, Petrus Blessiensis, Raimundus Martini (Pugio fidei adversus Mauros et ludaeos). S. Raimundus a Pehaforte O. P. scholam apologeticam fundavit. Opus apologeticum principale medii ævi est *Summa de veritate catholicae fidei contra gentiles.* S. Thomæ Aquinatis. Contra humanistas dirigitur opus *Savanarolæ* O. P. : Triumphus crucis s. de veritate fidei[2]. Optimam « Summam de Ecclesia » card. *Turrecremata* composuit.

6. Maxime tamen apologia Ecclesiæ post tempus reformationis floruit : protestantes enim proprie et directe institutionem et auctoritatem divinam Ecclesiæ negabant. In Germania cum aliis (Eck, Cochlæus, Hosius, Lindanus)

1. De apologiis priorum saeculorum vide : Gr. Schmitt, *Die Apologie der erslen Jahrhunderle.* Mainz, 890.

2. Gf. M. Glossner, *Savonarola ais Apologel und Philosoph,* 1898.

præsertim Ordines veteres Ecclesiam defendebant, ut Augustiniani, Franciscani et Dominicam'l, postea nova Societas lesu (Canisius). Invalescente vero protestantisme theologi postmodum sub nomine *controversiarum* principales partes et doctrinas, immo iam fundamenta auctoritatis Ecclesiæ defendenda susceperunt : inter quos eminent B. R. *Bellarininus* S. J. (Disputationes de controversiis christianæ fidei adversus huius temporis hæreticos) et *M. Cano* O. P. (De locis theologicis). Alia potissima opera sunt : *Becanus* S. J., Manuale controversiarum huius temporis ; *Stapleton,* De principiis fidei doctrinalibus ; fratres *Walchemburck,* Tractatus generales de controversiis fidei. Theologi scholastici communiter in tractatu de fide, commentando, IIa IIae q. i a. 10 S. Thomæ, doctrinam de Ecclesia proponunt atque defendunt : ita præsertim *D. Bannez.* O. P., qui hac occasione tractatum integrum de Ecclesia proponit (Comment, in IT, II, S. Thomæ), *Iohannes a S. Thoma* O. P. (Cursus theologicus), *Billuarl,* 0. P. (Summa S. Thomæ, tract, de fide). Alii tamen data opera Ecclesiam defendunt : Card. *Gotti* (Veritas religionis christianæ, 1735-40), *Concilia* O. P., *Bocaberli* O. P[2].

7. Sæc. xvii et χνπι in Anglia deismus et in Gallia *atheismus et materialismus* et in Germania *ralionalismus* (« Aufklarung ») fundamenta vel remota fidei catholicæ subvertere incipiebant : unde defensioni Ecclesiæ catholicæ vel demonstrationi catholicæ addita est demonstratio christiana vel evangelica (de authenticitate et veritate Evangeliorum, de existentia historica Christi etc.) et demonstratio religiosa (de existentia Dei, de spiritualitate et immortalitate animæ humanæ, de religione, de possibilitate et veritate miraculorum et revelationis) : quæ divisio apologeticæ hucusque communiter servatur. Notandum est denique quod hoc tempore apologiis succedit *apologetica* proprie dicta, i. e. tractatio systematica de fun-

1. N. Paulus, *Die. deulschen Dominileaner im Kampfe gegen Luther,* 1903.

2. M. Grabmann, l. c., p. 64, refert, opus manuscriptum *fgnatii Ciantes* O. P., quod præsertim doctrinam S. Thomæ de Ecclesia colligit.

(lamentis religionis christianæ, <lum apologiæ proprie, unum vel plura dogmata directe et in se defendunt, licet quandoque sub ratione quadam generali[1].

8. Defensio Ecclesiæ sive in forma apologiæ sive in forma apologetica *post Concilium Vaticanum* maximos progressus fecit. Dictum enim Concilium doctrinam de constitutione Ecclesiæ, simul tamen de fide et ratione magis determinate definiverat atque viam apologiæ Ecclesiæ expresse indicaverat, docendo sc. quod « recta ratio fidei fundamenta demonstrat », quod « revelatio divina externis signis credibilis fieri potest » ideoque homines minime « sola interna experientia aut inspiratione privata ad fidem moveri » debent, quod Ecclesia « manifestis notis » suæ divinæ institutionis a Christo Domino fuit instructa, « ut tanquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci », immo quod Ecclesia per se ipsa «'magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile ».

9. Quibus tamen non obstantibus, circa finem sæculi XIX oi la est *quæstio de methodo* apologeticæ. Plures enim (qui neo-apologetæ vocantur) censebant, methodum et argumenta tradita in apologetica esse quidem in se optima et efficacia, attamen intelligent!® huius temporis hominum minus accomodata, adeoque demonstrationem ex signis extrinsecis supplendam vel saltem complendam esse per argumenta intrinseca quæ non tantum intellectum sed el voluntatem moveant : procedebat tamen ista sententia ex præsupposita philosophia immanenti®[1]. Ita inter alios .M. Blondel, Gh. Denis, L. Laberthonnière, H. Schell[3].

1. Ita e. g. A. Weiss, *Apologie des Clirisléniuins,* 5 vol., (idem et Ecclesiam catholicam sui» hac forma defendit : praxis et sequela assidua et efficax doctrinæ christianæ et catholicæ culturam veram semper promovit et necessario promovet, dum recessus a doctrina et praxi Christiana semper cult uram corrupit et necessario corrumpit id quod per partes ostenditur) ; ergo religio Christiana et cath'ilica est tutamen veræ culturæ adeoque vera religio.

2. De methodo apologetica Modernistarum, cf. Encycl. *Pascendi ;* Denz., 2101.

3. Examen et criticam dictæ sententiæ vide apud de Groot,

Alii e contrario methodum apologeticæ traditam emendare ac perficere cupiunt, reducendo sc. apologeticam ad theologiam dogmaticam : ita præsertim A. Gardeil O. P. et Reg. Garrigou-Lagrange, O. P.[1].

10. De reliquo apologia nec non et apologetica Ecclesiæ necessario *evolutioni, immo fluxui cuidam* erit *subiecta.* Nam a) *adversarii* Ecclesiæ successu temporum Ecclesiam diversimode impugnant. Nec apologia multum valebit qua; statum præsentem spirituum et scientiæ non attenderit. Inde apologetica successu temporum necessario alias et alias partes Ecclesiæ magis defendit, alias et alias obiectiones solvere debet, alia et alia argumenta, conditioni intellectuali temporis proportianata, affert.

b) *Obieclum* defendendum est Ecclesia. Ipsa vero Ecclesia successu temporum semper magis sese explicat et perfectius cognoscitur. Quo autem res magis cognoscitur, eo perfectius defendi potest: Unde præsertim nostris temporibus, in quibus Ecclesia obiective magis est explicata et subiective cognitio Ecclesiæ (præcipue post Cone. Vatic.) est perfectior, apologia Ecclesiæ necessario facilior et perfectior erit.

c) Apologia denique ut pars theologiæ ad officium Ecclesiæ docentis pertinet ; unde *Deus* qui Ec lesiam suam in omnibus *illuminat,* etiam opus apologeticum gratia et illuminatione sua dirigit et adiuvat, ad maiorem perfectionem Ecclesiæ et ad fidelium tutamen.

Inde explicatur factum quod apologia et apologetica Ecclesiæ est in continuo quodam fluxu. Methodus et lineæ generales quidem sunt fixa ac determinata, in particulari autem multa necessario variantur.

O. P., *Summa de Ecclesia catholica3,* q. i, a. 3 ; Christ. 1'i.sch S. J., *Theologische Zeilfragen* (1900); P. Schanz, *Ueber neue Versuche der Apologelik* (1897); M. Glossner, *Apologelischc Tendenzen und Richtungen in lahrbuch /. Phil, und spek. Theol.* (Commer), iv (1890), p. 399-429.

1. A. Gardf.ii., *La crédibilité et l'apologétique? ;* H. Garrigou-Lagrange, *L'apologétique dirigée par la foi,* in *Rev. Thom.* 1919 p. 193-213; idem, *L'apologétique et la théologie fondamentale,* in *Rev. des sciences philosophiques et ihéologiques,* 1920, p. 352 ss. Cf. observationes contrarias, l. c., 1922, p. 529 ss.

11. Elenchus auctorum. — Longum est enumerare omnes auctores recentiores qui de Ecclesia scripserunt. Primum hic veniunt auctores dogmatici qui communiter tractatum de religione, de revelatione et de Ecclesia praemittunt, ut Pesch, Tahquerey, Egger, Minges, etc. Tantum opera quaedam principalia de Ecclesia et de locis theologicis, et quidem latina, indicabo.

J.-V. Bainvel, *De vera religione et apologetica,* Paris, Beauchesne, 1914.

J.-J. Berthîer, O. P., *De locis theologicis,* Taur., 1888.

Card. L. Billot, *De Ecclesia Christi,* Romæ, 1921.

R. Cercia, S. J., *Tract, theol.,* tract. II : *De roinano Pontificel,* 1858.

Aem. Dorsch, S. J., *Institutiones theol. fundament.,* vol. Il : *De Ecclesia Christi,* (Enip., 1914.

Hil. Felder, O. M. C., *Apologetica*2, Paderb., 1920.

Card. Franzelin, *Theses de Ecclesia Christil,* 1907 (opus imperf.), *Idem* : *De traditione et s. Scriptura.*

R. Garrigou-Lagrange, O. P., *De revelatione per Ecclesiam catholicam proposita*2, Romæ, 1920.

V. De Groot, O. P., *Summa apologetica de Ecclesia catholica*3, Ratisb., 1906.

M. d'Herbigny, S. J., *Theologica de Ecclesia,* Par., 1920-21.

C. Mazzella, S. J., *De religione et Ecclesia prælecl.,* 1880.

G. Michelitsch, *Elementa apolog.*2, Graz., 1923.

J. Munclnill, *De Ecclesia,* Bare. 1914; *idem, De locis theolog.,* Bare., 1916.

Patr. Murray, Tract, *de Ecclesia,* 1860-63.

G. Van Noort, *Tract, de Ecclesia Christi*2, Amsteld, 1909. *Idem, Tract, de fontibus revelationis*l, Bussum, 1920.

Ign. Ottiger, S. J., *Theol. fund.,* tom. II : *De Ecclesia Christi,* Frib., 1909.

Dom. Palmieri, S. J., *Tract, de Romano Pontifice,* 1902.

Car. Passaglia, S. J., *De Ecclesia Christi,* 1856.

G. Reinhold, *Prælecliones de theol. fund.,* Viennæ.

\ug. Roskovany, *De Romano Pontifice,* 1867-1890.

ħd. de San. S. J., *Tract, de Ecclesia,* 1906.

Const, de Schæzler, *Introductio in s. theol. dogm.,* Ratisb., 1882.

R. Schiffini, S. J., *De vera religione seu de Christi ecclesia, Lenis,* 1908.

Card. Segna, *De ecclesise Christi constitutione et regimine,* 1900.

Ant. Straub, S. J., *De Ecclesia Christi,* Œnip., 1912.

Virg. Wass O. M. C., *Repertorium theol. fund.,* Œnip.. 1921.

Guil. Wilmers, S. J., *De Christi ecclesia,* 1897.

Card. Zigliara, O. P., *Propædenlica ad s. theologiam,* Roinæ, 1897.

Cum facile sit, in operibus citatis et aliis ad omnes quæstiones positas invenire capitula correspondentia, singulis locis tantum ex rationibus specialibus fontes principales ulterioris informationis indicabimus.

12. Modus noster procedendi.

Primo ad omnes quaestiones *doctrinam catholicam* proponemus, non quidem ad probandum, sed ad determinandam materiam : in defensione enim Ecclesiae constare oportet quaenam proprie sit doctrina Ecclesiae circa seipsam, secus tota argumentatio esset extra viam ; denique studiosi theologiæ imprimis doctrinam catholicam noscere debent.

Secundo sententias contrarias adversariorum exponeihus, ut sciamus quanam sub ratione Ecclesia impugnetur et quodnam proprie sit punctum difficultatis.

Tertio statuitur *thesis,* adiectis (ubi necessarium fuerit) explicationibus circa sensum theseos vel circa statum quaestionis.

Quarto sequitur *probatio,* et quidem communiter : a) Ex verbis et factis Domini (ex Evangeliis), *b)* ex doctrina et factis Apostolorum (ex Act. Ap. et epistulis Apostolorum)[1], c) ex sententia et praxi veteris Ec lesiæ, præcipue ex s/ Patribus et Doctoribus ; *d)* denique ex ratione intrinseca arguitur. Doctrina et praxis Apostolorum præcipue in

1. Argumentum ex Evangeliis et ex Aposlolico separalim tractatur oh doctrinam communem adversariorum qui praetendunt, doctrinam evangelicam vel saltem Domini iam ab Apostolis, praesertim a Paulo, fuisse mutatam, immo corruptam.

testimonium veræ interpretationis Evangeliorum adducitur, similiter doctrina et praxis veteris Ecclesiæ in testimonium veræ doctrinæ Christi et Apostolorum, ita ut triplex istud argumentum intrinsece sit connexum. Denique quoad S. Patres præsertim Patres et scriptores priorum Ecclesiæ sæculorum considerabimus, quippe de quorum sententia maxime disputatur.

Quinto argumenta adversariorum solvuntur[1].

I. ILa proprie modum procedendi S. Thomæ sequimur, qui primo proponit quæstionem, secundo argumenta contraria, tertio tliesim, quarto argumentum, quinto solutionem obiectionum. Similiter in toto tractatu doctrina Doctoris communis specialiter consideratur et adducitur.

CAPUT II

De causis Ecclesiæ

'Omnis res per suas causas maxime explicatur et determinatur sicut et constituitur. Primo igitur de causis Ecclesia* agemus. Sunt autem quatuor causæ rerum in hoc mundo : efficiens, finalis, materialis, formalis. Ideo., tractandum est :

1° de causa *efficienti* Ecclesiæ = de *institutione divina Ecclesiæ* (art. 5-10) ;

'2° de causa *finali* — de *fine* Ecclesiæ (art. 11) :

3° de causa *materiali* de *membris* Ecclesiæ (art. 12) ;

4° de causa *formali* de *conslilulione* Ecclesiæ (art. 13-16).

Præmittitur expositio significationis nominis « Ecclesia » (art. 4).

ARTICULUS QUARTUS

De nomine « Ecclesia al

1. .Nomen « Ecclesia » est vox græca, deprompta a verbo ἐκκαλέω = convocare. In literatura græca profana significat comitia populi quæ in republica habebantur et per præconem convocabantur (Thucyd. de bello Pellop., 1, ■87). In S. Scriptura V. T. sæpe (95 vicibus) legitur apud LXX ad vertendas voces hebraicas *Qtiâhâl* vel *Lahaquâh :* ita significat quandoque coetum quemcunque hominum, etiam malorum (« odivi ecclesiam malignantium », Ps. xxv, 5), at communiter convocationem vel ccetum Israel, ut

1. Cf. S. Vosté, O. P., *Comment, in ep. ad Eph.,* p. 37-39 ; M. d'Herbigny, *Theologica de Ecclesia,* I, p. 34 s.

populi electi a Deo {*Dt.,* iv, 10; ix, 10; xvm, 16; xxxi, 30). Apud Sirach legitur : « (Sapientia) in ecclesiis altissimi aperiet os suum » (xxiv, 2) vel « omnis ecclesia sanctorum » eleemosynas iusti ennarrabit (xxxi, 11).

2. In S. Scriptura N. T. nomen « ecclesia », tribus vicibus exceptis (cf. *Aci.,* xix, 32 : « erat ecclesia confusa » sc. paganorum), *cœtum christifidelium* significat, sive alicuius *domus* (« Salutate Nympham et quæ in domo cius est Ecclesiam » — Coi., iv, 15), sive alicuius *civitatis* {*Act.,* vin, 1) : « Facta est autem in illa die persecutio magna in ecclesia quæ erat lerosolymis » ; ***I*** *Cor.,* i, 2 : « Ecclesia Dei quæ est Corinthi » ; *Thess.,* i, 1 etc.), sive *totum cœtum christifidelium* {*I Cor.,* x, 32) : « Sine offensione estote ludaeis et Gentibus et Ecclesiæ Dei » ; *ib.,* xn. 28 : « Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos... » ; *Eph.,* i, 22 : « Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam — κεφαλήν ὑπερ πάντα τή ἐκκλησίφ — Mt ., XVI. 18: « super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam »), sive *actualem conventum* christifidelium (I *Cor.,* xi, 18 : « convenientibus vobis in ecclesiam » ; Aci., xn, 5 ; xiv, 27), sive *fideles* præpositis *subditos* {*Act.,* xx, 28).

3. Itaque a tempore Apostolorum nomen « Ecclesia » esi nomen proprium coetus christifidelium, sive partialis, sive universalis. Qui usus apud S. Patres ac deinceps perseverat. In *Didache* legitur oratio : « colligatur ecclesia tua a finibus terræ in regnum tuum » (ix, 4) ; in ***I*** *ep. Clementis* » Ecclesia Dei quæ Romæ peregrinatur « salutat « ecclesiam quæ Corinthi peregrinatur » (Inscrip. ; cf. x l iv , 3 ; x l v ii, 61 ; similiter *S. Ignatius Ant.* in diversis epistulis : ipse quoque primus nomine « ecclesiæ catholicæ » utitur {*Smyrn.,* vm, 2). Mox tamen nomine ecclesiæ non tantum coetus christifidelium in terra viventium, sed communitas omnium ab initio mundi in Deum credentium significatur.

4. Iam sic dicta II ep. Clementis loquitur de « ecclesia prima spirituali quæ ante solem et lunam condita est », qua; «a principio» erat, «apparuit autem in novissimis die-

bus » (xiv› l› 2; cf. cap. n)l. S. *Augustinus,* explicando symbolum, particulam « sanctam ecclesiam » intelligit de « ecclesia universa in coelo et in terra » *(Enchirid., xn,* 56), proindeque distinguit inter ecclesiam quæ in cœlo est, « quæ in sanctis angelis et virtutibus Dei est ecclesia (xv, 57, 61), et inter ecclesiam « quæ ab illa peregrinatur in terris » (xv, 61).

5. S. Thomas sequitur Augustinum. Explicando quomodo Christus sit caput Ecclesiæ, sub nomine Ecclesiæ intelligit tum angelos beatos tum homines « a principio mundi usque ad finem ipsius» (S. *Theol., III,* q. vm, a. 1, 3. 4). Cum S. Augustino tamen distinguit duplicem statum Ecclesiæ : « Ecclesia secundum statum viæ est congregatio fidelium, sed secundum statum patriæ est congregatio comprehendentium » (III, q. vm, a. 4 ad 2) ; similiter distinguit Ecclesiam militantem ab Ecclesia triumphante (C. G., iv, 76), et Ecclesiam modernam ab Ecclesia primitiva (Z *Seni.,* d. 16, q. i, a. 2 ad 2). Denique ita distinguit : « Nomen Ecclesia· dupliciter accipitur : quandoque enim nominat tantummodo corpus quod Christo coniungitur tanquam capiti... alio modo accipitur Ecclesia secundum quod nominat caput et membra coniuncta » (ZF *Seni.,* ‹l. 49, q. iv, a. 3 ad 4).

6. Post tempus reformationis usu venit distinctio Ecclesiæ in militantem, purgantem et triumphantem ; militans iterum distinguitur in eam quæ erat sub revelatione primitiva, sub lege et sub gratia.

Nostris temporibus, nisi aliquid addatur, nomen Ecclesiæ quasi exclusive ad denominandum coetum christi fidelium post Christum applicatur : ita est sermo de historia Ecclesiæ etc. Abusive tantum quidem moderni de « ecclesia » buddhistica vel theosophica loquuntur. Notandum tamen est quod non raro, præsertim apud politicos et similes, nomine Ecclesiæ auctoritas vel regimen Ecclesiæ

J. Cf. *Heb.,* xii, 23 : « ecclesia primitivorum (πρωτοτόκων) qui «onscripti sunt in coelis ».

(Papa, episcopi) significatur. Metonymice denique locus ubi fideles congregantur, Ecclesia vocatur.

Linguæ latinæ modernæ nomen ecclesiæ retinuerunt : chiesa, église. Linguæ vero originis germanicæ et slavicæ aliud nomen habent, derivatum a κυριακή vel κυριακόν, i. e. dominicum[1] ; inde : Kirche (sæc. ix chiricha), church.

I. Alii deducunt ab ερκο (orbs) vel ex fonte semitico : cf. Gl a - s i:u, Woher *kommt das Wort Kirche* ? München, 1901 ; idem, *Kirche weder griechisch noch slawisch,* München, 1901.

SECTIO I

De institutione divina Ecclesiæ

ARTICULUS QUINTUS

Doctrina catholica et sententiæ contrariæ de institutione Ecclesiæ

I. Quaestio de institutione Ecclesiæ est prima et fuinda^ mentalis. — Est *prima* quæstio, quia institutio divina Ecclesiæ ab adversariis quam maxime negatur, præsertim nostris temporibus, et quidem sub ratione generali : antea quidem disputabatur, utrum papatus vel episcopatus vel aliud officium ecclesiasticum divinitus institutum essset, nunc vero omnino generaliter quæritur, utrum Christus aliquam societatem, qualis est Ecclesia, instituerit. Unde et nos primo *generaliter* ostendemus quod Christus re vera Ecclesiam tanquam veram societatem instituerit. Eadem quæstio simul est *fundamentalis.* Nam una ex parte :]probata semel institutione divina Ecclesiæ, *omnia alia viriualiter sunt probata* : etenim societati a Deo institutae credendum et obtemperandum est ; altera ex parte oimnes quæstiones particulares quæ sequuntur, non sunt nisi *particulares demonstrationes* institutionis divinæ Eccleisiæ. Quibus ex rationibus istam quæstionem paululum fuisius tractabimus.

1° *Doctrinam catholicam et sententias contrarias* siimul cum *statu quæstionis* de institutione Ecclesiæ proponeimus (a. 5) ;

2° *argumentum ex doctrina Euangeliorum* de rejgno coelorum afferemus (a. 6) ;

3° argumentum ex voluntate et ex *missione* Chiristi (a. 7) ;

4° *argumentum ex ecclesiis apostolicis* et specialiter' ex Ecclesia *Hierosolymitana* (a. 8) ;

5° argumentum ex *doctrina et factis S. Pauli* (a. 9) ;

6° denique *argumentum ex testimonio veterum et ex præscriptione* (a. 10).

Qua occasione simul conspectum brevem doctrinæ S. Scripturæ de Ecclesia, specialiter de institutione Ecclesiæ, proponemus[1].

II. Dogma catholicum. — *Cone. Vatie,* definivit :« Pastor æternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, *sanciam aedificare Ecclesiam decrevit,* in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur » (sess. IV, D. 1821). Atque in *luramenlo* contra errores Modernistarum expressius statuitur : « Firma pariter fide credo *Ecclesiam,* verbi revelati custodem et magistram, *per ipsum verum atque historicum Christum,* cum apud nos degeret, *proxime ac directo institutam* eandemque super Petrum, apostolicæ hierarchiæ principem, eiusque in ævum successores ædificatam ».

III. Sententiæ contrariae. — *Protestantes veteres* admittunt quidem, Christum voluisse ut fideles sibi adhærentes societatem quandam fidelium instituerent, negant autem Christum ipsum Ecclesiam *instituisse* eiusque constitutionem determinasse atque —et hoc maxime negant— aliquibus hominibus potestatem sacram vel hierarchicam contulisse, in successores transmittendam. Idem tenent protestantes recentiores qui « conservativi » dicuntur, ut præsertim in Prussia[2].

2. *Protestantes « liberales »* uno ore proclamant, Christum nullo modo nec intendisse neque instituisse ecclesiam

1. Harnack quidem aliquando scripsit, paucos tantum textus S. Scripturae a catholicis in favorem propriæ sententiæ vocari posse ; e contra tamen quasi tota Scriptura N. T. directe vel indirecte doctrinam catholicam de Ecclesia personat. Tantummodo S. Scriptura alias per formas et conceptus nos de Ecclesia «■docet ac theologia vel doctrina moderna. Oportet igitur determinare conceptus et formulas quibus S. Scriptura Ecclesiam nobis præsentat. Inde denique iudicare possumus de veritate doctrinæ et conceptus nostri temporis.

2. Gf. *Realenzyklopadie. f. prot. Rei. u. Kirche,* x3, 318.

quæ foret societas humana cum institutis, formis ac normis determinatis1. Inde originem Ecclesiæ catholicæ ex causis historicis et humanis explicare conantur2. Atque sic rem explicant.

Discipuli Christi, lesum Messiam tenentes, tanquam fratres inter se communicaverunt ; sese consideraverunt tanquam hæredes promissionum ac vitam tam propriam quam communitatis Spiritui Sancto dirigendam commiserunt. Petrus, primus Hierosolymis communitatem quandam collegit sociorum qui Christum ut Messiam agnoscerent et ad ccenam ultimam Domini celebrandam simul convenirent quin tamen synagogam relinquerent (ludaeochristiani, Petrinismus). Ex altera parte *Paulus* Christum non tantum inter judaeos et proselytas sed simul inter ethnicos prædicavit. Pauli fuit opus ut ecclesia a synagoga separaretur. Attamen nec ipse communitatibus Christianis nec instituta nec cultum nec, legem determinavit. Omnia membra, viri ac mulieres, eiusdem iuris fuerunt. Unusquisque « spiritum » suum habuit (Paulinismus). Itaque communitates Christian® primitive fuerunt ad invicem independentes ac sui iuris ; singulæ vero typus ac imago ecclesiæ idealis ; Christiani communicaverunt tamen inter se ac se tanquam membra unius corporis consideraverunt. Exspectatio eschatologica, i. e. proximi adventus regni Christi, et « enthusiasmus » totam vitam determinaverunt, servata plena singulorum libertate.

Attamen necessitates practicæ, sc. cultus, disciplinæ, communicationis cum aliis communitatibus, etc. tum simul exemplum aliarum communitatum religiosarum ad constituendos *magislralus* communitatum coegerunt. Itaque presbyteri, episcopi ac diaconi instituti fuerunt, ita tamen ut apud communitatem remaneret potestas depositionis magistratuum nec non potestas disciplinaris.

1. Ita loco omnium : G. Krueger, *Handbuch der Kirchengeschichle,* 1911, I, 56 : « Jesus hat bei seiner Predigt vom Gottesreich nicht an die Stiftung einer Kirche, d. h. einer menschlichen Gemeinschaft mit Rechtsordnungen und einer Verfassung gedacht. »

2. « Die Frage, wie die katholische.Kirche... dieses milchtige Wesen... entstanden ist... gehOrt zu der Râtseln, die die Forschung erst langsam zu lOsen vormocht hat. » G. Krueger, *Dreieinigkeit,* p. 17.

Decursu denique sæc. IL, orta est, ut aiunt, « ecclesia catholica », i. e. ecclesiæ particulares, hucusque autonomæ, in unam ecclesiam magnam coaluerunt, quæ simul tamquam « institutum divinum » declararetur.

Tanquam *causæ huius evolutionis* recensentur : pugna éontra hæreses gnosticas, persecutiones ex parte imperii romani, studium unitatis, influxus hellenismi (Harnack), sacerdotium ac doctrina ecclesiæ V. T. (Seeberg), imitatio imperii romani etc. Itaque secundum historicos protestanticos factum est ut episcopi tanquam successores Apostolorum ecclesiis dominarentur, certa regula fidei statueretur (symbolum baptismi), spiritus « extingueretur», communitates hucusque penitus liberæ in institutum quoddam iuridicum converterentur : inde origo veteris ecclesiæ catholicæ secundum Protestantes^

In particulari auctores protestantici Jin explicanda origine ecclesiæ catholicæ non parum discrepant.

Secundum .4. *Sabatier* Christus tantum religionem moralem et interiorem suasisset (« la religion d'esprit »). Inde etiam primitiva Ecclesia non fuisset nisi adunatio quædarn spiritualis, singulæ ecclesiæ fuissent fraternitates, distincte quidem, sed ab invicem independentes, unitæ in eodem spiritu, in eadem vita religiosa, in eadem spe (communio interna animorum), ordinis idealis et transcendentis. Temporibus tamen procedentibus et aliis generationibus subsequentibus necessitas vitæ præticæ et concretæ Ecclesias particulares coegit ut constitutionem hierarchicam acciperent, ita ut unitas moralis et interna in unitatem corporis socialis et visibilis transiret[1].

Secundum *A. Harnack* Ecclesia non esset institutum Evangelii, nam Evangelium solum « patrem benignum » edoceret in cuius igitur experientia tota « essentia christianismi » reponenda est. Itaque Christus in suis parabolis

1. « Ce qui était transcendant dans la foi d; Jésus et des apôtres devient une société historique et visible. L'idéal et le réel se confondent. Dieu veut régir le inonde par son Eglise et l'Eglise règne par son hiérarchie. Le catholicisme est fondé. » *Les religions d'autorité el la religion de l'espiil* (Paris; 1904), p. 141 ; cf. l. 1, ch. π ; *idem, L'Eglise,* p. 47-83 ; idem, *Esquisse d'ujie philosophie de la religion* (Paris, 1897).

tantum essentiam religionis respexisset ac religionem iudæoruin nullo modo inutare voluisset, i. e. institutionem Ecclesiæ minime intendisset. At *Paulus* finem legis et religionis mosaics docuisset et aliis persuasisset, ita ut ecclesias Christianas a synagoga separaret, quin tamen adhuc ecclesiam proprie catholicam constituisset. Tamen· post separationem a synagoga organisatio religiosa necessario evenit, nam nulla religio absque corpore manere potest (« Korperlos kann keine religiose Bewcgung bleiben »). Inde Ecclesia introducta fuisset, sc. apparatus exterior (ius, disciplina, cultus, doctrina), ita quidem ut ille apparatus mox pluris quam vita interior æstimaretur. Itaque Ecclesia catholica apud græcos introducta fuisset, tanquam effectus christianismi et hellenismi, in unum confluentium[1].

Secundum R. *Seeberg,* ecclesia catholica orta est tanquam transformatio ecclesiæ iudaicæ, synagoga erat exemplar constitutionis ecclesiæ catholicæ[3].

Fr. *Loofs* opinatur : tempore succedente admissa sunt criteria extrinseca, extrinseca sc. religioni et christianismo primitivo, sc. doctrina fidei determinata (regula fidei), canon S. Scripturæ et episcopatus vel hiérarchie[8]. G. *Krueger* docet, traditionem humanam sensim ad dignitatem divinam fuisse evectam, i. e. doctrinam ac instituta originis human® denique tanquam institutionis et auctoritatis divinæ fuisse declarata[4].

R. Sohin[5] tanquam ex concesso a suppositione procedit : christianismus primitivus non fuit catholicus, tamen germen affuit, ex quo ecclesia catholica oriretur.

1. A. Harnack, Ifesen *des Chrislentums,* 9-11. Vorlesung ;idem, *Entslehung und Enlwicklung der Kirchenverfassung : « Urchrislentum und Katholizismus,* p. 121-186 ; *Dogmengeschichte,* I.

2. R. Seeberg, *Dogmengeschichte,* 71 : « (Der Kirchliche Organismus) isl entslanden ais Umbildung der jüdischen Kirchen- und Gemeindeordnung... Es ist cine Tatsache, dass der Grundniss zum Bau der Katholischen Kirche nach dem Muster der Synagoge hergestellt isl », p. 199.

3. F. Loops, *Dogmengeschichte,* § 19.

4. G. Krueger, *Kirchengeschichte,* § 15.

5. Ipsum sequilur plus minusvo, O. Scheel, *Die Kirche ini Urchrislentum,* 1912·.

Similiter supponit : ecclesia esse nequit nisi corpus invisibile, « spiritu et fide » tantum connexum, solis charismatibus ordinatum : ecclesia est corpus mere « religiosum », minime autem iuridicum : civitas non terrestris, sed coelestis. Mox tamen christiani ecclesiam, ut est res religiosa, cum Ecclesia, quæ est institutum iuridicum, confundebant. Itaque ius (humanum) in Ecclesia introductum est, ecclesia empirica (vel corpus iuridicum) æquiparata et identificata est cum Ecclesia Christi. Inde Sohm tanquam causam et originem (simul tanquam essentiam, i. e. errorem fundamentalem) Ecclesiæ catholicæ ponit » deificationem iuris humani », sc. quod ius humanum, contra voluntatem Dei introductum, tanquam ius divinum teneatur[1].

Itaque protestantes doctrinam de divina institutione et constitutione Ecclesiæ catholicæ tanquam errorem et defectum principalem catholicismi declarant atque reprobant[2][3] Atque de facto hic stat quæstio fundamentalis inter catholicos et protestanticos. Inde simul doctrina modernistarum facile intelligitur, quippe quæ non est nisi forma specialis doctrinæ protestanticæ.

3. *Modernistæ* omnino institutionem divinam ecclesiæ catholicæ negant, immo tenent : « Alienum fuit a mente Christi

1. Kud. Sohm, *Wesen und Ursprung der Katholizismus,* 1909 ; idem, *Kirchenrechl,* 1892 ; contra disputat A. Harnack, *Entslehung und Enlwicklung der Kirchenverfassung,* 1910, p. 121-186.

2. Inde orta est apud protestantes quæstio de *essentia catholicismi.* Sensus quæstionis est, quid denique Ecclesiam catholicam ab aliis ecclesiis distinguat, quisnam sit error vel defectus fundamentalis Ecclesiæ catholicæ. Secundum diversam sententiam de origine Ecclesiæ catholicæ auctores aliter et aliter respondent. Tamquam essentiam catholicismi declarant : Krueger : traditionem divinam qua sc. doctrinæ et instituta humana tanquam originiset auctoritatis divinæ teneantur (l. c.), Sohm : ius ecclesiasticum divinum, sc. quod iura humanitus instituta tanquam ius divinum declaretur (l. c.) ; *Harnack :* hierarchiam, sc. quod magistratus humani tanquam auctoritatis et institutionis divinæ habeantur (Texte und Untersuchungen, II, 155). Denique tamen secundum omnes protestantes essentia catholicismi reponenda est in doctrina de institutione et constitutione divina Ecclesiæ catholicæ. Cf. F. Heiler, *Der Katholizismus,* 1923, p. 595-659.

3. Cf. Loisy, *Evangile et Egiise,* cap. iv.

Ecclesiam constituere veluti societatem super terram per longam sæculorum seriem duraturam ; quin immo in mente (Inisti regnum coeli una cum fine mundi iamiam adventurum erat[1] ». Admittitur tamen a Modernises *mediata* quædam institutio Ecclesiæ ex parte Christi inquantum vita religiosa a Christo inducta decursu temporum et evolutione quadam necessario ad ecclesiam constituendam perduxerit. Quæ doctrina in Encycl. *«Pascendi»* ita redditur[2] : « Ponunt eam (sc. Ecclesiam) ex duplici necessitate oriri, una in credenti quovis, in eo præsertim, qui primogeniam ac singularem aliquam sit nactus experientiam, ut fidem suam cum aliis communicet ; altera, postquam fides communis inter plures evaserit, in collectivitate ad coalescendum in societatem et ad commune bonum tuendum, augendum, propagandum. Quid igitur Ecclesia ? partus est conscientiæ collectivæ seu consociationis singularium ». In particulari *Loisy*[3] ponit iam pro tempore Christi « communitatem » quandam Christifidelium, cum distinctione inter collegium apostolicum et simplices discipulos, immo Apostolis potestatem quandam « ordinis socialis » attribuit. Post mortem Christi huiusmodi communitas formam societatis religiosæ capessivit. Itaque præsertim inter paganos communitates christianæ oriebantur ac mox ecclesiam a synagoga distinctam constituebant. Communitates regebantur per collegia presbyterorum, præsidente episcopo : quæ forma vel organisatio primitiva ac simplex successu temporum sese evolvit, roboratur. Præsertim ob variarum dissensionem sententiarum (Gnosticismus) unitas ecclesiæ atque auctoritas episcoporum, specialiter fomanorum, orta est. Ita secundum Loisy Ecclesia ex Evangelio orta nataque atque ipsi conformis esset[4].

IV. Status quæstionis. — Quæritur igitur, utrum *ipse Christus* Dominus Ecclesiam *instituerit,* sc. *tanquam veram societatem.*

1. *Decrel. Lament.,* prop. 52.
2. Cf. Denz., ɳ. 2091.
3. l. c.
4. De sententia sic dicta « charismatica » plura intra, art. 15.

Institutio voluntatem et actionem significat qua quis societatem quandam vult, ordinat et effective constituit, sicut e. g. S. Dominicus Ordinem Prædicatorum instituit. Institutio causam efficientem societatis significat. Ab institutione distinguitur *fundatio :* qua societas semel instituta vel constituta inter homines propagatur. Plerumque institutio et fundatio alicuius societatis coincidunt ; Ecclesia vero a Christo quidem iustituta, fundata vero ab Apostolis asseritur quippe qui societatem a Christo institutam ac constitutam inter homines propagarunt ac constituerunt, primum apud ludaeos (ecclesia Hierosolymitana), deinde apud ethnicos : ita adhuc nostris temporibus Ecclesia a Christo Domino instituta apud infideles propagatur ac novæ ecclesiæ particulares fundantur.

Societas (humana) definitur : « adunatio hominum ad unum aliquid communiter agendum[1]. » Ad societatem (humanam) .veri nominis constituendam requiruntur igitur : a) *multitudo* quædam hominum, ft) *unio* eorum (adunatio), non quidem mere materialis vel fortuita, sed intenta et formalis, adeoque moralis, c) in ordine ad *finem communem* et determinatum — unde secundum diversum finem societates multiplicantur[2] ; *d) communiter agendum,* i. e. non viribus vel mediis propriis tantum, sed maxime mediis societatis obtinendum : ad media societatis maxime *auctoritas* pertinet.

Christus dicitur *proximo et directe* Ecclesiam instituisse inquantum non tantum materiam præparavit (Christi fideles) nec tantum ideam, consilium vel mandatum Ecclesiæ instituendæ dedit, sed propria et expressa voluntate atque actione propria Ecclesiam instituit.

Non quæritur adhuc de natura intima et specifica Ecclesiæ, sed tantum, utrum secundum voluntatem ac decre-l uni Christi *societas veri nominis* fuerit instituta.

V. Inde Thesis est : Christus Dominus proxime ac directo Ecclesiam tanquam societatem veri nominis instituit.

1. S. Thomas, *Opusc. c. impugnantes religionem,* c. m.
2. S. Thomas, I. c.

ARTIC ULUS SEXTUS

Divina institutio Ecclesiæ probatur ex doctrina Evangelii de regno coelorum

Fatentibus, immo insistentibus adversariis[1], Christus doctrinam de Ecclesia maxime sub nomine regni coelorum ve.l regni Dei proposui!.. Neque aliter fieri potuit. Christus enim, proclamando, se esse Messiam praenuntiatum, explicare debuit ludaeis, quale foret regnum messianicum : quod omnes intelligebant sub nomine regni coelorum vel Dei. Inde primum argumentum erit ex doctrina de regno coelorum.

i. Argumentum. — Secundum Evangelium Christus tanquam opus proprium declarat, constituere regnum coelorum super hanc terram.

Atqui huiusmodi regnum coelorum :

a) est Ecclesia, et

b) societas veri nominis.

Ergo institutio Ecclesia· ut societatis veri nominis est opus proprium Christi, vel Christus directo et proxime Ecclesiam tanquam veram societatem instituit.

11. Prob. maior : Chiintus adventum regni Dei tanquam opus suum annuntiat-. ‹ Nullum dubium esse potest quin annuntiatio regni i odorum* sit. doctrina fundamentalis prindicutionis Christi[4] ».

I, Cf, Infra, a. ᵬ» «».

·. IImiimainn, *Ihm llilvh liollrn in ‹/‹·»· m. Sc.hri/t.* Bibi. Zt., Heft 4-h,'

.l Apud MI .....lui l'oiiiiinilvr regnum colorum », apud alios 10 uiigcilMlas regniiin ‖ l»«'l », quin apud ludaeos usus vocis l ion» » non erui Iu io iih u v l iidlno.

I, IIa iit ma inn, l. ‹·., p. 3; 8. Thomas : « Cum Christus statini In principio evuiigidicu· pnrdlcnlIonis dixerit : appropinquavit ll gnuin cirloriini, l nil issimuin est dicere quod Evangelium Christi non sit Evangelium regni ». 1· ll»®, q. evi, a. 4 ad 4.

In V. T. regnum Dei erat Israel, lahve eius rex *(Exod.,* xix, 6 ; xxxiv, 6 ; *Dt.,* vi, 4-10). Sed regnum novum in tempore futuro expectabatur : regnum messianicum : de quo omnes prophetae.

Huiusmodi regnum erit super terram, ante finem mundi, tamen etiam ad alteram vitam sese extendit. Sub variis figuris et metaphoris natura, status et conditio regni futuri describitur : regnum messianicum ad omnes nationes extenditur (Ez., xvn, 22-24 ; Dan., ii, 44 ; vu, 14) status religiosus et moralis erit alius, perfectior (Ez., xxxvi, 24-27 ; xxxvii, 23-28).

ludaei doctrinam prophetarum vario modo interpretabantur. Post exilium regnum sub imperio Thoræ vel Legis mosaicæ expectabatur ; literature nationalis regnum iudaicum et nationale, universum mundum complectens sibi repræsentabat ; literature apocalyptica ætatem novam ac meliorem ante finem mundi1.

In *N. T.* Joannes Baptista primus adventum regni coelorum tanquam instantem adnuntiat : « Pænitentiam agite quia 'prope est regnum coelorum » (Mτ., m, 1 s.). Parate viam Domini ! lesus autem declarat : tempus venit : « Exinde coepit lesus prædicare et dicere : pænitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum » (Mτ., iv, 17 ; cf. x, 7) ; « impletum est tempus et appropinquavit regnum Dei » (Mc., i, 15 ; Lc., x, 9, 11). Itaque Christus « circuibat totam Galilæam, docens in synagogis et prædicans evangelium regni » (Mτ., iv, 23 ; cf. Mc., i, 14; Le.·, vin, 1) ; immo declaravit : « Oportet me evangelizare regnum Dei qoia *ideo* missus sum » (Lc., iv, 43). Atque deinceps tota prædicatio Christi est de regno coelorum.

Variis modis Christus *naturam et conditiones* regni coelorum explicat. *Negative* expcctationein erroneam ludæorum reicit. Regnum coelorum neque erit regnum nationale vel politicum : « Regnum meum non est de hoc mundo » (Ioa., xvin, 36), neque erit regnum Legis mosaicæ — nam Christus dat novam legem, sc. Evangelii, veterem legem adimplet : « non veni solvere, sed adimplere » (Mτ., v, 17), neque erit regnum pure eschatologicum, sed e contra

1. I'. Lagrange, O. P., *Le Messianisme chez les Juifs,* Paris, 1909,

iam adest : « Ecce eniin regnum Dei intra vos est »(Lc.,xvn, 21), ab omnibus est amplectendum : « Quaerite primum regnum Dei » (Mt ., v i, 33).

Positive Christus regnum coelorum tanquam *regnum Dei, regnum supernaturale, in salutem hominum,* immo tanquam *mysterium* déclarât.

Regnum coelorum vel Dei est regnum vel *dominatio Dei* in hominibus : inde enim regnum coelorum vel Dei vocatur ; est regnum Christi : « Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater, regnum » (Lc., xxn, 29) — unde Christus se ipsum regem confitetur (Joan, x v iii, 37 ; Mt ., x x v ii, 11 s.) et Petro « claves regni coelorum » dare poterit (Mt ., x v i, 19).

Regnum coelorum est *regnum supernaturale* atque proprie *donum* Dei : « Placuit Patri, dare vobis regnum » (Lc., xii, 32) ; est in salutem spiritualem hominum quibus maxima bona affert et confert : in primis remissionem peccatorum, et quidem in forma nova (Joa., i, 29 : « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi » ; Lc. xxiv, 47 : « Oportebat Christum pati... et prædicari in nomine eius pænitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes », *Aci.,* n, 38 ; v, 31). Unde et ministri huius regni potestatem habebunt remittendi peccata (Joa. x x, 23). Media salutis praecipua erunt : baptisma in remissionem peccatorum (Mt ., iii, 11 ; xxvm, 19 ; Mc., i, 9 ; xvi, 16 ; Lc., ni, 16; Joa., i, 33 ; *Aci.,* n, 38), et Eucharistia (Mt ., xxvi, 28 ; Mc., xiv, 24 ; Lc., xxn, 19 s. ; Joa., v i, 54 ss.).

Deinde Christus *mysterium* regni coelorum (Mt ., x iii, 11 ; Le., vin, 10) variis ac multiplicibus figuris, metaphoris ac parabolis explicat, comparando regnum coelorum homini seminanti vel semini ipsi, grano sinapis, fermento, thesauro abscondito (Mt ., x iii per totum ; cf. Mc., iv, 30 ; Lc., xm, 18-22), homini rationem a servis suis exigenti (Mt ., x v iii, 23), patri familias operarios conducenti (Mt ., x x, 1), virginibus prudentibus et fatuis (Mt ., x x v, 1).

Regnum coelorum licet principaliter sit effectus et donum Dei, tamen *cooperationem humanam* subaudit. Regnum cielorum summo studio quaerendum est (parabola thesauri absconditi — Mt ., x iii, 44 ss.), « vim patitur » et violentes rapiunt illud (Mt ., x i, 12) ; conditiones ingressus in regnum' (‹riorum sunt determinatæ — poenitentia, fides, baptismus

(Le., xxiv, 47 ; Mc., xvi, 16) ; regnum cœlorum imitationem Christi et observantiam mandatorum Dei et ChVisti imponit (Mτ., vu, 21 ; χχνιιι, 20) ; denique regnum coelorum labore Christi et Apostolôrum diffunditur.

III. Prob. prima pars minoris : regnum cœlorum super hanc terram est Ecclesia.

n) Christus expresse regnum coelorum et Ecclesiam *identifical* : « Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo *ecclesiam* meam... et tibi dabo *claves regni cœlorum* » (Mτ., xvi, 18 s.)1.

Itaque Christus illud idem quod Ecclesiam vocat, modo vocat regnum coelorum2.

b) Christus nullum aliud regnum constituit praeter Ecclesiam ;

c) Cuncta quæ Christus de regno coelorum edocet, similiter de Ecclesia dicuntur ;

d) Vel ipsi adversarii identitatem « regni coelorum » et « Ecclesiæ » admittunt, licet negent, eiusmodi regnum cœlorum esse Ecclesiam catholicam vel quamcumque societatem humanam.

Tamen regnum cœlorum et Ecclesia super Petrum fundata *non ex loto* identificantur. Nam Ecclesia super Petrum fundata ad hanc terram et vitam pertinet: est enim fundata super Petrum, hominis huius vitæ et terræ, qui « super terrain » ligabit et solvet, — regnum vero cœlorum erit etiam post finem temporis et in æternum.

Unde Christus *duplicim statum* regni cœlorum distinguit : unum quidem in hac vita mortali et super terram : (piem proprie Ecclesiam nominat, et alium post hanc vitam in quo erit béatitude æterna in visione Dei. Distinguitur

1. Notentur iam hic duo contra illos (pii textum Mt. xvi, 18, 19, interpolatum dicunt. Primo sc. hic textus omnino consonat cæteris partibus Evangelii Matthaei de regno cœlorum ; secundo iste textus formam propriam Matthaei habet, sc. regnum *cœlorum* : interpolator romanus autem (ut communiter ab adversariis supponitur) non formulam vel expressionem iudaicam, sed aliam, græcis et romanis magis consuetam, elegisset.

2. Immerito adversarii praetendunt quod S. Augustinus istud primus vel solus supponat. Cf. Hartmann, l. c., p. 40.

denique *slalus finalis,* sc. cum ecclesia terrestris finem habtierit et sola ecclesia coelestis regnum coelorum vel Dei constituet, in quo statu simul erit resurrectio gloriosa corporum electorum : tanquam intermedium praecedet apparitio gloriosa Christi (παρουσία) et iudicium finale.

Itaque opus proprium Christi est constituere super hanc terram regnum caelorum quod est Ecclesia.

IV. Prob. altera pars minoris : regnum coelorum super hanc terram quod est Ecclesia, est societas veri nominis. — Prob. a) *Ex vi nominis : « Regnum »* coelorum sicut et « Ecclesia » (quahal) ex vi nominis societatem significat. Certe huiusmodi « regnum » regnum spirituale vel internum, sc. dominationem Dei et Christi super animas et corda hominum, non excludit, immo supponit, at simul organismum socialem exprimit : ita etiam regna terrestria unionem internam et spiritualem animorum quidem exigunt, tamen primo et essentialiter organismum socialem important. Huius regni Christus se regem declarat (Lc., xxiii, 3).

b) Ex natura regni messianici. Regnum coelorum est regnum messianicum quod tum vi nominis tum secundum prophetas naturam habebit veræ societatis.

c) *Ex parabolis et figuris quibus natura regni caelorum explicatur.* Omnes parabolæ et metaphoræ quibus Christus mysterium regni coelorum explicat, illud tanquam rem visibilem, organicam repræsentant, ut figura agri, seminis, sinapis, retis, vineae, fermenti, sagenae, thesauri absconditi, etc.

d) *Ex typo qui est synagoga.* Veritas figuræ correspondes debet. lamvero in V. T. figura et typus regni futuri erat synagoga, quæ societas veri nominis fuit. Multo magis igitur Ecclesia erit vera societas.

e) *Ex nomine ei praedicatis Ecclesiæ.* Christus regnum coelorum super hanc terram proprie vocat Ecclesiam : quale nomen vi significationis societatem importat. Unde et ædificabitur vel fundatur a Christo, est Christi ut domini vel capitis (« ecclesia mea »), est constituta in Petro, qui potestatem accipit (claves) et simul promissionem indefectibilitatis (« portæ inferi non prævalebunt »).

Conclusio. — Quæ cuncta, sive singillatim sive maxime collectim accepta, regnum coelorum super hanc terram adeoque Ecclesiam tamquam veram societatem demonstrant. Totum Evangelium Ecclesiam tanquam a Christo institutam personat : atque ita auditores Christi rem intellexerunt (sicut nec aliter intelligere potuerunt) et immediate post Christum Ecclesia ut societas a Christo instituta in historia, i. e. in rerum factis apparet.

V. Sententiæ contrariae de regno cœlorum. — Adversarii vim argumenti ex doctrina Evangelii de regno coelorum optime sentiunt : unde omnibus viribus istud argumentum per interpretationem contrariam eludere conantur. Duplex præcipue interpretatio contraria proponitur :

1° Regnum cœlorum est *regnum* mere *intrinsecum., morale el spirituale :* ita præsertim protestantes ;

2° Regnum cœlorum est regnum mere *eschatologicum* : ita præcipue modernistæ, at simul multi protestantes.

VU. Sententia regni mere spiritualis. — Secundum doctrinam *regni mere interioris et spiritualis* «regnumcœlorum» quod Christus intendit, est regnum morale, existit in cordibus hominum, fidelium, est communio interna animorum cum Deo. Secundum Harnack est experientia intima Dei, patris benigni.

Quoad hanc interpretationem notandum est : certo « regnum cœlorum essentialiter unionem cum Deo, renovationem moralem, unionem fraternam fidelium importat, attamen insuper unionem socialem et externam in vera societate quæ est Ecclesia — ut probatum est.

Argumentum adversariorum principale desumitur ex Lc., xvii, 20. 21 : « Non venit regnum Dei cum observatione ; neque dicent : Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est. » At illis verbis minime asseritur, regnum cœlorum fore *exclusive* in cordibus hominum, certe enim non asseritur quod sit in cordibus pharisæomin quibus Christus loquitur, — sed pharisaei edocentur quod regnum cœlorum non sit regnum politicum sicut ipsi exspectabant, et quod regnum mcssianicum iam sit præsens, iam apud ludaeos existens, utpote in Christo

Domino, in revelatione nova, in redemptione iam incepta etc. (Cf. Mτ., x i, 5).

Sabatier et *Harnack*[1] elementum sociale quidem legitimum tenent, tamen ut secundarium et *accessorium,* i. e. ad ideam et essentiam regni coelorum minime pertinens. — Attamen immerito organismum socialem tamquam elementum accessorium regni cœlorum declarant.

Ipse Christus tum elementum spirituale tum elementum sociale tanquam constitutivum regni coelorum statuit. Deinde « regnum Dei et cœlorum » primario non indicat motum subiectivum ‹,ordium versus Deum neque mutuam hominum amicitiam, sed dominium vel dominationem Dei et Christi super homines : quæ dominatio mediantibus formis socialibus fit (sicut et in ordine naturali mediantibus formis familiæ, dominii temporalis, societatis civilis). Denique Sabatier, Harnack et Sohm organismum socialem, præsertim auctoritatem in regno cœlorum tanquam elementum mere naturale et humanum adeoquc elemento spirituali omnino extrinsecum intelligunt, cum tamen totus apparatus socialis et præcipue potestas socialis in regno cœlorum tanquam ex institutione divina, tanquam ordinatio divina, tanquam effluxus dominii divini et instrumentum dominationis Dei præsentetur : atque tali sensu proprie Ecclesia divinitus instituta a catholicis asseritur[2].

VII. Sententia regni eschatologici. — 1. Secundum doctrinam *regni eschatologici*[3]. (H.-P. Reimarus, J. Weiss, A. Schweitzer, Schnitzer, Tyrell, Loisy) regnum cœlorum foret regnum *finale ei definitivum Dei,* quod cum fine

1. A. Sabatier, *Esquisse d'une philosophie de la religion,* Paris, 1897, l. II, ch. n ; *idem, De l'essence du christianisme,* cf. p. 183-194 ; A. Harnack, *Wesen des Chrislenlums,* 6. Vorlesung, Absch. 3.

2. Etiam regnum cœleste Christi est regnum ordinatum et sociale, licet ordinis superioris.

3. Sententia quæ dicitur eschatologica, est originis protestanticæ, immo rationalistic». Primus eam II. S. Reimarus proposuit : (« Von dem Zwecke Jesu und seiner Jünger », pubi, a Lessing, 1778) ; .l. Weiss et A. Schweitzer eam excoluerunt. Hodie quamplurimi protestantes eam tenent ac maxime modernist» : ultimo F. Heiler, *Der Kalholizismus,* p. 19 ss.

mundi coincideret, quem finem mundi Christus ut proxime instantem expectassct. Christus igitur ne cogitare quidem potuisset Ecclesiam per orbem terræ diffusam vel per sæcula duraturam ; e contra suasisset abdicationem mundi et spem gaudiosam proximæ victoriæ iustitiæ divina*[1].

2. Circa interpretationem istam *respondendum* est : Jesus certo non tantum statum regni cœlorum super hanc terram describit, sed simul statum in fine temporis et in aeternitate : ita finis mundi vel status eschatologicus includitur. At regnum cœlorum non *tantum* statum eschatologicum dicit : vel status in tempore ante finem mundi non excluditur ; e contra Christus regnum cœlorum ut ad tempus ante finem mundi pertinens edocet. Etenim regnum cœlorum *crescit* (parabolæ agri, seminis, grani sinapis, Mt ., x iii) ; regnum Dei transit ad *gentes* (Mt ., x x ii, 1 ss. : parabola convivii ; Mt ., xxi, 43 : « Dico vobis : quia auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius »; Mt ., x x v iii, 19 : « Euntes docete omnes gentes »; cf. Mc., xi, 17 ; x iii, 10 ; Lc., xxiv, 47) ; regnum Dei *bonos* et *malos* comprehendit, divites et pauperes, *tempus meriti et demeriti* (parabolai agri, seminis, zizaniæ, fermenti, sagenæ apud Mt ., x iii ; Mt ., x i, 12 : « regnum cœlorum vim patitur » ; Mt ., x x v i, 11 : « semper pauperes habebitis vobiscum ») ; immo tota figura ac præsertiin *lex* regni cœlorum (e. g. sermo dominicus in monte apud Mt ., v) periodum ante finem mundi indicat.

3. In *probationem* suæ interpretationis *modernistæ* sequentia adducunt.

a) Mt ., x , 23 ; xvi, 28 ; xxm, 36, 39 ; x x iv , 34 ; xxvi, 29, 64, Christus adventum suum gloriosum (parusiam) viventibus adhuc auditoribus indicit. *Respondetur :* Christus illis locis victoriam suam gloriosam prædicit, quæ victoria iam incipit in resurrectione gloriosa[1], in constitutione Ecclesiæ[3], per conversionem multorum ad fidem

1. Loisy, *Quelques lettres,* p. 237 : « .J'ai nié quo Jésus ait, à proprement parler, fondé une église avec ses organes de gouvernement et ses usages de culte... Le Christ n'a fait autre chose qu'annoncer l'avènement prochain du royaume des cieux. »

2. S. Thomas, *Cornent, in Mt.,* ad 10, 23.

3. *Idem,* l. c., ad 16, 28.

Christi[1], per sanctificationem hominum virtute ac meritis passionis Christi[2], tum denique in adventu glorioso in fine mundi perficietur. Ille igitur adventus Domini non tantum parusiam in fine mundi, sed simul gloriam Christi in hoc tempore indicat.

7) Christus solis ludaeis prædicare voluit : « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israæl » (Mτ., xv, 24), inde Apostolis præcepit : « In viam gentium ne abieritis» (Mt ., x , 5).

Resp. a) Ipse Christus homo solis ludaeis prædicavit, committendo tamen Apostolis : « euntes docete omnes gentes » (Mτ., XXVIII,· 19) ; *b)* antea quidem in missione quadam præparatoria et exercitiva Apostolos ad solos ludaeos miserat ; postea tamen Apostoli non in ludæa tantum prædicabunt, sed erunt « sal terræ » et « lux mundi » (Mτ., v, 13, 14) ; non enim soli ludaei audient verbum Dei, sed « multi ab oriente et occidente venient et recumbent... in regno coelorum » (Mτ., vin, 11). Inde Apostoli non tantum in synagis flagellabuntur, sed ad præsides et ad reges ducentur « in testimonium illis et *gentibus* » (Mτ., x, 17, 18). Ita « prædicabitur Evangelium regni *in universo orbe,* in testimonium omnibus gentibus : et tunc veniet consummatio » (Mt ., x x iv , 14), i. e. finis mundi.

c) Loisy in argumentum adducit messianismum ludæorum secundum quos regnum messianicum foret eschatologicum. At P. Lagrange[3], O. P., inter literaturam rabbinicam et apocalypticam ludæorum distinguit : in litteratura apocalyptica messianismus est eschatologie,us, sed tamen regnum ante finem mundi expectatur, in alia literatura messianismus nullo modo est cschatologicus : ita simul in textu Dan ., v ii, 13, a inodernistis adducto. Denique tempore Apostolorum communis fuit expectatio proximi adventus Domini, tamen omnes distinguebant etiam inter regnum cœlorum eschatologicum et temporale.

d) Denique fautores prædicationis eschatologicæ prætendunt, textus illos qui expectationi finis proximi mundi

1. *Idem,* l. c., ad 23, 36, 39,
2. P. Lagrange, O. P., in *Rev. bibi.,* 1906, p, 382-411.
3. *Le messianisme chez les Juifs.*

contrarii sunt, non esse verba Christi historici sed Christi fidei, i. e. exprimere sententiam conscientise christianæ posterioris temporis ; atque mentem veram Christi in solis fragmentis primitivis reperiri quæ tantum expectationem regni proximi enuntiarent.

ftesp. Negatur utraque pars, utpote gratis asserta. Christus enim ille « fidei », distinctus a Christo vero, est fictio ipsa ; similiter fragmenta illa primitiva probari nequeunt, saltem probari nequit, illa imminentem consummationem sæculi ennutiare1.

I. Cf. Lagrange, O. P., in *Rev. bibi.,* 1906, p. 382-411.

ARTICULIS SEPTIMUS

Institutio divina Ecclesiæ probatur ex voluntate Christi expressa, ex præceptis Christi et ex missione salvifica Christi

I. Argumentum. — Christus institutionem et naturam Ecclesiæ primo quidem sub figura regni coelorum declarat : idem tamen enuntiat :

A. *Manifestando* expresse *voluntatem.* Ecclesiæ instituendæ ;

13. *Praecipiendo* ea quibus Ecclesia constituitur ;

C. *Inculcando* missionem suam salvificam.

II. Probatur argumentum per partes,

A. Christus expresse declarat voluntatem instituendi Ecclesiam. — Ita in merito celeberrimo dicto Mt., xvi, 18 : « Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. » Quibus verbis Christus enuntiat :

a) est *Christi voluntas* explicita et definitiva quod Ecclesia instituatur, ædificetur, et quidam super Petrum ;

fi) huiusmodi Ecclesia erit Ecclesia *sua,* sc. ut instituentis et domini ;

γ) Ecclesia erit vera *societas,* ut patet ex vi nominis (supra, a. 6, n. 3, f.), ex promissione adiuncta (« portæ inferi non prævalebunt adversus eam »), ex potestate Petro conferenda (« tibi dabo claves regni coelorum »).

B. Christus ea præcepit quibus Ecclesia constituitur. — Christus a) omnibus hominibus eandem ac determinatam *fidem* præcepit; 3) eadem sacra *instituta* ordinavit ; γ) communem *auctoritatem* instituit; o) *distinctionem* Ecclesiæ *a synagoga* declaravit. Atque his omnibus Christus Ecclesiam instituit.

Consequens patet. Antecedens prob.

a) Christus omnibus hominibus *lotum Evangelium* ut *credendum* præcepit et imposuit. Mt ., x x v iii, 18-20, Christus Apostolis potestatum ac præceptum dat, « doce-

re oinnes gentes », « docere eos servare omnia quæcumque mandavi vobis ». Idem Mc., xvi, 15 ; quo loco adiungitur : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur » (v. 16). Etenim « qui solverit unum de mandatis istis minimis..., minimus vocabitur in regno coelorum » (Mt., v, 19). Quibus verbis Christus evidenter fidem unam eandemque omnibus credendam præcepit, tanquam legem communem'ac propriam regni coelorum vel Ecclesiæ.

(i) Christus determinata *sacra instituta* pro omnibus ordinavit : Ita principaliter baptismum : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit » (Mc., xvi, 16 ; cf. Joa., m, 3) ; deinde Eucharistiam : « Hoc facite in meam commemorationem » (Lc., xxii, 19) ; similiter solutionem et remissionem peccatorum per Apostolos et per Petrum (Mt., xvi, 19 ; xix, 18 ; Joa., xx, 23), correctionem per Ecclesiam (Mt., xvin, 15 ss.) et similia. Christus itaque ipse vitam socialem Ecclesiæ determinavit[1].

(γ) Christus visibilem auctoritatem instituit. Nam Christus primo *Apostolis* dat potestatem *docendi* omnes génies, iniungendo illis simul officium prædicandi Evangelium et inculcandi mandata Christi (Mt., xxvni, 19, 20 ; Mc., xvi, 15, 16). Deinde Christus Apostolis tribuit potestatem ligandi et solvendi in regno suo (Mt., xviii, 18 ; Joa., xx, ?3) ; similiter Petro specialiter eandem dat potestatem (Mt., xvi, 19 ; Joa., xxi, 15). Denique Christus generaliter \postolos eadem potestate instruit quam ipse a Patre accepit : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (Joa., xx, 21). Quidquid est de natura huius potestatis (utrum sc. sit potestas ordinis et sacramentalis an mera potestas gubernativa vel oeconomica), certa Apostolis ex voluntate ' Jiristi potestas Ecclesiæ gubernandæ competit.

o) Denique Christus multipliciter *distinctionem* novæ societatis religiosæ *a synagoga* manifestat. Etenim regnum cu lorum ut venturum annuntiatur dum synagoga iam adest;— Christus declarat se velle fundare Ecclesiam —

I. Quantum ad nostram quæstionem non agitur de natura intima l.nplismi, Eucharistiæ etc., sufficit ostendere quod Christus sacra qiiualnm instituta ordinaverit.

«super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam»(MT., xvi, 18), ideoque simul novam legem Evangelii prædicat, nova instituta ordinat ac novam auctoritatem instituit ; legem veterem quidem non solvit, attamen adimplet (Mt., v, 17) ; potestatem Apostolorum nullo modo synagogæ subordinat, sed e contra ipsi opponit — « Tradent vos in conciliis et in synagogis vapulabitis... propter me » (Mc., xiii, 9).

C. Institutio Ecclesiæ ex missione Christi salutifera sequitur. — Opus quod Christus perficiendum susceperat oportet esse perfectum ac conditionibus et necessitatibus hominum proportionatum. Atqui homo naturaliter *inclinatur* ad hoc ut in negotio communi societatem ineat, inde maximam carpit *utilitatem* ac denique societate ad finem suum consequendum *indiget :* inde enim tot inter homines instituuntur societates, usque ad magnas societates civiles. Opus vere quod Christus perficiendum susceperat, negotium commune respicit, sc. cultum Dei, salutem animarum ac denique religionem. Unde Christus mandatum et opus suum imperfectum reliquisset nisi homines in societatem religiosam coadunasset. Nec istam societatem aliis instituendam relinquere potuit : opus enim principale ad ducem ac principem pertinet et in aliis potestas et auctoritas debita deficit. Atque hac ex ratione Christus *ipse* regnum cœlorum vel Dei, i. e. regnum messianicum vel Ecclesiam, instituere ac constituere voluit.

III. Corollarium : de serie actionum quibus Christus Ecclesiam instituit[1]. — Ex prædictis sequitur, Christum multiplici actione Ecclesiam instituisse.

1° Christus Ecclesiam instituendam *præparat :*

a) annuntiando adventum regni cœlorum et ædificationem Ecclesiæ (cf. art. 6) ;

b) declarando adimpletionem V. T. (Mt., v, 17) ;

c) *explicando* naturam, privilegia et officium Ecclesiæ (parabolæ) ;

d) vocando duodecim quos postmodum in rectores Ecclesiæ institueret.

1. Cf. Schill, *Theol. Prinzipienlehre,* § 64 ; Groot, l. c., q. n, a. 4.

2° Christus Ecclesiam *instituit :*

a) conferendo Apostolis potestatem (Mt ., x x v ih , 18 ss.),

b} instituendo Petrum ut caput Ecclesiæ (Joa ., x x i, 15 s.) ;

c) tradendo Apostolis regnum suum (Lc., xn, 29 ; Joa , xx, 21) ;

d) *sanctificando* Ecclesiam per orationem ac denique per sacrificium crucis (Joa ., x v ii, 19) ;

e) *promittendo* assistentiam suam usque ad finem mundi (Mt ., x x v iii, 20) ;

/) mittendo Spiritum Sanctum promissum in die Pentecostes *(Act.,* c. n).

Proprie et *definitive* Ecclesia instituta fuit cum Christus Petrum pastorem ovium suarum instituit et apostolis potestatem suam delegavit et regnum suum tradidit ; missio vero Spiritus S. eSt complementum quoddam ultimum Ecclesiæ, quasi sigillum ccelitus impressum.

IV. Obiectiones, — Adversarii vim argumentorum diversimodo eludere conantur.

Obiectio 1a. Vim primi argumenti A., sc. ex declaratione expressa voluntatis Ecclesiæ ædificandæ, adversarii effugere conantur, interpretando nomen « Ecclesia » in sensu societatis mere internæ vel spiritualis vel psychologies.

Besp. 1. Nomen « Ecclesiæ » (quahal) vi significationis propriæ et ex usu communi veram societatem humanam significat (cf. art. 4).

Besp. 2. Christus declarat voluntatem ædificandi Ecclesiam supra Petrum atque ideo Petro fit promissio potestatis et assistentiæ divinæ. lamvero hoc nullum habet '•risum si « Ecclesia » meram unionem spiritualem vel i ll ternam significaret.

Besp. 3. « Ecclesia » certe simul unionem quamdam inlernam significat, sc. in fide, in oboedientia erga Christum, hi participatione gratiæ, etc. (ut ex argumento apparet), nt *non exclusive,* sed unionem internam simul et externam, i ‹I. in vera societatel.

I. Ifise *Harnack* (contra Sohm) insistit quod « Ecclesia » non «ni rus pure spiritualis absque corpore sociali, quod « Ecclesia » miti tantum « ideam » vel numerum iustorum sive prædestinato-

Obiectio 2a. Contra argumentum B. opponitur, Christum nullam fidem determinatam, nulla sacra instituta communia, nullam communem potestatem instituisse.

Besp. Haec exceptio sufficienter per argumenta adducta est explosa ac infra (art 13-16) adhuc magis refutabitur.

Obiectio 3a. Contra illud quod Christus distinctionem Ecclesiæ a synagoga docuerit et institutionem novæ societatis religiosæ intenderit, opponitur quod Christus legem mosaicam observavit, auctoritatem scribarum et sacerdotum legitimam declaravit.

Besp. Lex mosaica et per consequens auctoritas synagogae in suo vigore permansit usque ad mortem Christi vel usque ad constitutionem definitivam ac completam Ecclesiæ. Observavit autem hanc legem Christus ut Tudaeus qui circumcisionem acceperat. Ad rem S. *Thomas,* Sum. Theol., III, q. xl, a. 4 : « Christus in omnibus secundum legis præcepta conversatus est. In cuius signum etiam voluit circumcidi : circumcisio enim est quædam protestatio legis implendæ.(*Gal.,* v, 3). Voluit autem Christus secundum legem conversari : *primo* quidem ut legem veterem approbaret ; *secundo* ut eam observando in seipso consummaret et *terminaret,* ostendens quod ad se ipsum erat ordinata ; *tertio,* ut ludaeis occasionem calumniandi subtraheret ; *quarto,* ut homines a servitute legis liberaret. » Cf. III, q. xxxvii, a. l ; III, q. xlvii, a. 2 ad l ; I, II, q. cvn, a. 2.

Adversarii instant : Christus asserit se non venisse ad abolendam legem mosaicam (Mt., v, 17-19).

Besp. Christus voluit inculcare : « Necesse est *impleri* omnia quæ scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis *de me* » (Lc., xxiv, 44). Ad rem iterum S. Thomas : « Christus non venit solvere quia spiritualité!' *implevit.* Implevit autem primo moralia...; secundo cæremonialia, figurarum velamen detegendo... ; tertio prophetias in se completas ostendendo... ; quarto promissiones con-

rum dicit, sed simul societatem (« KOrperschaît ») et quod organistnus socialis ad essentiam « Ecclesiæ » pertinet (Entstehung mid Entwicklung der Kirchenverfassung, p. 149 s.) : « *Das Genossvnschaftliche, Korporalive kann auch vom sublirnsten Begriff der Kirche nicht gelrennl werdetf »,* l. c., p. 150.

linnando... ; quinio iudicialia per misericordiam temperando... ; sexto consilia addendo... ; septimo promissiones omnes eis factas de Spiritus Sancti missione et Filii incarnatione persolvendo ». Comment in Matth., v, 17 ss. Cf. Ia l lae, q. cvn, a. 2.

Harnack (l. c.), verba Christi increpatoria in pharisæos (Mτ., χχπι), tanquam argumentum adducit. At immerito. Nam Christus quidem vilia pharisæorum increpat, minime vero potestatem sacerdotum, synedrii vel synagogæ negat, certo minime characterem socialem et institutionem synagogæ. Quo ergo iure Harnack concludit, Christum regnum mere ideale intendisse ?

Harnack- iterum argumentatur :.Christus nullam mutationem intendit (« Christus hat an keine Acnderung gedacht »). *Respondetur* breviter : certo Christus minime intendit mutare conditiones *politicas,* conditionem vero *religiosam* quam maxime mutare voluit..Harnack nihil aliud probat nisi quod Christus imperium civile erigere noluerit.

Obiectio 4a. Ad argumentum ex missione salvifica Christi quidam respondent, negando *possibilitatem societatis religiosae « iuridicæ* ». Ita præsertim *R. Sohml* qui sic argumentatur : Omnis societas vincula iuridica importat. Atqui Ecclesia et ius sunt incompatibilia, quia ecclesia creditur, non vero videtur et ecclesia invisibilis necessario extra limites iuris ponitur. Ergo institutio Ecclesiæ socialis a priori excluditur.

Resp. Ius mere *humanum* incompatibile est cum Ecclesia, transeat ; ius *divinum,* nego. Errat autem Sohm, non reflectendo nisi ad ius humanum, auctoritate sc. et evolutione humana introductum. Ad subsumptionem negatur suppositum, quia Sohm Ecclesiam supponit tanquam merum numerum iustorum vel prædestinatorum : talis ecclesia certo est extra « ius » posita, non tamen ecclesia quæ est vera societas humana[2].

1. B. Sohm, *Wesen und Ursprung des Katholizismus,* 1909 : idem, *Kirchenrecht,* 1892 ; contra Sohm scripsit A. Harnack, *llntstehung und Enlwicklung der Kirchenuerfassung,* p. 121-186.

2. Vel ipse *Harnack,* l. c. p. 144-155, Sohm opponit : a) in tota historia ius cum religione intime est connexum ; *b)* ius non tanluin obligationem externam (ius formale) sed simul voluntatem

Obiectio 5a. Alii religionem tanquam *rem privatam* et subiectivam considerant in qua societas intervenire non possit.

Besp. Religio, i. e. cultus et amor Dei, fides et servitus Dei actus quidem personales eosque intimos exigit, tamen ad illos recte perfecteque eliciendos homo a societate adiuvatur eaque indiget ; insuper religio non tantum actus internos, sed et externos habet ; denique religio est quidem res privata inquantum est bonum ipsius hominis religiosi : at ad hoc bonum consequendum et perficiendum homo societatis auxilio utitur, sicut in aliis bonis personalibus consequendis. Atque ex hac ratione Christus societatem religiosam instituit.

Ex adverso *Modernistæ* peccant. Ipsi quidem necessitatem societatis religiosæ admittunt, attamen hanc necessitatem tanquam mere *subieclivam* intelligunt.

Necessitas tamen societatis religiosæ est simul obiectiva, i. e. ad ipsam religionem adiuvandam et perficiendam. Unde Christus, ut perfectam religionem institueret, in propria persona societatem religiosam instituére debuit.

Modernistæ sicut et multi alii adhuc ex *alio capite* peccant. Admittunt quidem necessitatem associatiationis religiosæ fidelium, originem vero vel institutionem huiusmodi societatis vel organismi socialis ad Christum reducere refutant ; unde originem Ecclesiæ evolutioni historicæ, i. e. hominibus attribuunt. Quodsi tamen institutio Ecclesiæ inclinationi naturali hominum respondet, immo indicio communi necessaria censetur, cur denique institutionem Ecclesiæ Christo ipsi denegant ? Certe auctoris alicuius religionis est, providere de iis quæ ad religionem illam necessario pertinent, sicut est munus fundatoris regni alicuius ut ipsi det formam ac constitutionem. Et Christus ad hoc missus est ut regnum coelorum super hanc terram constitueret !

Ultima denique ratio ob quam adversarii divinam Ec-

internam ad reddendum ius respicit ; c) conceptus Sohm quo « ecclesia » ut res pure spiritualis, absque ullo organismo sociali et externo concipitur, est contrarius conceptui antiquorum, immo contrarius ipsi notioni « ecclesiæ », quia « ecclesia » non tantum ideam communem nec tantum numerum prædestinatorum, sed simul et essentialiter societatem dicit.

desiæ institutionem admittere nolint, est timor ecclesiæ *hierarchicæ :* nam Ecclesia a Christo instituta, Ecclesia quæ est regnum coelorum vel Christi, necessario erit hierarehice constituta. At de hac re infra, a. 13-16.

V. Conclusio. — Optime igitur docet *Leo* ***XIII*** *:* « Quapropter mortales lesus Christus, quotquot essent, ‹l quotquot essent futuri, universos advocavit, ut ducem se eundemque servatorem sequerentur, non tantum seorsum singuli sed etiam consociati atque invicem re animisque iuheti, ut ex multitudine populus existeret iure sociatus; fidei, finis, rerum ad finem idonearum communione unus, uni eidemque subiectus potestati. Quo ipse facto principia naturæ quæ in hominibus societatem sponte gignunt, perfectionem naturæ consentaneam adepturis, omnia in Ecclesia posuit, nimirum ut in ea, quotquot filii Dei esse adoptione volunt, perfectionem dignitati suæ congruentem assequi et retinere ad salutem possent. Ecclesia igitur dux hominibus est ad coelestia eidemque hoc est munus assignatum a Deo ut de iis quæreligionem attingunt, videat ipsa et statuat et rem Christianam libere expediteque iudicio suo administretl. »

l Encycl. *Satis cognitum* (de unitate Ecclesiæ), 29 lunii 1896.
l il l lenior, IV, 269 s.

ARTICULUS OCTAVUS

Divina institutio Ecclesiae probatur ex Ecclesia Apostolorum et specialiter ex Ecclesia Hierosolymitana

Supposito quod Christus Ecclesiam instituerit, illa necessario in doctrina et in actis Apostolorum apparere oportet. Id quod de facto accidit ac facile probatur, licet contradicentibus adversariis. In hoc articulo ostendemus : primo factum generale *Ecclesiæ Apostolorum,* secundo factum *Ecclesiæ Hierosolymitanae;* in art. sequenti ecclesias et doctrinam Apostoli Pauli et aliorum Apostolorum examinabimus. Inde patebit : *Aposloli Ecclesiam tanquam institutum Christi considerabant ac propagabant.*

I. Factum generale existentiæ Ecclesiæ Apostolorum. — Ex Actibus Apostolorum et ex epistulis eorundem manifeste constat *facium historicum : immediate post Christum Ecclesia lum in doctrina lum in faclis Apostolorum apparet,* lluiusmodi factum probatione vix indiget : nam omnes paginæ Act. et epistularum Apostolorum, præsertim Pauli, Ecclesiam resonant. Nomine vero Ecclesiæ vel ecclesiarum designantur *coelus Christianorum* historici, in conspectu Apostolorum existentes : atque illi cœtus, prout inter homines existunt, dicuntur Ecclesia vel ecclesiæ Christi vel Dei, minime vero tanquam institutum humanum considerantur. Ita ecclesia Hierosolymitana consideratur tanquam multitudo fidelium qui adhærent Apostolis a Christo electis et constitutis *(Aci.,* n, 41 s.), in eam Spiritus S. descendit *(Ad.,* c. n), Dominus quotidie numerum credentium auget *(Aci.,* n,47), hoc institutum est annuntiatum a prophetis *(Aci.,* m, 24), est testamentum Dei *(Ad.,* m, 25), ad illud pertinere oportet tanquam ex voluntate Dei *(Act.,* π, 38-baptisma), utpote quia Deo oportet oboedire magis quam hominibus *(Ad.,* v, 39).

Paulus Ecclesiam expresse vocat Ecclesiam Dei *(Aci.* xx,

28 ; ***I Cor.,*** i, 2 ; x, 32 ; xi, 16 ; xv, 9 ; ***II Cor.,*** i, 1 ; *Gai.,* i, 13 ; Phil., ni, 6 ; ***II Thess.,*** i, 4 etc.) ; unde seipsum accusat tanquam persecutorem Ecclesiæ Dei *{Gal.,* i, 13 ; ***I Tim.,*** i. 13), sicut et Christus ipsum alloquitur : « Saule, Saule, quid *me.* persequeris *{Act.,* ix, 4).

Adversarii obiciunt, ecclesias particulares tanquam imagines ecclesiæ spiritualis consideratas fuisse ; imino Sohm invertit argumentum, vitio christianis primitivis dando, quasi non valuissent distinguere inter communitatem empirii o-historicam et ecclesiam christianam in sensu religioso.

At *primo :* ecclesiæ particulares vere sunt, quidem imagines Ecclesiæ spiritualis, sc. coelestis, immo quodam sensu etiam Ecclesiæ universalis, tamen supposito quod sint ecclesiæChristi vel partes Ecclesiæ universalis; *secundo:* ecclesiæ particulares ipsæ vocantur ecclesiæ Dei, ut ecclesia Corinthiorum, Thessalonicensium, Hierosolymitana — quam persequens Paulus factus est persecutor Ecclesiæ Dei ; *tertio :* Sohm falso supponit quod christiani *omnes* tanquam prædestinati vel sancti (effective et subiective) considerabantur vel quod omnes fuerant certi de sua æterna salute, ita ut inde ad ecclesiam spiritualem, i. e. prædestinatorum, electorum vel sanctorum, pertinerent. Per modum quidem cuiusdam suppositionis membra Ecclesiæ tanquam sancti et electi considerabantur "t magna spes et fiducia salutis æternæ regnabat, et quidem merito ; proprie autem christiani dicuntur sancti et electi obiective, sc. ut pertinentes ad ecclesiam sanctam, ut habentes media salutis, ut baptizati, ut electi ad cognitionem fidei, ut domestici Dei. ut participantes in auxiliis gratiæ per quæ erant salvandi : in his omnibus autem supponitur quod illi, ad veram Ecclesiam Dei perlinerent. Itaque ad obiectionem Sohm respondendum est : christiani optime inter populum Dei electum, i. e. prædestinatos, et membra Ecclesiæ distinguebant, licet non in sensu calvinistico ut Sohm.

II. Ecclesia Hierosolymitana. — Prima Ecclesia quæ nobis in historia occurrit, est ecclesia hierosolymitana, quæ proprie est ecclesia *primitiva* et per c. xn annos unica

ecclesia : cuius historia habetur in Actibus Apostolorum (prima pars).

1. *Ecclesia Hier, esi proprie ecclesia ut societas.* — Communitas Christianorum quæ erat Hierosolymis proprie et regulariter vocatur *Ecclesia {Act.,* v, 11 ; vu, 38 ; vm, 3 ; ix, 31 ; xi, 22, 26 ; xn, 1,5; xin, 1 ; xiv, 22, 26 ; xv, 3, 4 ; xxii, 41 ; xvi, 5 ; xvm, 22 ; xix, 32, 39, 40 ; xx, 17, ^18). Ista Ecclesia habet proprium quod per *omnes* Apostolos *simul* cum Petro capite regitur. Unde Apostoli enumerantur (i, 13), numerus eorum per electionem Mathiæ suppletur ut ipse accipiat « locum *ministerii* huius et apostolatus » (i, 25), Apostoli convocant multitudinem (vi, 2), recipiunt et dividunt bona communia (iv, 35, 37 ; v), dividunt ministeria, impositis manibus (vi, 6), repræsentant Ecclesiam, ut Petrus in die Pentecostes-certe non ut delegati vel commissarii communitatis vel in potestate a communitate accepta sed ut Apostoli, quos sc. Christus elegerat et miserat (i, 2). Utique et presbyteri in partem consilii et administrationis accipiuntur, secundum sc. morem iudaeorum, tamen ipsi Apostolis non æquiparantur, immo ab illis semper distinguuntur (xi, 30 ; xv, 2, 4, 6, 22, 23 ; xvi, 4 ; xxi, 18). Diaconi vero per impositionem manuum Apostolorum ministerium obtinent *{Aci.,* c. vi). Apostoli quoque, orta quæstione necessitatis circumcisionis determinant, quid sit tenendum (c. xv). Fideles vero « erant perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus » (n, 42). Proprium denique Ecclesiæ Hier, est quod « omnes qui credebant, erant pariter et habebant omnia communia » (ii, 44 ; iv, 32).

2. *Ecclesia Hierosol. habet fidem fixam, determinatam et obligatoriam.* — Apostoli docent et imponunt tanquam obligatoriam fidem in Christum ut qui resurrexit a mortais (ii, 24-32), a quo est donum Spiritus S. (n, 33 s.), qui est Dominus et Christus, i. e. Messias, salvator (v, 31), auctor vitae (m, 15), per cuius gratiam credunt salvari (xv, 11), extra quem non est salus (iv, 12) ; simul credenda est necessitas pænitentiæ et baptismi in remissionem peccatorum (n, 38). Inde denique tota doctrina Christi et Apostolorum credenda proponitur. Ista fides est proprie obii-

gatoria. Nam « omnis anima quæ non crediderit prophetam illum, exterminabitur a plebe » (m, 23). Ex sua parte Apostoli nil adnuntiant nisi « quæ vidimus et audimus » (iv, 19 ; v, 32). Inde non admittuntur nisi « credentes ». Itaque fideles « erant perseverantes in doctrina Apostolorum » (n, 42). Samaritani crediderunt « Philippo evangelizanti de regno Dei»et «in nomine lesu Christi baptizabantur » (vm, 12) ; similiter eunuchus æthiops ad quæstionem : « Credis ex toto corde » ; respondet : « Credo, Filium Dei esse Jesum Christum » (vm, 32). Nec prætereunda est conversio Pauli ad fidem Ecclesiæ istius.

3. *Ecclesia Hierosol. habet media sanctifica propria.* — lustificatio et sanctificatio non fit tantum per operationem invisibilem Spiritus S., sed mediante operatione Apostolorum et signis determinatis mediantibus. Ita principaliter habetur *baptismus,* et quidem tanquam conditio primaria ad « remissionem peccatorum » ; ut in die Pentecostes (m, 37-41), apud Samaritanos (vm, 5-16), in eunucho (vm, 36-38), Paulo (ix, 181, Centurione Cornelio (x, 47 ss.). Huiusmodi baptisma optime a baptismo Johannis distinguitur (xvi ; xix, 1-5) et multo magis a baptismo iudæorum et confertur « in nomine lesu », i. e. in virtute Christi, et credentibus in Christum. Accedit *impositio manuum* Apostolorum ad conferendum Spiritum Sanctum (vm, 17; ii, 38). Fideles « erant perseverantes in communicatione fractionis panis et orationibus » (it , 42, 46).

4. *Ecclesia Hierosol. erat societas distincta et independens a synagoga.* — Distinctio a synagoga apparet : a) ex distinctione *nominis* : ecclesia-synagoga ; *b)* ex *diversitate fidei :* Christiani lesum credebant tanquam Messiam, doctrinam Christi et Apostolorum tenebant, salutem per Christum et per media ab ipso instituta sperabant (baptisma), ludæi vero omnia huiusmodi respuebant ; c) ex diversitate *mediorum sanctificationis* et salutis : Christiani per baptismum, fractionem panis, pænitentiain christianam salutem consequi sperabant, dum ludæi per media legis Moysis salvare conabantur ; d) ex diversitate *auctoritatis :* ludæi summos sacerdotes tanquam auctoritatem recognoscebant et quideip ex institutione legis mosaicæ, christiani vero Apostolos sequuntur, et quidem ex auctoritate et

institutione Christi, quam Judæi respuunt;e) ex *admissione gentilium* : apud iudæos gentiles poterant esse proselythi tantum, apud Christianos vero gentiles tanquam æquales admittuntur, et quidem quin ad observandam legem obligarentur (Cornelius) (x, 14, 28, 34, 35, 45 ; xi, 2, 3, 18, 22 ; xv, 1) ; *f*) ex *persecutione* Ecclesiæ per synagogam et resistentia Apostolorum : etenim Apostolis non licuisset decretis synagogæ resistere si eam adhuc tanquam legitimam auctoritatem agnovisscnt-nunc autem respondent : « Obædire oportet Deo magis quam hominibus » (Ac/., v, 39) ; *g)* denique ex successiva *separatione* effectiva et definitiva a synagoga : non obstante distinctione Ecclesiæ a synagoga, non statim sed successive facta est separatio ; sicut Christus et Apostoli in templo oraverant atque legis præcepta, utpote a Deo data, observaverant, ita et primi christiani legem observare poterant, dummodo spem salutis in ea non ponerent et Ecclesiæ adhærerenl. Postmodum vero facta est separatio definitiva, præsertim per admissionem gentilium absque circumcisione et per decretum Concilii Hierosolymitani (Ac/., xv, 1 ss.).

III. Inde falsitas sententiæ adversariorum apparet. — Expositis enim non obstantibus, adversarii negant existentiam ecclesiæ apostolicæ ut veræ societatis in sensu ecclesiæ catholicæ.

Secundum *Sabatier* communitas christiana quæ fuit in Jerusalem, nondum a communitate iudæorum distinguebatur, sed erat quædam adunatio iudaeorum piorum. Isti Christiani erant enthusiasmo pleni, nullam aliam regulam fidei vel morum habentes quam inspirationem privatam, sequentes tantum influxum immediatum, interiorem ac mirabilem Spiritus S. Itaque christianismus primitivus fuit « religio spiritus », nondum « religio auctoritatis », i. e. nondum Ecclesia proprie dicta1.

Secundum *Harnack* discipuli Christi communitatem quandam (Gemeinde) constituerunt, tanquam associationem cultus (« gottesdienstlicher Verein »), non quidem ut

1. A. Sabatier, *Les religions d'autorité et la religion de l'esprit,* l. I, ch. π ; idem, *'Église,* p. 47 ss.

ex institutione et mandato Christi, sed ut factum historicum. Huiusmodi associatio tribus elementis constituta fuit : a) inquantum omnes Christum tanquam « dominum viventem » considerabant ; *b)* inquantum unusquisque religionem vere » vivebat » ; c) inquantum omnes propter expectationem instantis parusiæ domini vitam sanctam in castitate et fraternitate duxerunt. Harnack quidem in ecclesia Hierosol. quasdam institutiones iuridicas admittit, s··. institutiones a synagoga acceptas, «ordinem » regni messianici, « prærogativas » Apostolorum et Ecclesiæ, at organismum a Christo institutum negat[1].

At falsitas huius sententiæ facile apparet. Nam 1) primitivi christiani non fuerant, « iudæi » nisi quantum ad nationalitatem, sed habebant religionem distinctam a religione mosaica ; 2) aliam regulam fidei habuerunt quam inspirationem privatam; 3) Spiritus S. ipsis datus est consequenter ad promisionem Christi,- ad orationem et maxime ad impositionem manuum Apostolorum (Sabatier) ; 4) unio non fuit tantum in spiritu interno vel caritate fraterna, sed simul et quam maxime in exercitiis externis, in baptismo et eucharistia, in doctrina Christi et Apostolorum. in auctoritate Apostolorum (Harnack, Sabatier) ; 5) primitivi christiani uniti quidem erant in Christo, sed tanquam in Messia, Domino, salvatore Deo : « per gratiam Domini lesu Christi credimus salvari » *{Aci.,* xv, 11); 6) unusquisque quidem religionem «vivebat », sed religionem a Christo edoctam et per Apostolos propositam; 7) sanctam vitam duxerunt, sed non tantum propter expectationem parusiæ proximæ, sed propter fidem et amorem in Christum ; 8; non negatur « enthusiasm! s », sed qui est non tantum subiectivus, sed simul obiectivus, fundatus sc. in fide, spe et caritdte, qui est fructus effusionis Spiritus S. et *intra Ecclesiam.*

IV. Conclusio. — Ecclesiæ igitur Apostolorum et maxime ecclesia Hierosolymitana demonstrant : a) *exislentiam*

I. A. Harnack, *Enlslehung und Enlwicklung der Kirchenver-/asxung,* p. 5-30; idem, VVesen *des Christenlums,* 9, art. 11. Vorlosung.

Ecclesiæ ut veræ societatis in tempore Christum immediate subsequent! ; b) *fidem* Christianorum primitivorum in Ecclesiam, se. quod Ecclesia ad instituta Christi, ad doctrinam et religionem Christi pertineat, quod Ecclesia sit « regnum cœlorum » a Christo annuntiatum ». Atque ita ecclesiæ et doctrina Apostolorum institutionem divinam Ecclesiæ testificantur.

l

ARTICULUS NONUS

Institutio divina Ecclesiæ probatur ex doctrina et ecclesiis S. Pauli aliorumque apostolorum[1]

I. Argumentum. — S. Paulus Apostolus :

a) Fundat et *constituit ecclesias* fidelium quos ad fidem Christi converterat ;

b) Illas ecclesias *tanquam Apostolus Christi regit et gubernat* ;

c) Ecclesiam universalem sicut ecclesias particulares tanquam *Dei et Christi* declarat ;

d) Ecclesiam vocat *corpus Christi* vel corpus cuius caput est Christus;

e) Ecclesiam *domum et templum Dei* nominat;

/) Ecclesiam tanquam *sponsam* Christi prædicat.

Atqui his omnibus Paulus Ecclesiam tanquam institutum divinum declarat.

Ergo Paulus institutionem divinam Ecclesiæ testificatur.

II. Prob. maior per partes.

a) Paulus fundat et constituit Ecclesias fidelium quos ad fidem converterat. — Secundum Act. et epistulas Pauli nullum dubium esse potest quin Paulus fideles quos ad fidem Christi converterat, non tantum fide et amore in Christum nec tantum amore mutuo unierit, sed simul ligamine sociali et religioso, sc. ecclesiastico : id quod etiam per testimonia historica aliorum comprobatur, sicut nequidem ab adversariis negatur.

Ita Paulus ipse nominat ecclesiam quæ est Corinthi *(/ Cor.,* i, 2 ; ***II*** *Cor.,* i, 1), ecclesiam Thessalonicensium

I. Du Prat, *La théologie de saint Paul.* J. Vosté, O. P., *Commenlarius in ep. ad Ephes.,* p. 40-48 ; H. Dieckmann, *Die Verfassttng der Urkirche,* 1923, p. 1-44 ; Dunin-Borkosowski, *Zur Ver-/assungsgeschichle der allen Kirche* in Z f K Th, 27 (1903) ; H. Bruiiius, *Die Verfassung der Kirche von den ersten lahrzehnten der apaslolischen Wirksamkeit an bis zurn lahre* 175 (1904).

(/ Thess., i, 1), Laodicensium *{Col.,* iv, 16), ecclesias Galatiae *{Gai.,* i, 2), .Macedoniae *{II Cor.,* vin, 1) et Asiæ (/ *Cor.,* xvi, 19) : ipsi, « sollicitudo omnium ecclesiarum » incumbit *{11 Cor.,* xi, 28).

Atque Paulus, ecclesias constituendo, *minime* aliquid *innovare* intendit, sed sequitur exemplum aliorum apostolorum qui ecclesiam Hierosolymitanam, ecclesias ludææ *{Gal.,* i, 22) et ecclesiam Antiochenam *{Aci.,* xni, 1) constituerant.

Denique Paulus omnes huiusmodi ecclesias tanquam partes et membra unius Ecclesiæ considerat, ad quam omnes fideles pertinent : ideoque omnes ecclesiæ particulares eandem constitutionem habent sicut eandem fidem et eadem media sanctifica.

Protestantes igitur moderni omnino ordinem rerum pervertunt. Prætendunt enim, hoc esse opus Pauli proprium quod ecclesias a synagoga distinctas creaverit atque deinde ecclesias particulares in unam ecclesiam collegerit, saltem idealiter. Res tamen e contra se habet. Nam primo ecclesia Hierosolymitana et Antiochena priores sunt quam ecclesiæ a Paulo fundatae ; secundo Paulus minime ecclesias particulares in unam ecclesiam quasi colligit, sed ecclesiam unam in plures ecclesias particulares quasi dispertit. Inde enim lit ut Paulus cunctos fideles, ecclesias domesticas (Λοζη., xvi, 5; *Philem.,* n ; /Cor.,xvi, 19) sicut ecclesias particulares civitatum et regionum tanquam partes et membra unius Ecclesiæ consideret[1].

b) Paulus ecclesias a se fundatas regii lanquan' apostolus Christi. — Nullum dubium quin Paulus ecclesias suas gubernaverit. Id quod omnes epistulæ Pauli testificantur. Administrat enim Paulus ecclesias tum personaliter praesens tum absens per epistulas tum per suos delegatos, ut per Titum et Timotheum quos de modo administrandi ecclesias per epistulas instruit, tum per « episcopos, presbyteros et diaconos » a se institutos ; immo hoc videl ur esse proprium in S. Pauli ecclesiarum organisatione quod Pa jlus

1. Ipse *Harnack* confitetur : « Die Entwicklung geht zunachst vom Ganzen zum Teii. » Entstehung... der Kirchenverfassung, p. 38.

omnes ecclesias a se fundatas sibi administrandas reservaverit : id enim testificantur suæ epistulæ et « sollicitudo minium ecclesiarum » (*// Cor.,* xi, 28) quæ ipsum premit1.

lamvcro Paulus non tanquam mandatarius vel delegatus ecclesiæ, sed tanquam apostolus, i. e., *legatus Chrisli* et in potestate a Christo accepta, ecclesias a se fundatas regit ac dirigit. Inde enim Paulus suos epistulas tanquam apostolus scribit, ut e. g. *Gal.,* i, 1 : « Paulus Apostolus, non ab hominibus neque per hominem, sed per lesum Christum et Deum Patrem "» ; dat ordinationes in potestate quam dedit ipsi Dominus *(II Cor.,* x, 8 ; x iii, 2-6 ; *Born.,* xv, 15 ; *I Tini.,* π, 7 ; *II Tim..* i. 11), atque potestatem suam apostolic am defendit *(Gal.,* i, 17-n, 10; */ Cor.,* xiv, 37 s. ; *II Cor.,* xi, 5 ss. ; xn, 11 s.)2.

Paulus igitur ministerium ecclesiarum tanquam mandatum et institutum Christi considerat atque exercet.

c) *Paulus Ecclesiam, imrno ecclesias particulares tanquam Dei et Chrisli déclarai.*

a) lam vox « Ecclesia », iitpole accepta in sensu iudaico et ι hristianoruin Iudææ,in sensu religioso accipienda atque interpretanda est, sc. ut coetus vocatorum vel elec torum ad fidem Christi : inde de facto « ecclesia » apud Paulum regulariter ι cetum fidelium significat ; sive alicuius domus sive alicuius civitatis, sive coetum omnium christilidelium. lamvero, sicut populus Israel ecclesiam vel « quahal » constit nebat inquantum a Tahve erat electus et in populum unum coadunatus, ita christifideles unum coetum, unam ι ι ι lesiam constituunt inquantum a Deo, a Christo in

1. Cf. Du Prat, l. c. n, 429 ; I, 478-80.

2. Nihilominus *Harnack* docet, communitates paulinas fuisse uolonomas et independentes atque Paulum fuisse, quasi mandatarium universarum communitatum! Entstehung und Entwicklung der Kirchenverfassung, p. 35-42.

Nec pluris habenda est obiectio, regimen ecclesiarum Paulo convenisse ratione *charismatum* vel ut charisma. Nam ipsum mu-ciiis apostolicum secundum terminologiam S. Pauli est charisma quoddam, et quidem summum, sc. donum quoddam gratuitum, immediate a Deo et a Christo collatum, in utilitatem Ecclesiæ. ' l / *Cor.,* xn ; *Eph.,* iv, 11, et infra a. 15 : de organisatione cha-Il .mutica ecclesiarum S. Pauli.

unum cœtum coadunantur, i. e. in unam Ecclesiam ut coetum vel societatem Christi.

(i) Paulus expresse Ecclesiam vocat Dei et Christi : ecclesiam Dei : *Act.,* xx, 28 ; *I Cor.,* i, 2 ; x, 32 ; xi, 16 ; XV, 9 ; ***II*** *Cor.,* i, 1 ; *Gal.,* i, 13 ; *Phil.,* in, 6 ; ***II*** *Thess.,* i, 4 etc) ; ecclesiam Christi : *Rom.,* xvi, 16 (« Salutant vos omnes ecclesiæ Christi »).

d) Paulus ecclesiam vocal corpus Christi vel corpus cuius caput est Chrislus. — Ita principaliter in ep. ad Ephes. En textus principales. *Eph.,* i, 22, 23 : « Et ipsum (sc. Christum) dedit caput supra omnem ecclesiam (in textu græco : κεφαλήν ὑπερ πάντα = excellentissimum τή εκκλησία) quæ est corpus ipsius et plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur » (sc. qu' omnia membra gratiis et virtutibus implet) ». *Eph.,* iv, 11 : « Et ipse dedit quosdam quidem apostolos... ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædiflcationem corporis Christi... crescamus in illo per omnia qui est caput Christus ; ex quo totum corpus compactum et connexum... augmentum corporis facit in ædifieationcm sui in caritate ». Quo in textu notandum est quod apostoli, prophetæ, evangelistæ, pastores et doctores de quibus Apostolus loquitur, manifeste ecclesiæ historic® vel empiricæ dantur, sc. « in opus ministerii » (ει έργον διακονία). : ergo ilia corpus Christi vocatur. Idem Paulus in aliis epistulis docet, ut *Rom.,* χιι, 5 : « Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius membra » ; *I Cor.,* vi, 15 : « corpora vestra membra sunt Christi » ; *I Cor.,* x, 17 : « Unus panis, unum corpus multi sumus qui de uno pane particiamus » ; *I Cor.,* xn, 12-27, ubi Apostolus unitatem torporis in multitudine membrorum, gratiarum et officiorum ostendit ; *Col.,* i, 18 : « Et ipse est caput corporis Ecclesiæ ». Unitas denique corporis apud Paulum præsertim indicat quod gentiles et iudæi ad idem corpus pertineant, vel exactius quod gentiles nunc ad populum electum pertineant. Istud est enim mysterium magnum « quod aliis generationibus non est agnitum filiis. hominum, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis eius et prophetis in spiritu, gentes esse cohæredes et concorporales et compar-

ticipes promissionis eius (sc. testamenti Dei) in Christi? lesu » *(Eph.,* in, 5, 6).

Figura corporis et capitis primo quidem influxum interiorem Christi in fideles suos illustrat, tamen simul christifidelcs ut coetum organicum *supponit,* quippe quia *Ecclesia* corpus Christi dicitur, non vero tantum fideles singuli.

e) *Paulus ecclesiam domum et templum Dei vocat.* — Paulus Ephesiis congratulatur : « Ergo iam non estis hospites et advenæ (sc. sicut proseiythi in V. T.), sed estis *cives sanctorum* et *domestici Dei* (sc. ut membri Ecclesiæ), superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum (sc. Ecclesiæ), ipso summo angulari lapide Christo lesu : in quo omnis ædificatio constructa crocit in *templum* sanctum in domine, in quo et vos coædificamini in *habitaculum* Dei in spiritu » *(Eph.,* n, 19-21). Hic Apostolus figura domus, templi, habitaculi Dei utitur ad unionem fidelium cum Chris to et cum Deo describendam. Huiusmodi domus est ecclesia, ut Apostolus expresse dicit : « Scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari quæ est ecclesia Dei vivi » (*/ Tim.,* m, 15) ; neque est ecclesia quædam invisibilis, sed societas illa historica atque empirica quæ in conspectu Apostoli extitit.in qua Timotheus conversatus est, in qua ethnici ad fidem Christi conversi non tantum hospites sed cives existunt, in qua « non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam » *(II Tim.,* n, 20). Ista domus Dei quæ est Ecclesia, in ep. ad Heb. domui Dei quæ erat in V. T., comparatur et opponitur. « Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius (sc. Dei) tanquam famulus..., Christus vero tanquam filius in domo sua : quæ domus sumus nos » *(Heb.,* m, 5, 6). Paulus igitur domui Dei quæ erat in V. T., domum Dei in N. T., populum Israeliticum populo christiano, synagogam Ecclesiæ opponit (cf. *Heb.,* vin, 8-10 ; *Jer.,* xxxi, 31). Utraque domus esi societas, non spiritualis tantum nec invisibilis, sed visibilis, humana, empirica ; tamen utriusqUe domus dominus et « fabricator » *(Heb.,* m, 4) est Deus, Ecclesiæ vero simul Christus qui proinde in Ecclesia ut in domo sua habitat *(Heb.,* m, 6).

f) Denique Apostolus Ecclesiam tanquam. sponsam Christi praedicat. Eph., v, 23-33 Apostolus mulieres adhortatur ut viris suis subditæ sint, et viros ut uxores suas diligant : id quod per exemplum subiectionis Ecclesiæ sub Christo et per dilectionem Christi versus Ecclesiam, tanquam sponsam suam, illustrat. Qua in re Apostolus Ecclesiam iterum ut institutum divinum et Christi supponit et praedicat.

« *Mulieres* viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ : ipse salvator corporis eius. Sed sicut ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus » (v. 22-24) : ecclesia igitur subiecta est Christo sicut corpus capiti suo, sicut mulier viro suo. Idem Apostolus ad *Cor.,* xi, 3 docet : « omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir; caput vero Christi Deus ». '

« *Viri,* diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam et seipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret... Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus ecclesiam » (v. 25-29). Ecclesia igitur est sponsa Christi.

III. Prob, minor argumenti : Atqui istis omnibus Paulus Ecclesiam tanquam institutum divinum declarat ac testificatur.

a) Apostolus Paulus, constituendo ubique ecclesias, *Ecclesiam* ipsam tanquam *ad Evangelium Christi* pertinentem, tanquam partem doctrinæ christianæ adeoque tanquam institutum Christi testificatur ;

b) Paulus, regendo ecclesias ut Apostolus Christi, seipsum ut *ministrum Christi in regno Christi* quod est *Ecclesia,* declarat : « sic nos existimet homo ut *ministros Christi* et dispensatores mysteriorum Dei » (Z *Cor.,* iv, 1. Cf., in, 5 ; *Eph.,* in, 7 ; *Coi.* i, 25), sc. « qui idoneos nos facit ministros *novi testamenti* » (ZZ *Cor.,* ni, 6), in « regno Filii dilectionis suæ » *(Col.,* i, 13), « in regno Dei » *(Col.,* iv, 11), in quo paucos habet adjutores suos qui ipsi fuerint solatio (1. c.)

Ecclesia igitur est *regnum Christi* in quo Christus per suos ministros dominium exercet.

c) Paulus, declarando Ecclesiam tanquam Dei et Christi, Ecclesiam tanquam *rem Deo et Christo propriam,* ut *opus Dei* et Christi declarat.

d) Apostolus, vocando Ecclesiam corpus Christi et Christum caput Ecclesiæ, vocando Ecclesiam domum vel templum Dei et sponsam Christi,Ecclesiam tanquam institutum declarat in quo et per quod *Christus operatur* (corpus Christi), in quo et per quod fideles *dona, gratiam et auxilium Dei participant* (domus Dei), *institutum quod Christus diligit,* defendit ac sanctificat (sponsa Christi). Ecclesia igitur est *institutum divinum.*

e) Denique *sententia adversariorum* cum doctrina S. Pauli *componi nequit.* Adversarii sc. tepent, Ecclesiam ut organismum socialem esse effectum evolutionis historicæ, non vero institutionis divinæ. lamvero Ecclesia praeter vel contra voluntatem Christi constituta neque esset neque esse posset, neque sponsa Christi neque templum vel domus Dei neqfue corpus Christi neque Ecclesia Dei sive Christi. E contra ista omnia optime Ecclesiæ a Christo institutæ competunt. Atque ita Paulus ecclesias fundavit et gubernavit.

IV. Effugia adversariorum. — Adversarii vim evidentem horum argumentorum effugere conantur inquantum nomen « Ecclesia » non de ecclesia historica et empirica sed de ecclesia quadam spirituali et invisibili interpretantur. Attamen : a) Paulus ecclesias visibiles et empiricas constituit atque illas ipsas ecclesias Dei et Christi vocat ; *b)* Paulus gubernat ecclesias historicas et empiricas atque ipsas regnum Dei et Christi vocat in quo cum suis adiutoribus ut minister Christi laborat (cf. *Coi.,* i, 13 ; iv, 11) ; c) Paulus vocando Ecclesiam *corpus* Christi, expresse fideles et membra ecclesiarum suarum vocat corpus Christi (7 *Cor.,* vi, 15 ; xn, 15 ss. ; *Eph.,* v, 30 ; *Coi.,* i, *24* ; *Hom.,* xn, 5 : « multi unum corpus sumus in Christo »); vocando Ecclesiam *domum* Dei, Ephesios historicos ut « cives sanctorum et domesticos Dei » declarat, utpote ut membra Ecclesiæ *(Eph.,* n, 19) ; domum Dei vocat eccle-

siam in qua ips° cum Timotheo laborat (*I Tim.,* in, 15) ; nominando Ecclesiam *sponsam* Christi; ipse Paulus Corin-l hios a se conversos Christo desponderat : « uni viro virginem castam » (*II Cor.,* xi, 2). Nullum igitur dubium esse potest quin Paulus ecclesiam ante oculos suos existentem tanquam institutum Evangelii, regnum Christi, corpus et sponsam Christi declarari! : atque ita doctrina Pauli doctrinæ Evangeliorum consonat. Tantummodo Apostolus, sicut et Evangelia, sub nomine Ecclesiæ non exclusive ecclesiam præsentis temporis sed simul ecclesiam usque ad finem mundi, immo simul ecclesiam coelestem intelligunt.

Inde simul falsitas sententiæ harnackianæ de opere S. Pauli in constituenda Ecclesia apparet. *Harnack* enim opinatur, hoc esse opus Pauli proprium quod ipse finem legis et religionis iudaicæ vel mosaicæ docuerit atque aliis idipsum, persuaserit ; quod Paulus Evangelium tanquam doctrinam et rem novam déclarant quæ legem mosaicam tolleret ; quod Paulus intellexerit. Evangelium esse omnium et regnum coelorum non esse iam venturum, sed præsens[1].

Certe Paulus omnia ista docuit. -Nec tamen est doctrina Pauli propria, sed est simul doctrina Christi. Nam Christus ipse declaravit : « non veni solvere, sed adimplere » (Mt ., v, 17) ; certe Christus Evangelicum tanquam doctrinam novam prædicavit atque illud omnibus hominibus prædicare iussit ; denique ipse Christus regnum cœlorum non tanquam post ipsum venturum, sed a se constitutum declarat.

V. Testimonium aliorum apostolorum. — Alii apostoli Paulo consentiunt. Etiam apud illos fideles congregati sunt in ecclesiam, quæ per apostolos et alios ministros in virtute et potestate a Deo accepta regitur, quæ proinde est vera societas, at non humanitus, sed divinitus.

Ita *Petrus (I Petri,* iv, 10 s.) inculcat : « Unusquisque, sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes (δ'.χκοντούντε), sicut boni *administratores* multiformis *gratis Dei.* Si quis loquitur, quasi sermones Dei ; si quis ministrat (διακονεϊ), tanquam ex virtute quam admimstrat Deus... ». Inde c. v, 1-4 :« Seniores (πρεοβυτέοου) ergo qui

1. A. Harnack, VVesen *des Christentums,* 10. Vorlesung.

in vobis sunt, obsecro...,*pascite* (ποιμάνατε) qui in vobis est *gregem. Dei...* ». Secundum *Jacobum* (v, 14), si quis infirmatur) « inducat *presbyteros Ecclesiæ* et orent super cum, ulgentes eum olio *in nomine Domini...* ». *Joannes* denique in epistulis et in Apocalypsi tanquam caput plurium ecclesiarum apparet quas sive præsens sive per delegatos, sive per præpositos Iccales, per epistulas et per revelationem divinitus acceptam dirigit (cf. præsertim ep. tertiam *etApoc.*. 1-3). Etiam Joannes ecclesias historicas tanquam ecclesiam Christi considerat : « (Christus) fecit *nos* regnum et sacerdotes » *(Ap.,* i, 6) : nobis dedit regnum et sacerdotium suum. « Angeli » ecclesiarum Asiæ videntur e-se episcopi sicut et Diatrephes (ep. III, v. 9). Denique in tota Apocalypsi sors futura Ecclesiæ super hanc terram exist mtis tanquam operis divini describitur.

IV. Figuræ et metaphorae quibus natura Ecclesiæ in S. Scriptura illustratur'. — Vidimus iam parabolas quibus Christus discipulis mysterium Ecclesiæ explicavit, vidimus insuper figuras quibus S. Paulus ad ideam Ecclesiæ insinuandam utitur. Tamen per modum appendicis et in complementum argumenti examinabimus nomina quibus in S. Scriptura Ecclesia illustratur. Qua in re notandum est : Nomina quibus S. Scriptura ad ideam Ecclesiæ inferendam utitur, non sunt nomina tantum poetica v i rhetorica absque re, sed e contra sunt comparationes plenissimæ[2] quibus origo divina, natura et ilotes supernaturaies Ecclesiæ explicantur, ita ut præsertim ex istis figuris, metaphoris et nominibus natura Ecclesiæ nobis innotescat[3].

E. Commer[1] optime triplex genus nominum distinguit, sc. figuram architectonicam, anthropologicam et sacramentalem.

Secundum figuram *architectonicam* Ecclesia vocatur *domus Dei (/ Tim.,* m, 15 ; *II Tim.,* ii, 20 ; *lleb.,* m, 5. 6 ;

1. E. Commer, *Die Kirche* (Wien, 1904), p. 3-65.

2. Billuart, *Summa theol.,* De gratia, diss. IV, a. 3. (ed. Paris, 1895, III, 371) optime notat : «Verba quibus Deus dona sua commendat, non sunt exaggerative neque hyperbolica, quasi plus exprimant quam reipsa sint, sed potius sunt infra magnitudinem donorum. »

3. Scheeben-Atzbehger, *Doginalik,* iv, 289.

1. i. c.

x, 21 ; *I Petr.,* n, 5) : qua figura Deus significatur ut auctor, inhabitans et dominus Ecclesiæ, summa arte ab ipso constructae ; ulterius Ecclesia dicitur *templum* Dei, tabernaculum Dei *(II Cor.,* vi, 16; *Eph.,* n, 19-22; *Apoc..* xxi, 3): qua figura præsertim sanctitas Ecclesiæ significatur et quod in ea et per eam Deo cultus acceptus exhibetur ; sub eodem respectu Ecclesia vocatur *civitas* Dei (Mt ., v, 14 ; xn, 25 ss. ; *Ueh.,* xn, 22 ; *Apoc.,* xi, 2 ; et passim), *Jerusalem (Apoc.,* xxi, 2) ; denique *regnum* Dei, regnum cœlorum qua figura præcipue character socialis et organicus Ecclesiæ nec non dominium Dei insihuatur (cf. supra, a. 6). Ad figuram architectonicam plures aliæ figuræ pertinent, ut navis (Mt ., v h i, 23), ovile (Joa ., x, 16), grex *(Act.,* xx, 28), vas *(Aci.,* x, 11), columna *(I Tim.,* in, 15) et plures parabolæ Domini (Mt ., x iii : ager, sagena, fermentum, etc.).

Secundum figuram *anlhropologicam* Ecclesia vocatur *corpus* Christi et Christus caput Ecclesiæ (cf. supra, n d.) : qua figura præsertim influxus interior Christi in membra Ecclesiæ et diversitas donorum divinorum intimatur. S. Paulus præcipue ista figura utitur, utpote maxime accomodata ingenio græcorum : atque hucusque ista figura est in usu communi. Eodem sensu Christus utitur figura *vitis et palmitum :* « Ego sum vilis, vos palmites » (Jo., xv, 5) ; simul tamen parabola seminis, grani sinapis, etc.

Secundum figuram *sacramenialem* Ecclesia vocatur *sponsa* Christi *(Eph.,* v, 22-33; *II Cor.,* xi, 2) : qua figura præsertim dilectio Christi erga Ecclesiam et subiectio fidelium sub Christo repræsfentatur, nec non inexhausta fecunditas Ecclesiæ per operationem Christi sponsi. Unde secundum eandem figuram Ecclesia vocatur *mater nostra (Gal.,* iv, 26), repræsentatur ut « *mulier* amicta sole et luna sub pedibus eius et in capite eius corona stellarum duodecim » *(Apoc.* xn, 1) quam draco persequitur *(Apoc.,* xu per totum). Tamen, et Christus se sponsum declarat (Mt ., ix, 15 ; Mc., n, 19 ; Lc., v, 34 s. ; Mt ., x x v, 1) sicut iam Oseas prædixerat *(Os.* n, 19 s ; cf. *Cant, cant.)* ; eadem ratione Christus se comparat gallinæ quæ congregat pullos suos sub alas » (Mt ., x x iii, 37). Ac denique loannes vidit « sanctam civitatem lerusalem novam, descendentem de cœlo a Deo, parai am sicut sponsam ornatam viro suo » *(Apoc.,* xxi, 2).

ARTICULUS DECIMUS

Divina institutio Ecclesiæ probatur ex testimonio veterum et ex præscrlptione

I. Testimonia veterum. — Sicut Apostoli ita et scri|>-tores vetustissimi christiani divinam institutionem Ecclesiæ, et quidem ut veræ societatis, testificantur. Abstinemus ab adducendis textibus Patrum post an. 200, quippe cum *pro hoc tempore* adversarii iam doctrinam de institutione divina Ecclesiæ admittant. Tamen iam antea hæc doctrina manifeste tenetur : et proponemus testimonium Doctrinæ Apostolorum, I Clementis, S. Ignatii Antioch., S. Polycarpi, lustini, Irenæi et Tertulliani ; ultimum argumentum erit ex præscriptione. De reliquo argumentum ex traditione breviter proponetur quia testimonia veterum in quæstione de constitutione hierarchica Ecclesiæ exactius examinabuntur.

1. *Didache* vel *Doctrina Apostolorum* quæ præcepta Domini et Apostolorum circa vitam Christianorum proponit, totam vitam ecclesiasticam, se. cultum et communicationem socialem, tanquam institutum Domini edocet. Ecclesia expresse tanquam Dei nominatur. Fideles enim ante receptionem Eucharistiæ monentur orare Deum Patrem : « Colligatur *ecclesia tua* a finibus terræ in regnum tuum » (ix, 4) ; similiter post sumptionem : « Recordare, Domine, ecclesiæ tuæ ut eam liberes ab omni malo eamque perficias in caritate tua et collige eam a quatuor ventis sanctificatam in regnum tuum, quod ei parasti » (x, 5). Atqùe manifeste patet, sub nomine « Ecclesia » non intelligi neque numerum prædestinatorum vel iustorum neque ecclesiam coelestem, sed cœtum christifidelium, super terram degentium.

2. *Clemens* Rom. in epist. ad Corinthios sic incipit : « Ecclesia Dei quæ Roinæ peregrinatur, Ecclesiæ Dei quæ Corinthi peregrinatur, vocatis sanctificatis voluntate

divina per Dominum nostrum lesum Christum » (Inscrip.) : sicut Paulus il a Clemens ecclesias determinatas et empiricas vocal. ecclesias Dei. Similiter alio in loco Ecclesiam « gregem Christi nominat (l v ii, 2), fideles « populum peculiarem »(‹›·! .. Denique tota epistula scripta est ad finiendam «seditionem impiam ac detestabilem» contra presbyteros-episcopos, quorum institutum tanquam divinum declaratur (‹·. x l ii. x l iv).

Denique luta epistula, generaliter quidem pacem, concordiam et oboedientiam, particulariter autem subiectionem sub Ecclesiæ præpositis inculcat : «Militemus igitur omnibus viribus sub inculpatis eius (sc. Dei) præceptis», (x x x v ii, 1). Atque ut. obædientiam socialem in Ecclesia commendet, Clemens analogias militum (x x x v ii, 2-4), corporis et membrorum (x x x v ii, 5-38) et synagogæ (40) adducit. Manifeste igitur Ecclesia ut corpus sociale, ad analogiam exercitus, corporis organici et synagogæ proponitur : « servetur itaque corpus nostrum in Christo lesu et unusquisque proximo suo se subiciat iuxta gratiæ donum ipsias signatum » (xxxvni, 1). Consequenter divina institutio et constitutio huius corporis socialis explicatur his verbis : « Apostoli nobis evangelii prædicatores facti sunt a Domino lesu Christo. lesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo et Apostoli a Christo : et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. » (x l ii, 1,2). Atque, ne quis putaret, Ecclesiam post tempus Apostolorum amplius non fore, apostoli «per regiones et urbes verbum prædicantes... constituerunt episcopos et diaconos eorum qui crediturі erant (x l ii, *4j*... ac deinceps ordinationem dederunt, ut cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent » (x l iv , 2). Istud est « novum institutum » (x l ii, 5).

3. S. *Ignatius Antiochenus* in omnibus suis epistulis testificatur constitutionem hierarchical!! Ecclesiæ tanquam institutum divinum adeoque institutionem divinam Ecclesia· ut veræ societatis. Cum testimonium Ignatii infra magis examinabitur, pauci textus hic sufficiant. Ad Eph. vi, l Ignatius scribit : « *Ouemcumque paterfamilias mittit ad gubernandam familiam suam,* hunc ita accipere debemus ut illum ipsum. Manifestum igitur est quod episcopum.

respicere oporteat ut ipsum Christum ». Et in eadem ep. in, 2 : « Etenim Jesus Christus sententia Patris est (= voluntate Patris), ut et *episcopi, per tractus terra constituti, in sententia Jesu Christi sunt* ». « Diaconi sunt ministri mysteriorum Christi... Non enim ciborum et potuum diaconi sunt, sed ecclesiæ Dei ministri » (Trail., n, 3) et concreditum habent « ministerium Jesu Christi » *(May.,* vi, 1). Ignatius laudat Ephesios quod episcopo sint « coniuncti sicut Ecclesia lesu Christo et sicut lesus Christus patri » *(Eph.,* v, 1), et Magnesios exhortatur : « Subiecti estote episcopo et vobis mutuo, ut Jesus Christus Patri secundum carnem, et Apostoli Jesu Christo et Patri et Spiritui » *(Mag.,* xiii, 2). « Quotquot enim Dei sunt et Jesu Christi, hi sunt cum episcopo ; et quotquot redierint ad unitatem Ecclesiæ, et hi Dei erunt ut *secundum* lesum Christum vivant » *(Phil.,* m, 2). Ignatius igitur manifeste Ecclesiam episcoporum ut divinitus institutam testificatur.

4. « *Poïycarpus* et qui cum ei presbyteri » scribit « *ecclesiæ Dei quæ peregrinatur Philippis* » (Ad Phil., inscript.). Illos edocet : « oportet... subici presbyteris et diaconis tanquam Deo et Christo » (v,3) ; diaconos adh irtatur ut sint inculpati « sicut ministri Dei et Christi, non hominum » (v, 2)

5. Itaque *Patres apostolici* Ecclesiam prout ipsam in concreto noverunt vel etiam regunt, tanquam institutum divinum agnoscunt atque tenent. De reliquo Patres apostolici tum fidem tum media salutis Ecclesiæ sui temporis tanquam necessaria proclamant ac proinde originem divinam Ecclesiæ ipsius.

6. Manifesta omnino est doctrina *apologelarum* sæc. II. Secundum *Justinum* Ecclesia in locum synagogæ successit. « Intelligere debetis, ait, quæ apud vos olim fuere, ea in nos esse translata[1]. » « Nos ex Christi utero recisi veram sinimus Israeliticum genus[2]. » Etenim : duæ domus Jacob, alterum (genus) » ex sanguine et carne, alterum ex fide et spiritu natum[3]. » Omnes qui in Christum credunt, sunt

1. Justinus, Dial., c. lxxxii.
2. l. c., c. cxxxv.
3. I. c.

« una anima et una synagoga ac una Ecclesia » ac. Ecclesia « ex illius (sc. Christi) nomine constituta est e1. Nam « Christus... factus est principium alterius generis ab ipso regenerati per aquam et fidem et lignum, quo mysterium crucis continetur, quemadmodum et Noe in ligno salvatus est aquis invectus, una cum suis2 ». Denique lustinus Ecclesiam Christi a communitate Marcionis, Valentini et aliorum bene distinguit3.

7. Maxime apologe.tæ *doctrinam* christianam adeoque Ecclesiæ tanquam divinitus traditam proponunt. « Res nostræ Dei sententia confirmatæ manent4 » ; christiani novum genus vitæ ducunt « Dei præceptis parentes5 ». Athenagôras scribit : « Vobis initio demonstrabam, doctrinam nostram a Deo traditam6.7 Theophilus Antiochenus hæreses insulis periculosis comparat. « hæreses dico, ad quas qui accedunt, opinino pereunt : neque enim verbum veritatis sequuntur ducem' » ; e contra « ecclesiæ sanctæ » comparantur insulis. « in quibus doctrinæ veritatis velut in insularum portuosarum stationibus asservantur, ad quas perfugiunt qui salutem consequi cupiunt, veritatis facti amatores ac iram et indicium Dei effugere volentes8. »

Denique apologetæ cultum christianum cum suis ministris (episcopis) tanquam divinitus institum proclamant9.

8. *Clemens Alexandrinus* inter ecclesiam coelestem et terrestrem distinguit : atque terrena est imago coelestis10. In hac sola Ecclesia veritas reperitur, illa sola cognitio vel gnosis vera est quæ complectitur et consequitur fidem

1. l. c., c. i.xm, cf. c. XLII.
2. l. c., c. cxxxvm. — Eodem nomine *Epistula ad Dioynetunt* utitur : « novum hoc genus seu institutum » c. i. Harnack istud nomen (« genus tertium ») « arrogantiam derisibilem » vocat (*Mission,* I2,· 208, 214, 224 ; cf. 206-234).
3. c. xxxv s.
4. *Talianus,* Orat. c. Græc., c. xxxn.
5. *l.* c.
6. *Supplie.,* c. iv.
7. *Ad Authol.* n, 14.
H. I. c.
9. Justinus, *Apol.,* i, 61, 65-67; *Dial.* 117.
10. *Stromata,* vn, 6 (P. G., 9, 444).

Ecclesiæ[1], quæ sc. est Dei, dum hæreses sunt opus Jiomimum[2]. Simul notat officium episcopi cuius est, « universæ Ecclesiæ præesse »[3]. Huius Ecclesiæ Christus caput est et corona[4].

9. S. *Irenæus* in opere « Adversus hæreses » gnosticos præsertim ex eo refutat quod eorum doctrina est præter vel contra doctrinam Ecclesiæ, quæ sola habet veram fidem, utpote a Christo instituta, quæ est corpus Christi, quæ illuminatur a Deo et cui in successione apostolica cerium charisma veritatis competit[5]. Sufficiat locum celebriorem adducere (m, 24, 1) ubi s. Doctor scribit : « Prædicationem Ecclesiæ undique constantem et æqualiter perseverantem et *testimonium habentem a prophetis et ab apostolis et ab omnibus discipulis...* ; quam (fidem) perceptam ah Ecclesia custodimus et quæ semper a Spiritu Dei quasi in vaso bono eximium quoddam depositum iuvenescens et. iuvenescere faciens vas in quo est. *Hoc enim Ecclesiæ creditum esi Dei munus...* ad hoc ut omnia membra percipientia vivificentur : et *in eo* (ea = Ecclesia) *disposita est communicatio Christi,* i. e. *Spiritus Sanctus,* arrha incorruptela· et confirmatio fidei nostra| et scala ascensionis ad Deum. In Ecclesia enim posuit Deus apostolos, prophetas et doctores et universam reliquam operationem Spiritus : cuius non sunt participes omnes qui non currunt ad Ecclesiam, sed semetipsos fraudant a vita, per sententiam malam et pessimam. *Ubi enim Ecclesia, ibi est Spiritus Dei :* et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia : Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque a mamillis matris nutriuntur in vitam neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem : sed effodiunt, sibi locos detritos de fossis terrenis et de cœno putidam bibunt aquam, effugientes fidem Ecclesiæ. ne traducantur, reficientes vero Spiritum ut non erudiantur. »

1. l. c. vn, 16.
2. l. c., vn, 17.
3. l. c. m, 12 (P. G., ix, 284 A) ; cf. i, 6.
4. l. c., n, 8 (P. G. vn, 480 B). — Nihilominus Harnack (D. G. i3, 367) censet, Clementem nondum nosse ecclesiam antihæreticam et episcopalem.
5. m, 17 ; 24, 1 ; iv, 26, 2 ; 33, 7, 8 ; v, 20.

\u denique : « Quapropter eis qui in Ecclesia sunt *presbyteris, obœdire* oportet, his qui successionem habent ab Apostolis ; *qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum* placitum Patris acceperunt » (iv., 26, 2) A

10. *Tertullianus*[1] originem Ecclesiæ omnino ad instar S. Scripturæ et I Clementis enarrat. « Christus Iesus, dominus noster, ait, ipse pronuntiabat sive populo palam sive discentibus seorsum, ex quibus duodecim præcipuos lateri suo adlegerat destinatos nationibus magistros. Itaque uno eorum decusso, reliquos undecim disgrediens ad Patrem post resurrectionem iussit ire et docere nationes... Statim igitur apostoli... consecuti promissam vim spiritus sancti ad virtutes et eloquium, primo per ludæana contestata fide in Iesum Christum et ecclesiis institutis ; dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgaverunt. Et perinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinæ cæteræ exinde ecclesiæ mutuatæ sunt, et quotidie mutuantur ut ecclesiæ fiant. Ac per hoc et ipsæ apostolicæ deputabantur, ut soboles apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantæ ecclesiæ una est illa ab apostolis prima, ex qua omnes...[3] » Atque concludit in illa fidei regula incedendum esse, « quam ecclesiæ ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit[4]. » Inde Tertulliano Ecclesia est « mater nostra[5] », « vera mater viventium[6] »

1. Protestantes vim testimonii Irenæi diversimode effugere conantur. Partim quidem concedunt, apud Irenaeum doctrinam vel « ideam » ecclesiæ catholicæ reperiri, tamen istam ideam tanquam innovationem vel approbationem traditionis practicæ considerant (Seeberg, *D. G.*, I, 290), Loofs, D. G., I4, 134 ; Harnack, */). G.,* I3, 369). At Irenaeus non aliud quam eius antecessores testificatur, sc. Ecclesiam illam concretam ac historicam cuius ipse episcopus fuit, esse divinitus institutam. Cf. Batiffol, Eglise naissante4, 238 ss. ; Werner, *Der Paulinismus des Irenæus, Texte und Untersuchungen,* vr, 2.

2. Cf. K. Adam, *Der Kirchenbegriff Tertullians ;* A. d'Alès, *La théologie de Terlultien,* 201-220.

3. *De præscripl.,* c. xx.

•l. l. c., c. xxxvii.

5. *Adversus* Marc., v, 4.

6. *De anima,* 43.

præfigurata per Evam (I. c.), « domina mater »*, « sponsa Christi' »a, « corpus Christi »s, ipse Christus4. Iluiusmodi Ecclesia « scit se peregrinam in terris agere..., cæterum genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in coelis habere5 », nam « unus Deus et unum baptismum et una ecclesia in coelis® ». Itaque Tertullianus manifeste ecclesiam inter homines constitutam tanquam institutum Domini et tanquam medium necessarium ad salutem statuit7.

11. *Conclusio.* Scriptores igitur principales8 sæc. Il et IIl : a) sub nomine Ecclesiæ intelligunt societatem christifidelium, et quidem ut societatem veri nominis, historicam et concretam — non vero tantum numerum quandam invisibilem sive iustorum sive praedestinatorum ; *b)* istum, organismum socialem, visibilem, historicum atque concretum prædicanl tanquam institutum divinum, apostolicum, salutiferum, necessarium ad salutem. Atque hoc modo divinam institutionem Ecclesiæ ut veræ societatis testificantur.

II. Argumentum ex praescriptione. — Fatentibus vel adversariis, Ecclesia, eaque catholica, saltem in fine sæc. II.

1. *Adv. marl.* I.
2. *Adv. Alpre.,* iv, 11 ; v, 18.
3. *De. monog.,* xm.
4. *De pænil.,* x.
5. *Apol.,* i.
6. *De. bapl.,* xv.
7. Adam, *Der Kirchenbegrif/ Tertullians,* p. 90 notat :« Die Betrachtungsweise der Kirche als himmlische Heilsursache trill, bei Tertullian so sehr in den Vordergrund, dass ihr irdisches, sichtbares Weseti nicht unmerklich darunter leiden muss. » Ita Tertullianus, *De. pudic.,* xxi, docet : « Et ipsa Ecclesia proprie et principaliter ipse est spiritus, in quo est Trinitas unius divinitatis, Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Illam Ecclesiam congregat quam Dominus in tribus posuit. » Itaque Ecclesia esset principaliter unio trium personarum divinarum et consequenter unio hominum : « Ubi 1res, ibi Ecclesia est, licet laici » (Ex., c. vn). Ii'Alès optime notat : « Mais l'esprit montaniste n'est pasétranger à cette dernière évolution de sa pensée » (l. c., 216).
8. Quoad alios scriptores videsis : *II Clem., c.* π, 14 ; *Epist. Harnabæ,* c. vu, 11 ; 8, 3. 6 ; 13-14 ; *Pastor Hermæ, Vis.* ni, 11-13 ; iv, 2-3 ; *Simil.,* vin ; ix, 12 ss.

imino iam circa medietatem sæc. II. extabat. Atque huiusinodi factum ex causis humanis explicari nequit.

Prob. inin. *d)* Ecclesia in sæc. II erat ubique eadem, sive quoad fidem, sive quoad cultum sive quoad regiminis formam. Atqui : si Ecciesia ex causis humanis ortum habuisset, certe non fuisset ubique eadem, sed necessario multæ fuissent differentiae.

b) Quodsi Ecciesia ex causis humanis ortum habuisset, necessario multæ controversiæ praecessissent atque oppositio non defuisset : iamvero nulla controv rsia circa originem Ecclesiæ in historia apparet neque ulla oppositio, ne quidem ex parte haereticorum. De facto multæ quidem erant difficultates quoad executionem vitæ ecclesiasticæ, præsertim quoad obædienliam a fidelibus episcopis et presbyteris præstandam, tamen nemo divinam institutionem Ecclesiæ ut societatis visibilis negare ausus est.

c) Ecclesia non tantum simpliciter admissa est, sed proprie et formaliter tanquam institutum divinum et necessarium ad salutem : atque sic denique fuit *credita :* atque impossibile est ut institutum cuius origo fuisset mere historica et humana et cuius evolutio in conspectu et notitia omnium facile fuisset, tanquam institutum divinum teneretur et crederetur ;

d) De reliquo deest *tempus* necessarium ad evolutionem supposilam. Intra spatium 150 annorum constitutio alicuius societatis facillime quidem mutari potest, sed necessario erit nota omnibus neque nova conditio tanquam conditio originalis admitteretur. Forsitan cecoslovachi dicent : respublica nostra a familia Habsburg instituta fuit !

e) Neque mutationes insensibiles admitti possunt : nam mutatio constitutionis alicuius societatis est res maxime sensibilis, ut apparet in mutationibus civilibus factis in Germania et Austria. Iamvero mutatio ab adversariis supposita, quod sc. instituta et iura humana tanquam instituta et iura divina tenerentur et crederentur, est mutatio inulto gravior quam mutatio monarchiæ in rempubli-i'Mn.

/) Denique adversarii nulla argumenta historica afferunt sed tota eorum argumentatio procedit ex supposito

quod Ecciesia a Christo non fuerit instituta, i. e. ex petitione principii. Insuper coguntur imputare Christianis primitivis, præsertim episcopis, crimen quam maximum, nempe fraudem et dolum in pervertendo opere Christi, et fidelibus primitivis indolentiam, immo fatuitatem, quippe qui mutationem tam dolosam et fraudulentam non animadverterint !

SECTIO II

ARTICULUS UNDECIMUS

De fine Ecclesiæ

Cum homini conveniat agere propter finem[1], post quaestionem de institutione divina Ecclesiæ, quærendum est. propter quem finem, cuius gratia, Christus Ecclesiam instituerit, sc. ad quem finem institutum Ecclesiæ ordinarit.

I. Doctrina catholica. — *Concit. Valle,* finem Ecclesia; sic determinat : « Pastor æternus et episcopus animarum nostrarum ut *salutiferum redemptionis opus perenne redderet,* sanctam ædificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti *in domo Dei viventis* fideles omnes *unius fidei et caritatis vinculo* continerentur » (sess. IV. Denz., 1821). Doctrina catholica insuper ex alio dogmate apparet, sc. ex dogmate de necessitate Ecclesiæ ad salutem : « *extra Ecclesiam nulla salus* », quo Ecclesia tanquam *medium* necessarium ad salutem consequendam statuitur : de qua re infra, art. 30. Denique Ecclesia ut dogma tenet, in Ecclesia esse potestatem sanctificam, præcipue in administrandis sacramentis *(Cone. Trid.,* sess. VII, can. 6; sess. XIV, c. i). Ex quibus satis apparet doctrina Ecclesiæ quod sc. finis Ecclesiæ sit sanctificatio hominum, maxime fidelium.

II. Sententiae adversae. — *Protestantes* omnibus viribus negant, Ecclesiam, i. e. aliquam societatem ex hominibus constitutam, a Christo Domino esse institutam tamquam medium ad sanctificationem et salutem hominum procurandam ; immo ex hac parte quam maxime Ecclesiam;catholicam impugnant. In'de protestantes negant tum necessitatem Ecclesiæ ad salutem tum potestatem sanctificam

1. S. Thomas, I, II, q. j, a. I. 2.

in Ecclesia. Admittunt quidem utilitatem associationum ecclesiasticarum (humanarum), sc. ad excitandam fidem vel ad cultum dirigendum,sanctificationis vero opus totum operationi immediatæ Dei attribuunt (cf. infra, art. 13-16).

Modernislæ, reducentes religionem ad evolutionem sensus (cæci) religiosi, Ecclesiæ (humanitus institutæ) nullum alium finem assignant quam ut conscientiam collectivam foveat ac tueatur. Inde modernistæ potestatem sanctificam et necessitatem ad salutem quam maxime denegant (cf. Decret. « Lamentabili », prop. 40-51).

III. Quo sensu sanctificatio hominum sit finis Ecclesiæ.

1. *Sanctificatio* hominum quæ ponitur esse finis Ecclesia· instituendæ, intelligitur sanctificatio non tantum naturalis, sed simul *supernaturalis :* quæ sc. comprehendit observationem legis divinæ tum naturalis tum supernaturalis, quæ consistit tum negative in carentia peccati tum positive in exercitio virtutum et in infusione gratiæ sanctificantis, quæ exercetur per actus tum internos tum externos virtutum.

2. *Sanctificatio hominum est finis Ecclesiæ proximus et primarius. — Finis* est id cuius gratia aliquid fit, finis igitur Ecclesiæ est bonum ad quod obtinendum Ecclesia a Christo Domino instituitur. Finis vero est duplex : *ultimus et proximus.* Finis Ecclesiæ ultimus est gloria Dei[1], vel quantum ad homines, salus æterna. Finis Ecclesiæ proximus, i. e. qui immediate per Ecclesiæ operationem procuratur, est sanctificatio hominum.

Finis (proximus) deinde distinguitur in primarium et secundarium (vel accessorium). Finis *primarius* est ille qui per se intenditur et vi mediorum propriorum obtinetur ; finis *secundarius* est illo qui quasi per consequens et indirecte intenditur et obtinetur. Ita sanctificatio hominum esi finis Ecclesiæ proximus, ad quem Ecclesia vi suæ institutionis ordinatur et quem vi mediorum proprio-

I. Gloria Dei per Ecclesiæ institutionem quam maxime promovetur, cum Ecclesia sil opus Dei magnificentissimum et pulcherrimum quo deinde plurima in Dei honorem procurantur. Videsis Dorsch Aem., *Institui, theol. fund.,* sect. Ill, § 1.

rum obtinet ; finis secundarius Ecclesiæ est bonum temporale quod se. ex .sanctificatione hominum consequitur vel ad illam tanquam medium vel præsuppositum ordinatur.

3. Huiusmodi finem, i. e. sanctificationem hominum. Ecclesia procurare debet : a) non ut causa principalis, sed *ul causa inslrumentalis* vel tanquam medium a Deo'statutum ; *b)* ut medium *ordinarium ;* c) ut medium quod non excludit sed *supponit cooperationem liberam et activam sanctificandorum.*

Protestantes Ecclesiæ imputant doctrinam : *a)* quod Ecclesia prætendat, homines sanctificare et salvare ex viribus propriis, utest societas quædam humana ac iuridica, 6) quod sola incorporatio externa et iuridica in Ecclesiam ad sanctificationem sufficiat ; c) quod nulla cooperatio activa ex parte fidelium requiratur.

E contra Ecclesia manifestissime tanquam fidei doctrinam tenet : *a)* causa efficiens principalis (justificationis) est « misericors Deus qui gratuito abluit et sanctificat ». causa « meritoria autem dilectissimus unigenitus suus, Dominus noster fesus Christus qui... sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit » (Concil. Trid., Sess. VI, c. vu, Denz. 799) ; Ecclesia vero est causa instrumentais sanctificationis, principaliter per sacramenta (Cone. Trid., l. c.), per sacrificium Missæ (Concil. Trid., Sess. XXII), simul tamen per magisterium et ministerium verbi divini (Concil. Vatic., Sess. IV, Denz., n. 1821,1837). Differt autem « ausa inslrumentalis a principali in hoc quod « causa principalis operatur per virtutem suæ formæ, causa vero instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum quo movetur a principali agente » (S. Thomas, III, q. lxii, a. 1) : vel causa inslrumentalis « participat actionem propriam alicuius alterius, inquantum agit in virtute alterius » (S. Thom. I, q. xlv, a. 5). Ita Ecclesia ordinatur et instituitur ad homines sanctificandos, ut eos sanctificet, non vi et efficacia operationis formaliter humanæ, sed per media sibi a Deo communicata (sacramenta, potestas magisterii et regiminis Ecclesiæ divinitus commissa).

/>) Inde secundum doctrinam Ecclesiæ ad sanctitatem el justitiam acquirendam minime sufficit quod aliquis

mere extrinsece vel iuridice sit membrum Ecclesiæ, sed ‹l contra homines sanctificantur per usum mediorum Ecclesiæ , i. e. per receptionem sacramentorum, per exercitium \ irtutum secundum doctrinam et directionem Ecclesiæ.

c) Denique cooperatio activa fidelium ad sanctitatem acquirendam non tantum non excluditur, sed e contra ab Ecclesia imponitur, ut patet per doctrinam et praxim circa conditiones requisitas in sacramentis recipiendis, circa exercitium virtutum, circa bona opera et merita, etc.

IV. Thesis : Finis Ecclesiæ proximus est sanctificatio hominum.

Prob. 1. *Ex ipsa institutione Ecclesiæ.* — Christus instiI uendo Ecclesiam, ipsi finem præstituere oportebat. lamxero -ocielas quæ est « regnum » cœlorum et Christi, quæ esi corpus et sponsa Christi, ad finem alium ordinari non poterat quam ad finem missionis Christi : qui est salvare et sanctificare homines (Mt ., k v it i, 11 ; Joa ., iii, 16 ; x , 10). Itaque finis Ecclesiæ est continuare missionem salvificam ‹l sanctificam Christi, utpote auctoritate et virtute a Chrislo Domino communicata. Unde Christus Apostolis dixil : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (Joa ., x x ,

Prob. 2. *Ex declaratione expressa Chrisli.* — Christus non I antum generaliter declaravit, se velle continare missionem suam in Ecclesia, sed et particulariter ipsi omnia illa commisit quæ ad hunc finem consequendum necessaria sunt, o) Christus Apostolis declarat : « *Sicut misit me Paler, el ego milio vos* » (Joa ., x x , 21). *b)* Apostolis committitur offiI imii et potestas sanctifica, sc. prædicandi : « *docete eos serrare omnia quæcumque mandavi vobis* » (Mt ., x x v iii, 20), baptizandi (Mt ., x x v iii, 19), conficiendi Eucharistiam ‹I xxii, 19), remittendi peccata (Joa ., x x , 23). c) Promittitur assistentia Christi : « *El ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* » (Mt ., x x v iii, 20). et adiutorium Spiritus Sancti (Joa ., x iv , 26). e) In I onlirmationem missionis spiritualis Ecclesiæ promittunlur *charismata* : « Euntes in mundum universum, prædicate IA angelium omni creaturæ... Signa autem eos qui credideI rint, hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient... »

(Mc., xvi, 15, 17). His omnibus ut munus adeoque finis Ecclesiæ apparet sanctificatio hominum.

Prob. 3. Ex *doctrina Apostolorum et SS. Patrum.* — Certe evidens est doctrina Apostolorum et Patrum, Ecclesiam a Christo Domino ad sanctificandos homines esse institutam. Ipse Apostolus Paulus Corinthios admonet : « *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* » (I *Cor.,* iv, 1). Cum disputatio orta esset inter Corinthios, quærit : *Quid est Apollo ? Quid Paulus ? Ministri eius cui credidistis ; et unicuique sicut Dominus dedit... Dei enim sumus adiutores* » *(I Cor,* III, 5, 9). Et ad Ephesios (iv, 11-13), scribit : « Et ipse (Christus) dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores *ad consummationem sanctorum,* in opus ministerii, *in aedificationem corporis Christi,* donec occurramus omnes *in unitatem fidei* et agnitionis Filii Dei, *in virum perfectum...* »

Prob. 4. *Ex historia Ecclesiæ.* — Statim ab initio sua constitutionis ac deinceps per sæcula Ecclesia exercet munus spirituale, Domino coopérante in signum missionis divinæ. Apostoli post ascensionem Christi in coelum « *profecti praedicaverunt ubique, Domino coopérante et sermonem confirmante, sequentibus signis* » (Mc., xvi, 20). Habes historiam Ecclesiæ primitivæ in Ierusalem *(Actus* i-VIII), habes historiam S. Pauli in Actibus Apostolorum et eius Epistulis et omnem historiam Ecclesiæ.

De reliquo finis Ecclesiæ magis adhuc patebit ex constitutione hierarchica Ecclesiæ (infra, art. 14-16) et ex necessitate Ecclesiæ (infra, art. 30).

V. Corollaria. — Cum entia moralia ex fine specificentur[1], natura Ecclesiæ ut societatis moralis maxime ex fine suo determinatur : ita et aliæ societates ex fine denominantur et specificantur, ut societates scientifica, politicæ, religiosæ.

Sequitur enim :

I. Ecclesia est societas *spiritualis et supernaturalis :* inquantum sc. habet finem spiritualem et supernatu-

1. S. Thomas, I, II, q. i, a. 3.

ralem, i. e. sanctificationem supernaturalem hominum. Simul inde patet *quo sensu* Ecclesia societas spiritualis vocetur : sc. neque quasi ex solis spiritibus componatur vel ex solis iustis vel prædestinatis, neque ac si unio inter membra Ecclesia sit mere interna atque hoc sensu spiritualis, sed inquantum Ecclesia, societas humana atque visibilis existons, habet per fine non bonum temporale ei, materiale, sed bonum animorum, et quidem non bonum natural? (saltem primario) sed bonum supernaturale[1].

2. Ecclesia est societas *necessaria.* Societas enim quæ a Deo instituitur ut medium sanctificationis, ad continuandam missionem salvificam Christi, Dei et mediatoris infer Deum et homines, negligi nequit sine damno sanctificationis vel sine periculo salutis (cf. infra, art. 30).

3. Ecclesia est societas *dignissima* et *altissima* inter omnes societates hominum sup'r hanc terram : finis enim Ecclesiæ est dignissimus et altissimus.

4. Ecclesia est societas *adamanda,* ut præclare Leo XIII exponit. « Est enim Ecclesia, ait, civitas sancta Dei viventis. Deo ipso nata eodemque auctore constituta : quæ peregrinatur quidem in terris sed vocans homines et erudiens atque deducens ad sempiternam ir cœlis felicitatem. Adamanda igitur patria est unde vitæ mortalis usuram accepimus : sed necesse est caritate Ecclesiam praestare cui vitam animæ debemus perpetuo mansuram, quia bona animi corporis bonis rectum est ante ponere, multoque quam ergo homines sunt erga Deum officia sanctiora. » Hæc ille (Encycl. « *Sapienliæ christianæ* », 1890).

VI. Difficultates adversariorum generaliter sunt sequentes : 1. Adversarii Ecclesiam tanquam numerum iustorum sive prædestinatorum vel tanquam unionem mere internam intelligunt : iam vero talis « ecclesia » *medium* sanctificationis esse nequit, sed est *fructus* sanctificationis. At

1. Secundum terminologiam Ecclesiæ « bonum spirituale » proprie idem significat ac bonum supernaturale. — Ludunt igitur in verbis illi qui Ecclesiam, sc. ut societatem « spiritualem », lanquam unionem mere internam vel numerem invisibilem iustorum vel prædîslinatorum statuunt. Idem infra notandum est in quæstioiie de visibilitate Ecclesiæ.

adversarii in conceptu Ecclesiæ.falluntur : sanctitas, iusli et salvandi sunt quidem *in* Ecclesia, at Ecclesia insuper institutum vel organismum dicit quo homines sanctificantur, iustificantur ac ad salutem perducuntur.

2. Adversarii ex doctrina de sanctificatione vel iustificatione argumentantur, sc. quod justificatio, collatio gratiæ sit *opus Dei proprium.* Ad hoc respondetur quod Deus est causa principalis, Ecclesia vero causa instrument alis vel ministerialis sanctificationis.

3. Obicitur quod *solus Christus* sit medium salutis a Deo institutum, ita ut non sit locus pro Ecclesia, nisi Ecclesia vicem Christi sibi arroget. *Resp.* « Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum » (*I Tim.,* n, 5). At istud non impedit quin ipse Christus Ecclesia tanquam medio et instrumento sanctificationis utatur ; neque Ecclesia, ut institutum vel regnum Christi, ut domus, corpus et sponsa Christi, vicem Christi sibi arrogat, sed mandata Domini exequitur et ex talento sibi commisso fructus capit.

4. Alii opponunt, *salutem* iam esse factam et redemptionem *perfectam. Resp.* Certe opus Christi quo genus humanum morte sua redemit, est perfectum, sc. *obiective* et ex parte Christi ; at inde non sequitur quod omnes homines etiam ex parte sua et *subieciive* sint sanctificati, sed quod adsint media sanctificationis, sc. per applicationem meritorum Christi : huiusmodi autem media Christus ut thesaurum pretiosissimum in Ecclesia deposuit, concedendo Apostolis eorumquc successoribus potestatem sanctificam in virtute Christi : atque sic Ecclesia est medium sanctificationis (cf. Cone. Trid., Sess. VI, cap. vn).

5. Aliæ denique difficultates, vel Ecclesiæ *doctrinam falsificant,* ut quod ad sanctificationem acquirendam sufficiat ut aliquis modo iuridico Ecclesiæ se subiciat, vel alia *falsa supponunt,* ut fusius infra in quæstione de convenientia potestatis hierarchies exponemus (art. 16).

SECTIO III

ARTICULUS DUODECIMUS

De membris Ecclesiæ

I. Status quaestionis. — Unaquæque societas ex membris constituitur. In aliis societatibus facile determinatur quinam homines earum sint membra ; quantum vero ad Ecclesiam, ob eius conditionem specialem et praesertim ob characterem supernaturalem, quæstio non ita facile solvitur.

Quæritur igitur *quinam* homines tanquam membra ad Ecclesiam pertineant, ut « domestici Dei et cives sanctorum » *(Eph.,* ii, 19), et quidem ad Ecclesiam ut est *societas* visibilis inter homines constituta, vel ut communiter dicitur, quinam ad *corpus* Ecclesiae pertineant ; denique quæritur quinam *vere* sint membra Ecclesiæ, sc. rei veritate, secundum Dei et Ecclesiæ indicium : aliter enim quandoque leges civiles vel opinio hominum indicant[1].

II. Sententiae heterodoxæ. — *Donastilæ* docuerunt, *solos iuslos* ad Ecclesiam pertinere ; quam sententiam etiam *Pelagiani* et *Novaliani* defenderunt.

In medio ævo *Wiclefilæ et Husitæ* statuerunt, *solos praedestinatos* esse membrq Ecclesiæ. Concil. Constant, sequentes propositiones llusj damnavit. « Unica est sancta universalis Ecclesia qua· e^t prædestinatorum universitas » (prop. 1). « Præsciti (— reprobi) non sunt partes Ecclesia· » (prop. 3). Cf. prop. 2. 5. 6. « Gratia praedestinationis •st vinculum quo corpus Ecclesiæ et quodlibet eius membrum iungit.ur Christo capiti insolubiliter » (prop. 21).

I. *Veteres* theologi per » corpus » Ecclesiæ communiter intelligunt *ovines* homines qui *aliquando* Christo fuerunt coniuncti. Ita S. *Thoma::,* III, q. vin, a. 3 scribit : «corpus Ecclesiæ constituitur ex hominibus qui fuerunt a principio mundi usque ad finem ipsius ».

Protestantes, distinguentes inter Ecclesiam visibilem et invisibilem ac simul praedicationem veram verbi divini et rectam administrationem sacramentorum tanquam notam veræ Ecclesiæ ponentes, necessitate logica peccato res vel non-prædestinatos ut membra Ecclesiæ admitted non potuerunt. Inde confessio Augustana cum Luthero definit : Est autem Ecclesia congregatio sanctorum et vere credentium* ; *Calvinus* vero tenet, solos prædestinatos ad Ecclesiam pertinere, utpote quia secundum eius sententiam prædestinatio est tota causa et ratio iustiflcationis et salutis æternæ. Sententiam lutheranam ex parte secuti sunt Jansenistæ.

Ouesnel enim, male interpretando quædam dicta S. Augustini, censet Ecclesiam comprehendere « et omnes angelos coeli et omnes electos et iustos terræ et omnium sæculorum. Nihil spatiosius Ecclesia Dei : quia omnes electi et iusti omnium sæculorum illam componunt » (prop. 72 et 76 damnatæ a Clemente XI. Denz., 1422. 1426). Quæ sententia, iterum proposita a *Synodo Pistoriensi,* damnata est a Pio VI tamquam hæretica, « intellecta hoc sensu ut ad corpus Ecclesiæ non pertineant nisi fideles qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate » (prop. 15. Denz., 1515).

III. Doctrina catholica. — Ut ex præcedentibus patet, Ecclesia duplicem sententiam tamquam hæreticam damnat : a) omnCs et soli prædestinati sunt membra Ecclesiæ ; ȯ) soli iusti, non vero peccatores (fideles) ad Ecclesiam pertinent.

Positive Ecclesia declaravit : *medium ordinarium* quo aliquis fit membrum Ecclesiæ, est *baptisma* : « per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiæ » (Conc. Florent, in Decreto pro Armenis, Denz., 696).

1. Muller-Koide, *Symbolische Bûcher,* ed. 10a, 1907/f). 40.— *Apologia confessionis augustanæ·* suo modo adiicit : « Concedimus quod hypocritæ et mali in hac vita sint admixti ecclesiæ et sint membra ecclesiæ secundum externam societatem signorum Ecclesiæ... At Ecclesia principaliter est societas fidei et Spiritus Sancti in cordibus... Et hæc ecclesia sola dicitur corpus Christi... Impii vero non sunt sancta ecclesia » (i. c., p. 152).

De facto semper soli baptizati ut membra communitatis christianæ censebantur. Evidenter supponitur baptisma valide susceptum, proindeque cum fide, ita ut *baptisma et fides* membrum Ecclesiæ constituant. Similiter Conci!. Trid. declarat, « per baptismi ianuam » homines in Ecclesiam ingredi (Sess. XIV, de pœn. c. n, Denz., 895). Denique C. J. C. statuit : « Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus Christianorum iuribus et officiis » (can. 87).

IV. Inde sequentes theses :

Thesis I. — Non omnes prædestinati semper membra Ecclesiæ sunt. — Certe supponendum est, multo maiorem partem prædestinatorum aliquando esse membra corporis Ecclesiæ; similiter certum est, omnes praedestinatos ani,e mortem ad animam Ecclesiæ pertinere. Attamen non *omnes* prædestinati *semper* sunt actualiter membra corporis Ecclesiæ. Ipse Christus Dominus supponit, multos ‹ x iis qui salvabuntur (ideoque sunt prædestinati), aliquando non esse membra regni messianici : ideoque « venient ab oriente et occidente et aquilone et austro et accumbent in regno Dei » (Lc., xm, 29). Sicut nec Christus ita neque Apostolus Paulus paganos postmodum salvandos tamquam membra Ecclesiæ considerat, antequam illi fidem Christi atque baptisma susceperint; inde Paulus congratulatur Ephesiis Christianis (quos generaliter saltem ut prædestinatos supponit) quod nunc sint membra Ecclesiæ et corporis Christi : « quia eratis illo in tempore sine Christo... Nunc autem in Christo lesu vos qui aliquando eratis longer facti estis prope in sanguine Christi... Iam non estis hospites ‹l advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei... » (Eρ/ι., m, 12, 13, 19). De reliquo absurdum est asserere, paganos et mahometanos qui forsitan sunt prædestinati. ml interim autem corde, ore et opere Ecclesiam repudiant vel impugnant, esse actualiter membra Ecclesiæ. Optime S Thomas : « Membrum (sive corporis sive societatis) non indicatur secundum id quod de eo fieri potest, sed secundum quod est » *(Seni.,* l. III, d. 13, q. n).

Thesis II. — Non soli prædestinati sunt membra Ec-

clesiæ. — Id primo clare evincunt parabolæ quibus Dominus Ecclesiæ compositionem declarat, principaliter *parabolæ sagenæ, agri, areæ, convivii nuptialis ;* his enim et similibus Christus fideles commonet, non omnes aliquando ad Ecclesiam pertinentes finaliter salvari adeoque in Ecclesia esse prædestinatos et reprobos. Similiter in epistulis Apostolorum fideles (qui certe ut membra Ecclesiæ supponuntur) graviter monentur ne peccatis gloriam vitæ æternæ amittant : supponitur igitur non esse idem, esse membrum Ecclesiæ et esse prædestinatum. Denique est contra rationem societatis, hominem finaliter quidem periturum, nunc vero corde et opere Ecclesiæ adhærentem, non esse membrum Ecclesiæ.

Thesis III. — Ecclesia ex iustis et peccatoribus constat. — Prob. 1. Id iterum maxime ex *parabolis* Christi apparet : secundum enim illas quidam in regno Dei vel in Ecclesia existantes, comparantur zizaniæ, piscibus malis, paleis, homini sine vestimento nuptiali, quibus status peccati indicatur. Similiter Apostolus Paulus inter fideles quos tanquam membra Ecclesiæ considerat, esse peccatores, aperte enuntiat : « dormiunt multi » (*I Cor.,* xi, 30).

Prob. 2. *Ex fine Ecclesiæ præslitulo el ex inediis ipsi commissis.* — Christus Ecclesiam eum in finem instituit ut per eam tamquam per medium salutare homines sanctificarentur, et quidem per applicationem et usum mediorum, Ecclesiæ a Christo commissorum. Iamvero hic finis supponit quod in Ecclesia sint non tantum iusti. Id quod maxime ex natura auxiliorum apparet, ut praesertim ex potestate cœrcitiva Ecclesiæ collata (cf. infra, art. 39 s.), ex potestate remittendi peccata (quocumque modo peccata sunt remittenda), ex praecepto correctionis fraternae, ex institutione Eucharistiæ, dicente Domino de calice : « Hic est sanguis meus novi Testamenti qui pro multis effundetur *in remissionem peccatorum* » (Mτ., xxvi, 26) ; ex oratione dominica : « Dimitte nobis debita nostra » etc.

Prob. 3. *Anliqui* sine hæsitatione admiserunt inter membra Ecclesiæ esse quosdam peccatores. *Clemens Romanus* ‹ orinthios seditiosos aperte de peccato gravissimo accusat atque pœnitentiam imponit (Ep. ad Cor., c. xlv-lv),

simul tamen eos ut membra suæ curæ subiectos tractat (c. 1.57. 59. G5) : unde culpabiles ita alloquitur : « Vos igitur qui seditionis fundamenta iecistis, ...correctionem suscipite in pænitentiam... ; melius enim vobis est *in grege Christi* parvos et bonæ famæ reperiri quam nimis splendentes spe illius eici » (c. 1 v h, 1, 2). Sententia porro Ecclesiæ apparet in institutione poenitentiae maioris pro criminibus capitalibus : in qua sc. rei excommunicabantur, sc. « ubi tale commissum est ut is qui commisit, a Christi etiam corpore separetur » (S. Aug., *Enchiridion,* c. i.xv). Uniusmodi excommunicatio certe non haberet locum si peccator ipso facto cessaret esse membrum Ecclesiæ. Inde articulus symboli qui est de remissione peccatorum, intelligitur non tantum de remissione peccatorum per baptismum sed simul de remissione peccatorum personalium in Ecclesia et in membris Ecclesiæ : « per hanc enim (remissionem sc. peccatorum) stat Ecclesia quæ in terris est ; per hanc non perit quod perierat et inventum est » (S. Aug., *Enchir.,* c. 1 x iv). Inde denique Novatiani et Donatistæ tanquam hæretiei declarabantur..

Prob. 4. *Scholastici* certe tenebant, inter membra Ecclesiæ esse peccatores. Attamen, considerantes Ecclesiam principaliter ut corpus mysticum Christi, notant, peccatores *non eodem modo* ac iustos esse membra Christi adeoque Ecclesiæ. Inde (ut refert S. Thomas, III, *Sent.,* q. xiii, q. n, a. 2) quidam dixerunt, « quod (fideles peccatores) non pertinent ad unitatem corporis Ecclesiæ, quamvis pertineant ad unitatem Ecclesiæ ». Id quod S. Thomas probare videtur, utendo formula : malos non esse Ecclesiæ membra « proprie, nisi sicut membrum mortuum, sc. æquivocel » vel « nisi imperfecte, per fidem informem » (III, q. vin, a. 3 ad 2). Menfem autem suam Angelicus l hietor proprie aperit in corp. art. (Ill, q. vin, a. 3). Ubi triplicem gradum distinguit unionis actualis cum Christo : sc. per fidem (informem), per caritatem viæ et per frui-

1. Terminus « æquivoce » apud S. Thomam quandoque idem l ignilicat ac « secundum analogiam ». Unde S. Thomas distinguit Inter nomina univoce, *pure* æquivoce et secundum analogiam vel proportionem dicta (I, q. xm, a. 5).

tionem patriæ. Inde concludit : « Christus est caput hominum secundum diversos gradus : *primo* eorum qui actu uniuntur ei per gloriam : *secundo* eorum qui actu uniuntur ei per caritatem : *tertio* eorum qui actu uniuntur ei per fidem. Docet igitur S. Doctor : alio modo iustos ac peccatores, esse membra Christi et per consequens membra Ecclesiæ, sicut iterum alio modo beatos in cœlo : id quod per se patet. Ita « fides informis est communis omnibus membris Ecclesiæ » (II, II, q. iv, a 5 ad 4).

Thesis IV. Medium quo aliquis fit membrum Ecclesiæ. est baptismus.

• Prob. *Christus* ipse declaravit : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei » (Joa., in, 5), et simul : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit » (Mc., xvi, 16). Inde Apostolis mandatum dedit : « Docete omnes gentes, baptizantes eos » (Mt., xxvi, 19). Igitur baptizati fideles ad regnum Dei adeoque ad Ecclesiam pertinent.

Apostolus *Paulus* solos baptizatos fideles ut membra Ecclesiæ, ut « domesticos Dei », alloquitur. « Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive ludæi sive gentiles... » (Z *Cor.,* xn, 13).

Denique conformis est praxis veteris Ecclesiæ, incipiendo a S. Petro in die Pentecostes qui auditores commotos exhortatur : « Pœnitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum » *(Act.,* n, 38).

Patio huius est quia per baptismum homo incorporatur Christo et efficitur membrum Christi, transfertur in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei, recipit remissionem peccati originalis et peccatorum personalium, accipit characterem Christi indelibilem, fit capax ad alia sacramenta suscipienda et aperitur ei ianua regni coelestis (cf. Concil. Florent., Decret, pro Armenis, Denz., 696, Concil. Trid., Sess. V, can. 5 ; Sess. VI, c. 4. 7 ; Sess. VII, can. 14 ; S. Thomas, III, q. xlix). Inde per baptismum homo fit membrum regni Christi, et quidem « incorporatur ei quodammodo corporaliter, sc. per visibile sacramentum » (S. Thomas, III, q. xlix, a. 5 ad 1).

V. Obiectiones. — *Obiicitur* 1° : Ecclesia in symbolo

prædicatur « sancta » et ab Apostolo « sancta et immaculata », « non habens maculam aut rugam » *(Eph.,* v, 27). Ad hoc optime S. Thomas (III, q. vm, a. 3 ad 1) : « Dicendum, quod esse Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam neque rugam, est ultimus finis ad quem perducimur per passionem Christi ; unde hoc erit in statu patriæ, non autem in statu viæ. » Ita enim « Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret ». ut dicit Apostolus (l. c., v. 25, 26).

Ob. 2°. Primitivi christiani tum in S. Scriptura tam in literature christiana reliqua vocantur « sancti ».

Resp. At minime eo sensu ut peccatores ad Ecclesiam non pertinere censeantur, sed membra Ecclesiæ vocantur sancti vel ut *vocali* ad sanctitatem *(Rom.,* i, 7) vel ut sanctificati per baptismum vel ut fidem habentes in Christum.

VI. Regulæ ad distinguenda membra Ecclesiæ.— a) Ex principio mox proposito regulæ sequuntur quibus membra Ecclesiæ ab extraneis distingui possunt. Primo enim distinguuntur baptizati a non baptizatis. Secundo vero simul solvitur quæstio de baptizatis illis qui quocumque modo desinunt esse membra Ecclesiæ. Per baptismum enim homo *fit* et est membrum Ecclesiæ. lamvero in societatibus accidit ut aliquod membrum a societate deficiat vel etiam e societate eiiciatur. Inde oritur quæstio, quinam semel facti membra Ecclesiæ in illa ut membra permanere et quinam deficere censeantur.

t) Ex quarta thesi *regula generalis* sequitur : *inlanlum aliquis baptizalus membrum Ecclesiæ permanet inquanlum effectus baptismi in ipso permanet.*

c) Inde regulæ *particulares* deducuntur.

1. Qui semel (in Ecclesia) *baptizatus* fuerit, semper *subtectus Ecclesiæ* permanet, quia *obligatio* in receptione baptismi suscepta semper remanet.

2. Qui semel in Ecclesia baptizatus fuerit, retinet *characterem* baptismalem ; adeoque, etiamsi ab Ecclesia defecerit, ut iterum membrum Ecclesiæ fiat, non baptismate novo, sed *reconciliatione* tantum indiget.

3. In *peccalore* deficit effectus baptismi qui est gratia habitualis et vita in Christo : unde *imperfecte* tantum est

Christo incorporatus ac imperfecte membrum Ecclesiæ ; similiter peccator deficit a statu baptismatis qui sc. vitam Christianam importat : ideo est sicut membrum putridum.

4. *Excominunicali* (excommunicatione sc. valida et maiori, maxime si vitandi declarantur), desinunt esse membra Ecclesiæ usque ad reconciliationem. Deficit enim in eis effectus baptismi qui est incorporatio in corpus visibile Ecclesiæ. Id quod fit per actum iurisdictionis Ecclesiæ, ad cuius potestatem tamquam societatis perfectae pertinet iudicare et determinare de membris admittendis et excludendis. Unde excommunicatio definitur in C. J. C., can. 2257 § 1 : « Excommunicatio est censura qua quis excluditur a communione fidelium ». Excommunicat! sunt *exclusi* a consortio Ecclesiæ, utique donec resipiscant.

5. *Schismatici* formales per schisma seipsos privant effectu baptismatis qui est communio cum fidelibus ideoque seipsos a corpore Ecclesiæ separant. Idem dicendum de illis, qui ut suicidæ spirituales, vel facto vel declaratione iuridica, Ecclesiam derelinquunt.

6. *Hærelici formales et publici* destruunt in seipsis non tantum gratiam baptismatis sed simul fundamentum unionis cum Christo et cum corpore Ecclesiæ, sc. fidem : fides enim est conditio primaria baptismatis suscipiendi uti et unionis cum Christo et cum corpore Ecclesiæ. Unde hæretici formales et publici sunt extra Ecclesiam. Hoc maxime patet in illis qui alicui sectæ iuridice et publice sunt adscript?.

7. *Hæretici formales sed occulli,* qui sc. hæresim non manifestant, sed externe nomen catholicorum gerunt ac in quibusdam actibus Ecclesiæ communicant, ut *membra mortua* corporis mechanico quodam modo ab Ecclesia circumferuntur : manet enim in huiusmodi effectus baptismi qui est communicatio externa cum communitate fidelium, nisi et hic effectus per indicium Ecclesiæ auferatur, ut fit in excommunicatis, præsertim in vitandis[1].

8. *Post mortem* baptizati *non amplius* sunt *inembra Eccle-*

1. De controversia circa haereticos occultos vide Groot, *De licclesia,* q. m, a. 3.

siæ militantis, sc. ob mutationem status, sed aut transeunt ad Ecclesiam triumphantem (vel interim ad Ecclesiam purgantem) si in statu gratiæ decesserint, aut si in statu peccati mortalis reperti fuerint, penitus ab Ecclesia Christi separantur quia « totaliter desinunt esse membra Christi quia iam nec sunt in potentia ut Christo uniantur[1]. »

9. *Non baptizati* denique non sunt membra corporis Ecclesiæ nisi in *potentia* vel in *volo,* ut catechumeni et alii fidem habentes ; omnes tamen sunt *obligati* ut membra Ecclesiæ liant[2].

VII. De distinctione inter corpus et animam Ecclesiæ. — 1. Hucusque de membris corporis Ecclesiæ, i. e. de membris Ecclesiæ ut est societas visibilis inter homines constituta, locuti sumus. Vocatur autem Ecclesia corpus per analogiam ad corpus humanum. lamvero sicut in homine inter corpus et animam distinguendum est, ita per analogiam etiam in Ecclesia inter corpus et animam Ecclesiæ distinguere consuevimus. In corpore humano anima a corpore distinguitur sicut· pars immaterialis a parte materiali, sicut forma quæ corpori naturam et speciem humanam tribuit, sicut principium vitale ab instrumento organico. Proportionate modo in Ecclesia pars *spiritualis el supernaturalis,* sc. fides, caritas, gratia, potestas et auctoritas divinitus data et omnis influxus spiritualis Christi et Spiritus S., *anima* Ecclesiæ dicitur, societas vero visibilis cum suis membris et institutis *corpus* Ecclesiæ vocatur[3].

1. S. Thomas, III, q. vin, a. 3.

2. Reliquæ quæstiones pertinent v&Hntlheologiani dogmaticam quippe quæ determinat conditiones baptismi et fidei, vel ad ius canonicum quippe quod determinat leges -iudiricas Ecclesiæ. Videsis Card. Turrecremata, *De Ecclesia,* l. I, c. xliv-lxi ; Bellarminus, *De controversiis,* m, 3 ; Joannes a S. Thoma, O. P., *Cursus theol.,* de Auct. Summi Pontificis, disp. 2, art. 3 ; Straub, *De Ecclesia,* π, Thesis 32, η. 1229 ss.

3. Notandum tamen est : sicut in homine corpus et anima quidem *distinguuntur,* utpote realiter, non tamen *separantur,*· quinino *unum* hominem constituunt : ita in Ecclesia corpus et anima quidem distinguuntur at non separantur, sed unam Ecclesiam constituunt. Unde sicut in homine corpus non intelligitur ut corpus mortuum sed vivum, ita in Ecclesia corpus vil institutum

2. Secundum distinctionem inter corpus et animam Ecclesiæ aliquis dicitur *pertinere* vel ad *corpus* vel ad *animam* Ecclesiæ. Ad corpus Ecclesiæ pertinet qui est membrum societatis visibilis, qui cum membris et capite Ecclesiæ communicat ; ad animam Ecclesiæ pertinet qui in fide, caritate, gratia Christi participat vel communicat : sive imperfecte si fidem tantum habet, sive perfecte, si etiam in caritate et gratia sanctificante est constitutus.

3. Iamvero secundum doctrinam catholicam[1] etiam illi qui sunt extra corpus visibile Ecclesiæ, certis sub conditionibus *possunt* habere fidem, immo gratiam et caritatem : ut catechumeni, hæretici qui sunt bona fide, excommunicati qui actum contritionis perfectæ eliciunt. Huiusmodi igitur, licet ad corpus Ecclesiæ non pertineant, tamen ad animam eius pertinere possunt, sive imperfecte, sive etiam perfecte.

sociale non intelligitur ut separatum ab anima vel a parte spirituali et supernatural! ; simili modo anima Ecclesiæ minime ut separata a corpore Ecclesiæ intelligitur.

1. Cf. Pius IX, Denz., 1647.

SECTIO IV

De constitutione hierarchica Ecclesiæ

Accedimus nunc ad quæstionem de causa formali Ecclesiæ ut est societas. Forma vero alicuius societatis est constitutio vel regimen[1]. Inde quæstio est de *constitutione* Ecclesiæ a Christo institutæ, et quidem de consitutione quam *ipse Christus* personaliter Ecclesiæ suæ dederit vel determinant. Agitur denique de constitutione *essentiali* ac fundamentali, quæ sc. ipsam naturam Ecclesiæ, ut est societas, determinat, non vero de quibusdam formis accidentalibus, quæ sc. postea accesserint in Ecclesia, supposita constitutione essentiali et divinitus determinata.

Iamvero constitutio Ecclesiæ est *hierarchica.* Quæ quidem dupliciter considerari potest : *uno modo in generali, alio modo in particulari.* Hic primo constitutio hierarchica Ecclesiæ tantum in generali consideratur ; in particulari considerabitur infra, ubi de Romano Pontifice (art. 42-50).

Vix notandum est doctrinam de constitutione hierarchica Ecclesiæ esse maximi momenti pro Apologetica, utpote maxime ah adversariis impugnatam.

Inde, respiciendo difficultates motas ab adversariis, sequentes ponemus articulos :

1° Explicatur *doctrina* de constitutione hierarchica Ecclesiæ et *probatur ex S. Scriptura* (art. 13) ;

2° Constitutio hierarchica Ecclesiæ *probatur ex testimonio veterum* (art. 14) ;

3° De *constitutione charismalica* Ecclesiarum S. Pauli (art. 15) ;

4° De *Convenientia* constitutionis hierarchies Ecclesiæ.

1. Natura ac species alicuius rei physicæ per formam substantialem determinatur, natura vero societatis a fine et ultimo a constitutione dependet.

ARTICULUS DECIMUS TERTIUS

Explicatur doctrina de constitution· hierarchica Ecclesiæ et probatur ex S. Scriptura

I. Dogma catholicum. — Concil. Trid. docet : « Quod si quis omnes christianos promiscue N. Tl. sacerdotes esse aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur quam ecclesiasticam hierarchiam ...confundere » (Sess. XXIII, e. iv, Denz,. 960). Inde in can. 6 (Denz., 966) definit : « Si quis dixerit, *in Ecclesia catholica* non esse *hierarchiam divina ordinatione institutam* quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris, a. s. » Concilium Vatie, hierarchical!! *Ecclesiæ* constitutionem docet, definiendo divinam institutionem primatus Romani Pontificis. Doctrinam catholicam denique breviter et optime refert C. J. C. Dicit in can. 108 § 3 : « Ex divina institutione sacra hierarchia ratione ordinis constat Episcopis', presbyteris et ministris ; ratione iurisdictionis, pontificatu supremo et episcopatu subordinate ; ex Ecclesiæ autem institutione alii quoque gradus accessere ». Et in can. 948 : « Ordo ex Christi institutione *clericos a laids* in Ecclesia *distinguit* ad fidelium regimen et cultus divini ministerium. » Est igitur *dogma* catholicum, Ecclesiam Christi esse societatem hierarchice constitutam.II.

II. Sententia adversariorum. — *Protestantes* omnes proprie dicti, i. e. exceptis Anglicanis, constitutionem hierarchicam Ecclesiæ maxime negant ac impugnant. Inde tenent, non esse ex voluntate, immo contra voluntatem Christi, ut in Ecclesia sit coetus quidam hominum divinitus potestate sacra instructus ad conficienda sacra et populum regendum (ut potestas Romani Pontificis, episcoporum et sacerdotum) ; simul negant distinctionem inter clericos et laicos, sc. quod sit ex institutidne divina; denique, si potestatem aliquam divinitus datam in Ecclesia admitliint, illam esse omnibus communem ac Ecclesiæ universali datam asserunt (sacerdotium universale). Atque haec l hesis est fundamentalis per protestantisme proprie dicto.

Protestantes recentiores in Ecclesia primitiva quandam potestatem *charismaticam* concedunt, sc. quod Deus immediate aliquibus potestatem quandam personalem concesserit : quæ tamen potestas neque ad constitutionem Ecclesiæ pertineret neque ad alios pertransiret.

Denique theologi et historici protestantici sicut et rationalistic! doctrinam de constitutione hierarchica Ecclesiæ catholicæ tanquam effectum evolutionis historic® declarant atque omnibus viribus eius originem investigare ac exponere conantur[1] (cf. supra, art. 5).

Modernistæ, uti ex eorum doctrina de institutione Ecclesiæ patet (supra, art. 5), ut non admittunt Ecclesiam a Christo institutam, ita nullam constitutionem vel organismum a Christo ordinatum. Ecquidem in illo regno eschatologico quod Christus expectasse asseritur, ordo quidam fuisset, ab ipso Deo determinatus, at illud regnum non est Ecclesia de qua loquimur. Unde Modernist® asserunt : ordo ille qui in Ecclesia catholica de facto existit, non est a Christo Domino institutus sed fructus evolutionis historicæ et opus ingenii humani[2].

III. De notione hiérarchisé et constitutionis hierarchic® Ecclesiæ. — Ob multiplices errores circa conceptum hierarchiæ, simul tamen ob difficultatem obiectivam conceptus, quædam sunt prænotanda, sc. quæ necessaria sunt ad statum quæstionis determinandum, remittendo de reliquo ad theologiam dogmaticam.

1. *Definitio.* Ilierarchia (ἱεραἀρχή) idem sonat ac principatus sacer. Definiri potest : *cœtus seu ordo præsidum ex institutione divina præditus poleslale/sacra. ad fidelium regimen et ad cultus divini ministerium.*

Explic. Hierarchia vi nominis et ex usu communi importat *principatum,* præsidium, imperium, potestatem, in sacris. Huiusmodi potestas dicitur *sacra,* tum quia est circa res sacras tum quia ad finem sacrum ordinatur : ita hierar-

I. Hort, *The Christian Ecclesia,* mandatum divinum de con»lil,nendis in Ecclesia ministris admittit. Cf. Groot, *De Ecclesia3,* HH n.

" Cf. A. f.oiSY, *Évangile, et Église,* pars IV.

chia ecclesiastica dicitur sacra ut ordinata ad ministerium *cultus* divini et ad *sacramentorum* administrationem.

Sublectum huius potestatis est *coelus* quidam seu ordo præsidum, i. e. pars fidelium seu membrorum Ecclesiæ : vocatur coetus inquantum huiusmodi præsides inter se quodam ordine sunt uniti (Romanus Pontifex, episcopi, sacerdotes, ministri[1]). Hucusque habetur elementum *materiale* hierarchiæ (genus definitionis) ; pars vero *formalis* (differentia specifica) est quod talis potestas sit ex *immediata institutione divina* et quod sit *immediate a Deo collata,* se. in prima constitutione : ita Petrus et Apostoli immediate a Christo dicuntur accepisse potestatem quæ, semel collata ac accepta, postea in alios transire potest[2].

2. Hierarchia est necessario *supernaluralis;* et quidem tum ratione originis inquantum potestas est immediate a Deo (Christo) collata, tum ratione obiecti (sacramenta et vita fidelium), tum ratione finis qui est sanctificatio fidelium.

3. Hierarchia est potestas *instrumentalis* et *ministerialis :* inquantum potestas nonnisi in nomine et auctoritate et virtute Christi exercetur, intra limites a Christo positos et in bonum Ecclesiæ. Longissime igitur a vero hierarchiæ conceptu aberrant qui eam tanquam facultatem dominandi in utilitatem propriam intelligunt. Hierarchica potestas e contra officium et obligationem, et quidem gravem et onerosam, procurandi gloriam Dei et salutem fidelium subaudit : ita Romanus Pontifex est « servus servorum Dei ».

4. Ecclesia dicitur hierarchice *constituta* inquantum talis cœtus præsidum ad constitutionem Ecclesiæ divinitus datam et perpetuo duraturam pertinet.

1. Non raro « hierarchia » præsides superiores ut Rom. Pontificem et episcopos significat.

2. Protestantes et alii communiter partem formalem et maxime constitutivam hierarchiæ negligunt. Ita *Harnack* (Texte und Untersuchungen, n, 155) illam constitutionem vocat hierarchicam, in qua iura originis humanæ tamquam ex ordinatione divina orta declarantur. « Hierarchisch nennen wir diejenige Verfassungsform, in welcher beliebige weltliche Rechte, welche Inhaber des Amtes ausüben, ihrem Ursprung nach auf gottliche Anordnung zurückgeführt werden ». Hæc definitio est corruptio pessima notionis catholicæ de hierarchia ecclesiastica.

5. Potestas hierarchica distinguitur in potestatem *ordinis* qui sc. ordinatione sacramentali confertur et ad sacra conficienda ordinatur, et in potestatem *iurisdiclionis* quæ est ad fidelium regimen.

6. Denique notandum est, *nullam* existere inter homines aliam societatem quæ haberet constitutionem hierarchicam *prout in Ecclesia* asseritur : nam in aliis societatibus religiosis potestas non asseritur (sicut nec est) neque ut supernaturalis neque ut immediate a Deo (Christo)· collata neque ut ad constitutionem, divinitus determinatam pertinens. Inde abusive quidam de hierarchia buddhistica etc., loquuntur.

IV. Thesis igitur est : Ecclesia Christi ex ipsius Christi ordinatione hierarchice est constituta.

Probatur :

1° Ex parte ipsius *Christi ;*

2° Ex parte *Apostolorum.*

1. Constitutio hierarchica Ecclesiæ probatur ex parte Christi.

Arg. : Secundum Evangelia *lesus Christus* ipse :

A) Generaliter Ecclesiam ut societatem hierarchice constitutam describit ;

B). Apostolis ut coetui determinato potestatem confert ad fideles sanctificandos et regendos ;

C). Hanc potestatem ac constitutionem perpetuo duraturam edocet. Ergo.

Prob. antecedens per partes.

Ad A. Christus generaliter Ecclesiam ul societatem hierarchice constitutam describit.

Christus Ecclesiam maxime « *regnum cadorum* » appellat. lamvero nomen ipsum regni coelorum Ecclesiam ut societatem ordinatam repraesentat, cum distinctione munerum, officiorum et potestatis ; in regno Christi omnis potestas a Christo confertur et in nomine et auctoritate Christi exercetur; tota distinctio et constitutio est a Christo ; similiter omnis potestas est sacra. Itaque vi nominis « regni Christi » Ecclesia significatur ut ab ipso Christo, per certum ordinem præsidum distincta et ordinata, ab ipso Christo potestate sacra prædita,' ad finem

Ecclesiæ consequendum. Neque ullo modo insinuatur sed e contra excluditur, potestatem gubernativam vel sanctificam primitus toti coetui fidelium conferri, ita ut omnes sint æquales.

Similiter nomen « *Ecclesia* » minime societatem informem, sed societatem ordinatam significat ; qualis autem foret ille ordo, ab eo qui Ecclesiam suam ædificarit, totaliter dependet, a quo denique omnis potestas in Ecclesia erit : unde Christus Mt., xvi, 16 ss. primo declarat quod Petrus foret caput Ecclesiæ, et secundo ei potestatem proportionatam promittit.

Idem *per alia nomina* vel per figuras Ecclesiæ exprimitur. Ecclesia ut « *domus Dei* « habet ordinem familiæ, totum voluntate patris familias dirigitur, omnis potestas est ab ipso collata. Multo magis « templum Dei », « *civitas Dei* » societatem hierar hicam indicat. Maxime denique : « *corpus Christi* » et « sponsa Christi » habebit simul potestatem a Christo acceptam et ordinem secundum Christi dispositionem Jid quod Paulus postea expresse describit (I *Cor.,* xn, 12 ss. ; *Eph.,* iv, 16).

Ad 13. Christus Apostolis ut cœtui determinato potestatem ad fideles gubernandos et sanctificandos immediate confert. — Id quod Christus per prædicationern regni Dei generaliter annuntiaverat, consequenter per actus particulares exequitur, constituendo sc. Apostolos ut præsidcs Ecclesiæ suæ. Ideo primo *eligit* duodecim tanquam discipulos speciales qui ipsum ab initio sequuntur : « Non vos me elegistis sed ego elegi vos » (Ioa., xv, 16). Quos et Apostolos vocavit (Lc., vi, 13) qui sc. ut ab ipso missi, ex mandato et in auctoritate Christi sint ministri regni Christi.

Huiusmodi Apostoli *missionem Christi* continuabunt : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (Ioa., xx, 21) ; inde « Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit » (Lc., x, 16).

In hunc finem Christus Apostolis dat *potestatem,* sive generaliter sive particulariter. *Generaliter* quidem per verba : « Amen dico vobis : Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt, soluta et in cœlo » (Mτ., χνιπ, 18) : ita Christus Apostolis plenam potestatem spiritualem in

regno suo confert. *Particulariter* autem potestatem determinatam confert, ut baptizandi (= suscipiendi homines in regnum suum) (Mt ., x x v iii, 19), Eucharistiam celebrandi (7 *Cor.,* xi, 24), remittendi peccata (Io a ., x x , 23). Maxime vero Christus suam potestatem in Apostolos transfert ante ascensionem suam in coelum, cum nempe Apostolis regnum suum definitive commiserit. Inde Mt ., x x v iii, 18-20, Christus primo potestatem profert suam : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra » ; et deinde ex hac plenitudine potestatis Apostolis potestatem confert : « Euntes ergo docete omnes gentes (potestas docendi vel magisterii), baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti (potestas sanctificandi), docentes eos servare omni quæcumque mandavi vobis » (potestas gubernandi). Denique Apostolis promissionem dat divinam exeeutionis huius mandati : « Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. » Sanctionem vero constitutionis Ecclesiæ Christus dat his verbis : « Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit... » (Lc., x, 16).

Specialem potestatem Christus Petro confert, de qua re tamen infra.

Ad C. Christus potestatem et constitutionem hierarchicam Ecclesiæ perpetuo duraturam edocet. Non pauci protestantes quidem admittunt, apostolos a Christo potestatem quandam ad Ecclesiam fundandam et regendam accepisse ; tamen praetendunt·, huiusmodi potestatem finituram fore cum Apostolis : ita ut deinceps in Ecclesia Chpsti non. amplius sit neque potestas neque constitutio hierarchica.

Contrarium vero facile ex iam dictis sequitur.

1. Christus Ecclesiam vocat regnum suum quod ex vi nominis est hierarchice constitutum : quousque igitur regnum Christi manebit, erit regnum hierarchicum. Deinde Christus Apostolis potestatem confert docendi *omnes* gentes, docentes eos servare quæcumque dixerat eis, et in hunc finem ipsis assistentiam suam usque ad finem mundi promittit (Mt ., x x v iii, 18-20). Per Apostolos igi-|ur omnes gentes usque ad finem mundi docebuntur et gubernabuntur, et quidem in vi potestatis ipsis a Christo collatæ : id quod fit aut personaliter per Apostolos ipsos

aut per eorum successores legitimos, qui sc. Apostolis succedunt tum in docendis et regendis gentibus tum in potestate a Christo accepta., Ita quoque Christus missionem suam salvificam per Apostolos usque ad finem mundi continuat ; hac denique ratione Ecclesia Christi fundata est super Petrum, non Ecclesia tantum unius sæculi, sed ipsa Ecclesia Christi[1].

2. De reliquo ipsa *ratio* hoc suadet. Christus enim, instituendo Ecclesiam tanquam regnum suum quo missionem suam continuaret et gentes edoceret et sanctificaret, non debuit instituere vel ordinare ecclesiam duplicem, aliam hierarchicam cum Apostolis, aliam non hierarchicam. Hoc quidem locum haberet, si Christus incapax vel impotens fuisset, unicâ Ecclesia necessitatibus fidelium sufficienter providere. Neque ullus fundator alicuius regni vel societatis (ut e. g. ordinis religiosi) intendit ut constitutio talis societatis postmodum essentialiter mutetur. Itaque iam ex fundatione Ecclesiæ apostolicæ firmissime praesumendum est, eam ex voluntate Christi perdurare oportere : secus Christus voluntatem suam expresse manifestare debuisset : cuius tamen nec ullum vestigium extat[2].

Itaque potestas hierarchica Apostolorum et constitutio

1. S. Thomas, *C. Gerit.,* iv, 74 : « Non est dicendum quod potestas sic data sit Christi discipulis quod per eos ad alios derivanda non esset : data est enim eis ad Ecclesiæ aedificationem secundum Apostoli dictum. Tamdiu igitur oportet hanc potestatem perpetuari quamdiu necesse est aedificari Ecclesiam. Hoc autem necesse est post mortem discipulorum Christi usque ad sæculi finem. Sic igitur data'fuit discipulis Christi spiritualis potestas ut per eos deveniret ad alios : unde et Dominus discipulos in persona aliorum fidelium alloquebatur, ut patet per id quod habetur (Mc., xm, 37) : *Quod vobis dico, omnibus dico,* et (Mt., xxviii, 20) Dominus discipulis dixit : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* ».

2. Optime S. Thomas, S. *Th.,* Ia IIa«, q. cvi, a. 4 :

« Status mundi variari potest... secundum varietatem legis : et sic statui novæ legis nullus alius status succedit. Successit enim status novæ legis statui veleris legis tanquam perfectior imperfectiori : nullus autem status præsentis vitæ potest esse perfectior quam status novæ legis : nihil enim potest esse propinquius fini ultimo quam quod immediate in finem ultimum introducit (sc. regnum cœlorum)... Unde non potest esse aliquis perfectior status· præsentis vitæ quam status novæ legis ».

hierarchica Ecclesiæ usque ad finem temporum duratura est, utpote, ut potestas et constitutio Ecclesiæ Christi.

2. Constitutio hierarchica Ecclesiæ probatur ex parte Apostolorum. — Apostoli a) Ecclesiam gubernant, *b)* in potestate ac nomine Christi, c) alios ministros instituunt. Atque his constitutionem hierarchicam Ecclesiæ testificantur. Ergo.

Minor patet. Maior probatur sub uno.

jj *Prob.* a) Factum regiminis hierarchici Apostolorum iam /supra, art. 9, probatum est, licet sub alio respectu. Apostoli enim, præsertim S. Paulus, ex mandato et in potestate Christi, fideles in ecclesias colligunt, illas nomine et auctoritate Christi, i. e. ut Apostoli Christi, regunt ac gubernant, considerant Ecclesiam ut corpus, sponsam et regnum Christi adeoque ut vivificatam, sanctificatam ac gubernatam per potestatem Christi. Atque ista gubernatio Ecclesiæ per potestatem 'hierarchicam Apostolorum in Actibus et epistulis Apostolorum per totum patet1.

Prob. β) Similiter patet in particulari. *Ecclesia primitiva* in lerusalem per collegium Apostolorum adhuc non dispersorum gubernatur, non quidem ut per delegatos Ecclesiæ, sed ratione apostolatus a Christo accepti *{Act.,* i, 1, 8). Inde ad supplendum locum traditoris eligitur Mathias « accipere locum *ministerii* huius et apostolatus » (Acf, i, 25) et speciali modo vocatur Paulus *{Aci.,* c. ix). Fideles vero « erant perseverantes in doctrina Apostolorum » *{Act.,* ii, 42), i. e. in doctrina Christi, prout per Apostolos proponebatur.

Paulus evidenter Ecclesias a se fundatas gubernat, et quidem non ut delegatus fidelium sed ut apostolus lesu Christi. Testimonium gubernationis habes in omnibus S. Pauli epistulis : recole punitionem incestuosi (/ *Cor.,* v, 1-7), privilegium Paulinum *{I Cor.,* vn, 10-16), ordinationes liturgicas et disciplinares (/ *Cor., X,* 16-21; xi, 18-34 ;

1. Quæsliones de institutione divina Ecclesiæ, ut societatis veri nominis, et de eius constitutione hierarchica, quasi coincidunt, saltem materialiter. Nimis enim manifestum est Ecclesiam a Christo Domino institutam, regnum messianicum Christi, denique tandem potestate Christi adeoque hierarchica, gubernari.

xii, 1-31 ; x iii, 1-49), ordinationes pastorales in epistulis pastoralibus.

Jri Potestas qua Paulus Ecclesias gubernat, est a Christo : z« Paulus Apostolus, non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem » (GaZ., i, 1), « propter gratiam quæ data est mihi a Deo ut sim minister Christi Jesu in gentibus » *{Boni.,* xv, 15-16), ex « potestate nostra quam dedit nobis Dominus » *{II Cor.,* x, 8), ut « positus prædieator et Apostolus et magister gentium » *{II Tim.,* i, 11).

Similiter *Pelrus* fidelibus scribit ut « Apostolus lesu Christi » (i, 1) ; eadem ratione *Jacobus* promulgat extremam unctionem (Iac., v, 14) ; loannes in epistulis et in Apocalypsi apparet ut gubernans plures Ecclesias quas per suos delegatos et per epistulas et Apocalypsim dirigit (Ioa., ii, 12 ss, ***III*** Joa., per totum).

Ulterius Apostoli ex potestate sibi tradita *alios ministros* ' *instituunt :* ita in lerusalem instituuntur diaconi *{Aci.,* vi, 6). Paulus cui « sollicitudo omnium Ecclesiarum » incumbit *{II Cor.,* xi, 28), huiusmodi Ecclesias per suos delegatos administrat, ut sunt praesertim Titus *{II Cor.,* vm, 23), Timotheus *{I Cor.,* iv, 16 ; xvi, 10 ; ***II*** *Cor.,* i, 1), Sosthenes (*/ Cor.,* i, 1) Archippus *{Coi.,* iv, 17), Epaphras *{Coi., i,* 17 ; iv, 12), Epaphroditus *{Phil.,* n, 25 ; iv, 18). Ad Titum et Thimotheum Paulus epistulas instructorias dirigit, quomodo ecclesias administrare debeant. Ita Timotheus Ephesi loco Apostoli potestatem super fideles et præsidentes exercet *{I Tim.,* iv, 11 ; ***II*** *Tim.,* n, 2); ipse iudicat de admittendis ad officia *{I Tim.,* m, 1-14 ; v, 22) ; ipsius est iudicare de presbyteris *{I Tim.,* v, 19) ; ipsi cura est de honore et vita præpositorum localium *{I Tim.,* v, 17, 18). Similiter Titus in insula Creta loco Pauli Ecclesias ibi fundatas regere debet (Tit., i, 5) ; ipsi iniungitur ut in diversis civitatibus præpositos residentes instituat (Tit., i, 6-8), ut neophytos ad vitam meliorem promoveat (I. c.). Inde in Ecclesiis S. Pauli habentur presbyteri *{I Tim.,* v, 17. 19), episcopi et diaconi *{Phil.,* i, 1, *Act.,* xx, 28), præsidentes *(Thess.,* v, 12 : προϊστάμενοι), præpositi *{Heb.,* x iii, 17 : ἡνούυενοι).

Ideo denique Apostoli expressis verbis *obædientiam* a

fidelibus *expostulant.* « Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum eius » (*I Cor.,* iv, 1). Thessalonicenses Apostolus rogat, «ut noveritis eos qui laborant inter vos et præsunt vobis *in Domino* et monent vos » *(I Thess.,* v, 12). In epistula ad Hebr. (x iii, 17) fideles admonentur : « Obædite præpositis vestris et subiacete illis » (cf. x iii, 7 ; *I Pel.,* v. 1-4).

Ad Corinthios Apostolus scribit « Ideo enim scripsi ut cognoscam experimentum vestrum, an *in omnibus obædientes* sitis » *(II Cor.,* n, 9).

Itaque ecclesiæ per Apostolos fundatæ manifeste hierarchice erant constitutæ, utpote gubematæ per Apostolos in potestate a Christo accepta, qui Apostoli potestatem a Christo acceptam aliis communicant et simul ipsis ordinant, ut iterum alios in hoc munus instituant.

V. Difficultates adversariorum triplicis sunt generis : 1° Adversarii, « regnum coelorum » tanquam regnum vel mere internum et « spirituale » vel mere eschatologicum interpretantur, in quo non est locus pro hierarchia : quoad hoc videsis ea quæ art. 6 exposuimus.

2° Adversarii negant, Apostolos a Christo potestate sacra fuisse instructos : quoad hoc vide art. 7 et 8 et argumenta huius art.

3° Adversarii adducunt rationes a priori, ut ex natura et ex conditionibus justificationis, quibus potestatem et constitutionem hierarchicam Ecclesiæ tanquam repugnantem atque impossibilem demonstrare conantur : de qua re specialiter infra, art. 16, agemus.

ARTICULUS DECIMUS QUARTUS

Constitutio hierarchica Ecclesiæ probatur ex testimoniis veterum

I: Argumentum directum ex doctrina veterum. — *Ecclesia* subsequeris tempus apostolicum manifeste turn Ecclesiam de facto hierarchice constitutam tum doctrinam ‹ orrespondentem exhibet.

Adversarii ipsi admittunt, saltem ab anno 200 Ecclesiam cum organismo hierarchic© tum facto tum in doctrina extare, licet hoc negent pro tempore priori. Unde suffii it adducere testimonia ex tempore duorum priorum saeculorum. Hic consideranda veniunt Didache, I. epistula Clementis ad Corinthios, epistulæ S. Ignatii et S. Polycarpi, Apologetæ secundi saeculi, S. Irænaeus. Hi autem omnes tum factum hierarchise testantur, tum hanc formam constitutionis Ecclesiæ ad institutionem divinam referunt.

1. *Didache* vel *Doctrina Apostolorum* ex vi tituli refert modum vivendi quem Christiani (ex gentibus) tenere debent *ex mandato Apostolorum.* In c. xv, determinantur qualitates eorum qui in munus episcopi et diaconi sunt eligendi : « Constituite vobis episcopos et diaconos dignos Domino, viros mansuetos et argenti non cupidos et veraces et probatos », sicut iam Paulus idem ordinaverat (/ *Tim.,* m, 1-14 ; Tit ., i, 7-9). Quidquid est de officio horum episcoporum vel diaconorum, certe sunt ministri Dei : « ministrant et ipsi ministerium prophetarum et doctorum », et sunt honorati, sc. in Domino, « una cum prophetis et doctoribus ». Sunt ministri Eucharistiæ, ideoque tantum digni sunt eligendi.

2. Testimonium præclarum fert *Clemens Romanus* in *Epistula ad Corinthios,* scripta in nomine Ecclesiæ Romanæ (circa an. 98).

a) In Ecclesia Corinthiorum orta erat « seditio impia et detestanda » (i, 1) adversus presbyteros. Ad quam seditionem sedandam epistula ad Corinthios dirigitur. Clemens

ad pacem, humilitatem et obœdientiam exhortatur, concludendo : « Militemus igitur omnibus viribus sub inculpatis Dei præceptis» (xxxvn, 1). Ad huiusmodi præcepta pertinet ordo hierarchicus. Necessitatem obœdientiæ erga ordinem hierarchicum Clemens primo per triplicem *analogiam.* ostendit, sc. ex ordine in exercitu, in corpore humano et in veteri testamento (c. xxxviii-xli)[1]. Deinde Clemens originem et naturam ordinis N. T. exponit, et quidem his merito celeberrimis dictis :

« Apostoli nobis Evangelii prædicatores facti sunt a Domino lesu Christo, Jesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo et Apostoli a Christo ; et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis et per resurrectionem Domini nostri lesu Christi plena certitudine imbuti Deique verbo confirmati, cum certa spiritus sancti fiducia egressi sunt adnuntiantes regni l)ci adventum. Per regiones igitur et urbes verbum prædicantes primitias earum spiritu cum probassent, constiInerunt episcopos et diaconos eorum qui crediturі erant (xlii, 1-4)... Apostoli quoque nostri per lesum Christum Dominum nostrum cognoverunt, contentionem de nomine episcopatus oborituram ; ob eam ergo causam, perfecta præscientia præditi, constituerunt prædictos ac deinceps ordinationem dederunt, ut cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent. Itaque qui constituti sunt ab illis vel deinceps ab aliis viris eximiis consentiente universa Ecclesia quique inculpate gregi Christi deservierunt..., hos iudicamus munere suo non iuste deiici » (xliv, 1-3). Inde Clemens seditionem damnat : « Contentiosi estis, fratres, et in rebus quæ ad salutem pertinent» (xlv, 1),

1. Hac ratione Clemens, c. xl, 5 scribit : « Summo quippe sacerdoti sua munera tributa sunt, sacerdotibus locus proprius adsignalus est et levitis sua ministeria incumbunt. Homo laicus praeceptis laicis constringitur. » Clemens ordinem hierarchicum V. T. adducit in confirmationem regulae- propositae : « Cuncta ordine debemus facere quæ nos Dominus statutis temporibus peragere iussit » (xl, 1), ita ut nullus transgrediatur « præscriplam ministerii sui regulam» (xli, 1). Immerito igitur R. Seeberg, alTirmat, hierarchiam Ecclesiæ a Clemente deduci ex hierarchia Vet. Testamenti : adducitur enim tantum analogia constitutionis Ecclesia· Jlogmengeschichte, I2, 190).

quia sc. seditio est peccatum grave (x l iv, 3-6), et celeriter auferenda 8 c. x l v iii) : rei poenitentiam agere debenl (c. LIV, Lvir, 1 v iii).

Tria igitur epistula Clementis testificatur : primo existentiam ordinis hierarchici in Ecclesia ; secundo, originem divinam et apostolicam huius ordinis, tertio, continuationem hierarchiæ in Ecclesia.

b) Testimonium Clementis protestanticos torquet ; inde *effugia* diversa quærunt. *R. Seeberg*[1], sic opinatur : Clemens *facium* historicum existentiæ episcoporum et diaconorum vel presbyterum'in hanc *Iheoriam* convertit vel immutat : ius presbyterorum est originis divinæ et apostolicæ, i. e. factum mere historicum tanquam ius divinum declarat.

Uti patet, huiusmodi assertio est purum effugium. Clemens enim originem divino-apostolicam hierarchiæ non tanquam theoriam proponit sed tanquam factum historicum testificatur ; et quidem tanquam factum quod omnibus, etiam adversariis, notum est et ab ipsis concessum. Vanum etiam et insanum fuisset tentamen iura presbyterum quæ pure humana fuissent, tanquam divina declarare : tali tentamine Clemens seditiosos certe non convertisset. Denique Seeberg summa iniuria Clementi crimen ita enorme imponit.

Nec meliora sunt quæ Seeberg in confirmationem suæ sententiæ adducit. Seeberg primo supponit seditionem factam fuisse a pneumaticis qui positionem presbyterorum arripere conati essent. At per hoc comedit, episcopos et diaconos primitus habuisse hegemoniam : id quod est contra sententiam generalem ipsius Seeberg secundum quam primitus solum pneumatici vel charismatic! Ecclesiam dirigissent. Deinde Seeberg Clementi obiicit quod « spiritum » taceat et nihil aliud quam seditionem impiam et detestandam videat. At undenam Seeberg probat suppositum, sc. depositionem presbyterorum ex inspiratione Spiritus Dei factam esse ? Clemens probat contrarium, sc. seditionem factam esse ex « zelo et invidia ». Ulterius Seeberg notat, episcopos a Clemente via pure iuridica tanquam successores Apostolorum declarari. At ius quod Clemens episcopis tri-

1. *Lehrbuch der Dogmengeschichte,* I2, p. 183-199.

huit, non est ius humanum, sed ius divinum, sc. institutio divino-apostolica, quæ proprie et formaliter hierarchiam constituit. Instat Seebert : ius episcoporum per successionem acquiritur. Optime, sed per successionem quæ fundatur in institutione divina. Denique Seeberg tum episcopatum tum successionem tanquam originis iudaicæ declarat. At in hoc confundit analogiam quæ inter hierarchiam ecclesiasticam et judaicam habetur, cum ratione originis hierarchiæ. Unica et tota ratio cui hypothesis ipsius Seeberg innititur, est suppositio : in initio in Ecclesia nulla fuit potestas sacra nisi charismatica ; inde tota eius expositio ruit.

A. *Harnack*[1] tria in explicationem epistulæ Clementis proponit. Supponit, antecedenter episcopos meros administratores bonorum Ecclesiæ ac deinde cultus, præsertim Eucharistiæ fuisse. Inde secundum Harnack, primo (cum idea novi sacrificii) orta est sententia, episcopos analogiam quandam habere ad sacerdotes V. T. ; Secundo institutio episcoporum ad Apostolos reducta fuit ; tertio idea successionis apostolicæ intravit.

At testimonium Clementis est omnino contrarium. Clemens enim testificatur, episcopos ex institutione apostolica esse ministros sacrorum et prædicationis. Deinde sine ullo dubio orta est idea analogiæ inter sacerdotes Vet. et Nov. Testamenti, at sensu inverso ac Harnack asserit. Non enim a conscientia Christiana *creata* est vel *ficta* est analogia quædam (sc. non vera) inter sacerdotes veteres et novos, sed præsupposita veritate et institutione divina sacerdotii novi,«evidens fuit analogia cum sacerdotio Vet. Test.

Similiter christiani episcopos tanquam ab Apostolis institutos non admisissent nisi propter fidem in institutionem divinam episcopatus : ad quam fidem Clemens sese refert. Idem dicendum est de successione apostolica. Denique Harnack immerito asserit episcopos vel presbyteros de quibus in epistula Clementis, nullam habuisse potestatem vel hegemoniam. Ad quid enim Clemens de « ministerio » episcoporum loquitur, ad quid obædientiam expostulat, ad quid hortatur « cervicem supponere et

1. A. Harnack, *Lehrbuch der Dogmengeschichte,* I, p. 237 s.

locum obædientiæ implentes inclinari illis qui sunt duces animarum nostrarum » (τοϊ ὑ-ἀρχουσ'.ν ἀρχηνοϊ των ψυχών ἡαών) (XLIII, 1) ?

Rud. *Sohm*[1] (cuius· doctrinam generalem de Ecclesiæ constitutione iam supra exposuimus et diiudicavimus), censet, in epistula Clementis prima vice apparere doctrinam de institutione divina hierarchiæ Ecclesiae, ita ut hæc epistula constitutionem primitivam finierit.

Sohm igitur admittit, in epistula Clementis institutionem divinam et ius divinum episcopatus edoceri. Attamen et ipse fallitur. Primo quidem asserendo, ante Clementem nullam extare testimonium iuris divini hierarchiæ ; secundo interpretando dicta Clementis tanquam doctrinam novam, cum Clemens e contra ad factum a fidelibus admissum sese referat ; tertio male supponendo episcopis non attribui nisi iura ordinis pure iuridici vel humani, licet ex institutione divina : ius enim episcoporum supponitur esse essentialiter sacrum et supernaturale, quantum ad potestatem tum iurisdictionis tum ordinis.

In concreto Sohm censet, ideam iuris divini episcoporum derivatam fuisse ex ordine in Eucharistia celebranda. In hoc tamen falso supponit, episcopos primitus tantum ex commissione Ecclesiæ et iure pure humano ministros quosdam Eucharistiæ fuisse et ex hoc ad gubernium Ecclesiæ ascendisse. E contra enim episcopi et presbyteri, ut habentes divinitus ius et potestatem sacram ad Eucharistiam conficiendam et celebrandam, propter hanc ipsam potestatem tanquam hierarchici considerabantur, sicut et erant. Et hanc ideam vel fidem Clemens testificaturt

3. Maxime epistulæ S. *Ignatii Antiocheni* testimonium de constitutione hierarchica Ecclesiæ dicunt. Omnes enim epistulæ (excepta ep. ad Romanos, quæ est de alia re) testificantur : a) *facium* constitutionis hierarchicæ Ecclesiæ cum episcopis, presbyteris et diaconis ; *b) ius divinum* hierarchiæ et obligationem obædientiæ ex parte fidelium ; c) distinctionem episcoporum, presbyterorum et diaconorum et d) specialiter existentiam episcopatus sic dicti

1. K. Sohm, *Kirchenrecht,* I (1892), p. 134, 137 ss., 160.

monarchic!. Hoc loco tamen duo tantum priora testimonia considerabimus1.

a) Ignatius *primo* testificatur *exislentiam episcoporum* in ecclesiis Asiæ minoris. Hujusmodi institutum iam existit, cum Ignatius salutetur ab episcopis ; immo non apparet ut institutum recens, sed ut simpliciter existens et admissum. Ita indicatur episcopus Ephesiorum (Onesiinus-Eph., i, 3), Magnesiorum (Damas-Mag., u, 1), Smyrnaeorum (Polycarpus-Ad Polyc., Inscrip., Mag., xv, 1), Trallensium (Polybius-Trall., i, 1), Philadelphensium (Philad., i, 1), Antiochi» vel Syriæ (Ignatius qui vocatur « episcopus Syriæ » *(Rom.,* ii, 2) « Ecclesiæ Syriæ *(Rom.,* ix, 2), « Ecclesiæ Antiochenæ in Syria Philad., x, 1, et *Smyrn.,* xi, I). Denique Ignatius memorat generaliter « episcopos per tractus terra constitutos » *(Eph.,* m, 2).

Secundo Ignatius testificatur ius et *potestatem divinam* episcoporum, presbyterum et diaconorum simulque necessitatem sublectionis propter Deum et ex mandato divino. Id quod Ignatius diverso sub respectu inculcat.

a) Episcopi, presbyteri et dicaoni sunt *ministri Dei, missi ab eo, locum et potestatem Dei tenentes.* — « Quemcumque paterfamilias mittit ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus ut illum ipsum. Manifestum est quod episcopum respicere oportet ut ipsum Christum » *(Eph.,* vi, 1). « In concordia Dei omnia peragere studeatis, episcopo præsidente loco Dei et presbyteris loco senatus apostolici et diaconis mihi suavissimis concreditum habentibus ministerium Jesu Christi » *(Mag.,* vi, 1). Cf. Smyrn. vm, 1. Et generaliter : « Çtenim lesus Christus sententia Dei Patris est (i. e. ex voluntate Patris Filius Dei in lesu Christo incarnatus est — cf. *Rom.,* vu, 1), ut et episcopi per tractus terra constituti in sententia lesu Christi sunt » (i. e. ex voluntate Christi constituti sunt *(Eph.,* m, 2).

1. Videsis : ad *Eph.,* c. n-vi ; 20, 2 ; c. ni-vn, 13 ; *Trail..* ‹. ii-vii ; *Pilad.* c. i-iv 7 ; *Smyrn.,* c. vm-ix ; Ad *Polycarp.,* c. i-vii ; vm, 3. Quantum ad genuitatem epistularum S. Ignatii vide : Mich. Rackl, *Die Christologie des hl. Ignatius voη Antiochien,* Freiburg, 1914.

β) *Subieclio sub clero est analoga sublectioni Christi* (ut hominis) *sub Patre, vel ul subieclio Apostolorum sub Christo.* « Subiecti estote episcopo et vobis mutuo ut lesus Christus Patri secundum carnem et Apostoli Christo et Patri et Spiritui, ut unio sit et carnalis (humana) et spiritualis (religiosa vel supernaturalis) » (Mag., x iii, 2). Ignatius laudat Ephesios ut « coniunctos ei (sc. episcopo) sicut Ecclesia lesu Christo et sicut lesus Christus Patri » *(Eph.,* v, 1).

γ) *Subieclio sub clero est donum Dei et sanctificat.* — « Quotquot enim Dei sunt et lesu Christi, et quotquot pænitentia ducti redierint ad unitatem Ecclesiæ, et hi *Dei erunt* ut secundum lesum Christum vivant » *(Phil.,* m, 2). « Decet itaque vos omnibus modis glorificare lesum Christum qui glorificavit nos, ut in obædientia una perfecti, subiecti episcopo et presbyterio, per omnia *sanclificctii* sitis » *(Eph.,* ii, 2). « Utile itaque est, in immaculata unitate vos esse ut et semper *participetis Deo* » *(Eph.,* iv, 2). « Bonum est Deum et episcopum honorare. Qui episcopum honorat, a Deo honoratus est ; qui clam episcopo aliquid agit, diabolo servit » *(Smyrn.,* ix, 1).

5) Denique Igrfatius clerum tanquam *principium unitatis Ecclesiæ* statuit (non tantum fidem), sc. ut principium visibile unitatis : ut per textus iam citatos patet. Ita episcopus est principium unitatis Ecclesiæ localis sicut lesus Christus Ecclesiæ universalis : « Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit lesus Christus, ibi catholica est Ecclesia » *(Smyrn.,* vm, 2).

Ex his omnibus intelligitur fervor et zelus Ignatii in exhortandis fidelibus ad obædientiam erga clerum, ut cum dicit : « Clamavi... magna voce, Dei voce : episcopo obædite et presbyteris et diaconis » *(Philad.,* vu, 1), et alio in loco : « Paratus sum animam meam ponere pro iis qui sunt subditi episcopo, presbyteris et diaconis » (Ad. Polyc., vi, 1).

b) Protestantes testimonium et doctrinam S. Ignatii iisdem viis effugere conantur ac testimonium S. Clementis ; unde inutile est repetere criticam. Tamen sequentia specialiter notare iuvabit.

Secundum S. Ignatium, *a)* potestas certe non competit fidelibus, sed determinato coetui, sc. episcopis, presbyteris et diaconis ; *b)* huiusmodi potestas est sacra, non vero-

humana vel pure administrativa vel iuridica : id quod quam maxime ex Ignatii conceptu omnino spirituali de Ecclesiæ patet ; c) potestas clero competit, non ex commissione fidelium sed ex voluntate vel institutione Christi ; *d)* consequenter potestas episcoporum est vere hierarchica.

Seeberg quidem censet : « Neque Clemens neque Ignatius « hierarchæ » fuerunt ». « Episcoptatus est tantum officium communitatis, non Ecclesiæ ». « Tantum abest ut officium dominctur Ecclesiæ ut tantum per modum operarii revelationi Christi inserviat, ita ut Christus sit dominus Ecclesiæ1. »

Sed facilis est responsio. Certe enim secundum Ignatiuin ipse Christus est dominus Ecclesiæ et episcopi non sunt nisi ministri Christi in cuius sc. potestate et ex cuius mandato Ecclesiam gubernant et cuius revelationi vel evangelic et regno serviunt ; minime tamen secundum Ignatiuin episcopatus est officium communitatis, eo sc. sensu ut potestas episcoporum nomine communitatis vel ex eius commissione exerceatur. E contra episcopatus vere est officium Ecclesiæ, sc. officium a ipso Christo in Ecclesia institutum. Denique Seeberg Ignatio imputat quod «novum institutum » episcopatus monarchici introducere voluerit : at Ignatius ipse est episcopus monarchieus et in omnibus ecclesiis ad quas declinaverit, episcopum inonarchicum iam reperit et testificatur.

4. *Paires vel scriplores* ecclesiastici *IP saeculi* minus expresse de hierarchia ecclesiastica loquuntur. Scripta enim eorum quæ supersunt, de aliis quæstionibus tractant, ita ut de Ecclesiæ constitutione non nisi incidenter loquantur. Tamen in huiusmodi dictis occasionalibus hierarchiam ut rem omnino notam et admissam exhibent.

5. *Epistula Barnabæ* gnosim, i. e. intellectum profundiorem doctrinæ christianæ vult dare. Ideo vetus testa-

1. R. Seeberg, *Lelirbuch (ler Dogmengeschichle,* I2, p. 198 s. « Hierarchen sind weder Clemens noch Ignatius gewesen. » « Man ist noch weit entfernt davon, das Amt zum Herrri der Kirche zu machen ; man hat noch das lebhafte Bewusstsein, dass es nur Handlangerdienste tut der Offenbarung Jesu Christi, dass Christus der Ilerr der Kirche ist. » « Trotzdcm ist der Episkopat erst Gemeindeamt, nicht Kirchenamt ».

mentum tanquam figuram regni Christi spiritualité!' explicat. Apostoli, quos Christus ipsius evangelii prædicatores elegit (v, 9), « quibus dedit evangelii *praedicandi potestatem* » (vin,3), per duodecim tribus Israel præfigurati sunt.

« *Pastor Hermæ* » sub forma apocalyptica ad pœnitentiam et omnem virtutem exhortatur : quæ sc. in membris regni Dei requiritur *{Sim.,* ix, 13, 2). Quoad hierarchiam nominantur : « præpositi Ecclesiæ » *{Vis.,* π, 2, 6), qui « præsunt Ecclesiæ » et « primas sedes occupant » (προηγούμενοι καί προτοκαδεδρίται (Fis., ni, 9, 7), pastores *{Sim.,* ix, 31, 5 s.), « presbyteri qui præsunt Ecclesiæ (Romanæ) » (πρδεστάμενοι — *Vis.,* π, 4, 3), Clemens qui librum acceptum in exteras Ecclesias mittet, utpote cui hoc demandatum est (l. c.), episcopi ad quorum ministerium pertinet viduas protegere *{Sim.,* ix, 27, 2) etc.

6. *Apologelæ* Π1 sæculi ex intentione pauca de Ecclesia dicunt ne imperatorum invidiam excitent. Tamen memorantur « præsidentes » (προεστώτε) (lust., Apol., I, c. 1 x v - 1 x v ii), qui sunt sacerdotes (lust., Dial. 116) et Eucharistiæ sacrificium peragunt (Inst., Apol., I, c. 1 x v, 1 x v ii) simul cum diaconis, ministris Eucharistiæ (l. <·.).

7. *Clemens Alexandrinus* clare indicat potestatem doctrinalem Ecclesiæ : credere enim oportet prophetis, evangeliis et sermonibus apostolicis vel traditioni apostolicæ1, quæ sine scriptura per successionem ad nos pervenerunt2. Apostolus laçobus fuit primus episcopus, electus ab Apostolis, « pflicium episcopi est Ecclesiæ præesse (τη εκκλησία ἁπάση προϊστασδαι)3 ; episcopi et presbyteri sunt pastores præsidentes (ποιμένε προηγούμενοι)4, a quibus distinguuntur diaconi et laici5. In « Quis dives salvatur » unus episcopus supponitur6.

1. Quis dives salvatur, 42 ; Strom., vi, 15 ; M. ix, 483 B.
2. Strom., vi, 7 ; M. G., ix, 284 A.
3. Strom., iii, 12; M. G., 1180 A.
4. Paedag., i, 6.
5. Strom., iii, 12.
6. Harnack, *Dogrnengeschichte,* I3, 367 s. nihilominus censet, (lenientem non docere Ecclesiam episcopalem : quippe quia Clemens (Strom., vi, 13 et vn,· 9, 12) homini « gnostico » vel spiritualité!· viventi munus quoddam apostolicum attribuit, imo

8. S. *Irenæus* in opere « *Adversus hæreses* » doctrinam gnosticdrum impugnat. In argumentatione (cuius connexionem alio in loco exponemus) ad episcopos tanquam apostolorum successores appellat.

« Habemus annumerare eos qui ab apostolis instituti sunt episcopi, et successores eorum usque ad nos », « quibus etiam ipsas ecclesias committebant » (III, m, 1) ; ci. Ill, χχχιπ, 7 ; V, xx). « Quapropter eis qui in Ecclesia sunt presbyteris obædire oportet, his qui successionem habent ab apostolis ; qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt » (IV, xxvi, 2). Quia « valde longum est omnium ecclesiarum enumerare successiones, « tantum » maximæ et antiquissimae et omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et eonstitutæ Ecclesiæ » successionem episcoporum indicat (III, in, 2). Scribit : « Fundantes igitur et instruentes (οικοοοίΛησαντε) beati Apostoli ecclesiam, Lino episcopatum administrandæ ecclesiæ tradiderunt... Succedit autem ei Anacletus... Post eum tertio loco ab apostolis episcopatum sortitur Clemens... » (III, 3, 3). Similiter « Polycarpus... ab Apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis ecclesia, constitutus (est) episcopus » (HI, m, 4). [1]

Itaque secundum Irenæni testimonium episcopi habent potestatem in Ecclesia, ab Apostolis acceptam. Huiusmodi potestas certe non est pure humana vel iuridica, sed sacra, tum ratione originis tum ratione obiecti. Obiectum enim est Ecclesia, quæ est corpus Christi vivum, quæ a Spiritu S. illuminatur, et episcopatui charisma veritatis concessum est (III, xxiv, 1 ; IV, xxvi, 2 ; IV, xxxm, 7, 8) ; obiectum est Eucharistia et sacrificium N. T. (IV, 17 ; 18 ; xxxm, 2 ; V, n, 2, 31).

spirituales tamquam veros presbyteros Ecclesiæ et diaconos Dei celebrat. Similiter Loofs, *Dogmengesch.,* p. 167. Sed Clemens tantum influxum hominis docti et spiritualis cum influxu vel opere presbyteri vel diaconi comparat.

1. *Seeberg* quidem opinatur,, Irenaeuin nondum hierarchiam docere éo sensu ut « salus hominum a sacerdotibus dependeat ». (Lehrbuch der Dogrnengeschichte, I2, p. 310). Certe non eo sensu quern Seeberg supponit, sc. sacerdotes ex iurisdictione et pote-

9. Audiatur ultimo *Tertullianus.* In opere « De præscriptione haereticorum » contra Gnosticos pugnando, ille dicit : « Edant origines ecclesiarum suarum ; evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris... habuerit auctorem et antecessorem » (c. xxxii ; cf. xxxvi). Ita episcopi sunt institutionis apostolicæ (De *fuga.,* c. xin), sunt pastores (De *Cor.,* I), præsides (De *præscript.,* xlii), præpositi (De monog., xn), antistites (De *Cor.,* m). Haereticis improbat quod « laicis sacerdotalia munera iniungunt »(De præscript., xli). Postea quidem, factus hæreticus montanista, episcopis potestatem remittendi peccata denegat (De pudicitia, per totum; cf. spec., c. xi ss. ; 21 ss.), sed in hunc finem ut novam doctrinam Montani defendat. Similiter contra ea quæ prius docuerat, scribit : « Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas et honor per ordinis consessum sanctificatus. Adeo ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers et tingis et sacerdos es tibi solus[1] ». Attamen, impugnando in his omnibus catholicos, indirecte testificatur doctrinam catholicam illius temporis de institutione et potestate divina episcoporum, de distinctione inter clerum et laicos, de polestate Ecclesiæ circa remittenda peccata[2]. Eadem ratione Ecclesia vocatur « numerus episcoporum (De *pudic.,* c. xxi).

state pure humana vel iuridica hominibus salutem conferre — id quod est alienissimum a mente tum Irenæi tum etiam Ecclesiæ catholicæ ; tamen Irenæus cum Ecclesia catholica docet, episcopos habere potestatem sacram et divinitus acceptam ad fideles docendos, gubernandos et sanctificandos. Inde facile* intelligitur quo sensu Irenaeus dicit, omnem iustuin habere sacerdotalem ordinem (iv, 8, 3), sc. inquantum omnis justus in Ecclesia per sacerdotes legitimos sacrificium offert et in fructibus sacrificii participat. Circa doctrinam S. Irenaei de Ecclesia : cf. Batiffol, *l'Eglise naissante,* chap. iv.

1. *De exhortatione caslil.,* c. vu.

2. Forsitan Tertullianus iam ab initio potestatem episcoporum quidem ut sacram et divinam sed nimis exclusive ut disciplinarem consideraverat ; inde de ppdicitia, c. xxi scribere potuit : Disciplinæ solius officium sortitus es, nec imperio præsidere sed ministerio. » Cf. K. Adam, *Der Kirchenbegriff Tertulliane* (1907) ; Adhémar d'Alès, *La théologie de Terlullien* (1905).

10. *Conclusio.* Patres igitur et scriptores ecclesiastici qui data opera de Ecclesiæ constitutione loquuntur, Ecclesiam tanquam divinitus hierarchice constitutam declarant, insistendo in potestate divina apostolorum et in potestate episcoporum tanquam successorum apostolorum ; alii autores potestatem et institutionem divinam episcopatus ut notam et admissam simpliciter enuntiant. Deest adhuc doctrina speculativa, sed factum ipsum statuitur. Inde aliud sequitur argumentum.

11. Argumentum praescriptionis. — Constat factum historicum existentiæ Ecclesiæ catholicæ, hierarchice constitute Atqui huiusmodi factum a) est argumentum firmissimum præsçriptionis pro constitutione hierarchica Ecclesiæ ex parte ipsius Christi, et *b)* huiusmodi præsscriptio , per theorias protestantium vel aliorum confirmatur. — Prob. min.

) Factum historicum quod hic considerandum venit, non est nudum et simplex factum existentiæ Ecclesiæ hierarchic®, sed est factum investitum determinatis qualitatibus. Huiusmodi sunt : Ecclesia catholica tanquam Ecclesia *Christi* tenetur et creditur ; hierarchica constitutio tanquam a Christo instituta et per Apostolos transmissa *creditur;* potestas episcoporum tanquam sacra et supernaturalis consideratur ; nulla extitit controversia circa hanc persuasionem ; documenta quæ supersunt, hierarchiæ originem divinam aut expresse testificantur aut ut factum admissum enuntiant.

Atqui huiusmodi factum est firmissimum argumentum præsçriptionis pro veritate doctrinæ catholicæ (cf. supra, art. 10, art. II).

) *Argumentum confirmatur per theorias protestantium.* — Fatcntibus vel ipsis adversariis, circa finem saltem sæc.n extat Ecclesia catholica cum organisatione hierarchica quæ tanquam divinitus instituta creditur. Huiusmodi factum explicatione indiget, i. e. Protestantes, negantes voluntatem Christi de Ecclesia hierarchica instituenda, explicare debent quomodo contra voluntatem Christi Ecclesia facta sit hierarchica, quomodo ad constitutionem Ecclesiæ catholicæ perventum sit. lamvero theoriæ vel hypotheses·

protestantium et aliorum originem hierarchiæ non explicant.

a) *Hypotheses conlrariæ fundamento certo carent.* — Omnes enim tanquam fundamentum supponunt, in initio in Ecclesia nullam fuisse potestatem a Christo collatam et sacram, sive ordinis sive iurisdictionis, sed tantum « spiritum », « enthusiasmum », charismata. Huiusmodi suppositura certe non est factum historicum quod secundum regulas logicæ occasionem hypothesis statuendæ præbere possit : nam omnis hypothesis factum certum supponit quod explicandum suscipitur. E contra certum est, in initio fuisse in Ecclesia potestatem Apostolorum, sacram -et a Christo collatam.

3) *Adversarri coguntur vel negare vel invertere omnia jacta in documentis veterum enuntiata vel testificata.* — Ita adversarii coguntur negare vel in alium sensum pervertere testimonium Clementis Romani de origine episcopatus, testimonium Ignatii Antiocheni de episcopis, presbyteris et dicanonis, coguntur pervetere doctrinam ipsius Didache, imo coguntur negare originem apostolicam epistularum pastoralium S. Pauli. Ideo adversarii facta historica non explicant, sed vel negant vel pervertunt.

γ) *Théorisé conlrariæ non explicant facium hierarchiæ prout illud facium revera exlat.* — Primo non explicant quomodo episcopi-presbyteri tanquam prædiți potestate divina et ex institutione divina recogniti et accepti fuerint. Secundo evolutio ab adversariis asserta fuisset immutatio ita fundamentalis et enormis Ecclesiæ ut accidere non potuisset neque absque resistentia neque absque vestigiis in documentis vel in historia neque potuisset esse eadem in universa Ecclesia. lamvero in historia nullum invenitur vestigium resistentiae, imo Clemens et Ignatius præcise ex potestate et institutione divina episcoporum et presbyterum argumentantur, ut ex concesso. Si tamen quaedam difficultates aderant, illæ sunt circa executionem obædientiæ clero debitæ. Quæ difficultates nil miri habent, quia obædientia erga clerum in fide, in moribus, in cultu et in disciplina pro Christianis e paganismo conversis erat res nova et denique obædientia hominibus semper est difficilis, maxime in negotiis spiritualibus. Unde in historia

ecclesiæ duorum priorum sæculorum documenta quidem difficultatum in obædientia præstanda extant, nulla vero documenta negationis hierarchiæ, nisi forsitan ex parte hæreticorum.

4. *Hypotheses conlrariæ immerito hierarchicos primi temporis summa iniuria afficiunt.* — Protestantes enim quasi omnes episcopis et presbyteris primi temporis crimen nefandum usurpationis potestatis indebitæ imputant. Certe enim immutatio potestatis humanæ in potestatem divinam et iuris humani in ius divinum, esset crimen enorme usurpationis, ne quid aliud dicam. Huiusmodi autem criminis imputatio nullo modo concordat cum charactere historico et personali e. g. Clementis vel Ignatii. imo simpliciter tanquam calumnia est declaranda.

5. *Denique protestantes absque ullo fundamento historico originem Ecclesiæ catholicæ æquiparant origini hæresis protestanticæ.* — Ecquidem in origine protestantismi accidit defectio fundamentalis et revolutionaria ab Ecclesia praeexistente, et qpidem sub praetextu reformandi Ecclesiam secundum Dei voluntatem. Huius tamen defectionis processum tota historia clamat, dum nihil simile in historia Ecclesiæ primitivæ apparet. Lutherus et Calvinus data opera in « reformatores » sese erexerunt, Clemens vero et Ignatius maxime in fide tradita instant. Protestantismus fuit defectio, primi vero Patres fidem acceptam explicare et ad praxim deducere conati sunt. Hoc tantum unum adversariis concedendum est vel potius contra eos statuendum est : fidem in constitutionem hierarchicam Ecclesiæ et ipsam constitutionem hierarchicam succedentibus temporibus magis magisque fuisse explicatam et in praxim deductam, i. e. voluntatem Christi in Ecclesia catholica execution! fuisse mandatam.

ARTICULUS DECIMUS QUINTUS

De constitutione charismatica ecclesiarum S. Pauli

I. Sententia adversariorum. — Sicut Modernistæ opinantur inter discipulos Christi nullum aliud ligamen fuisse n_isi mutuum amorem et reverentiam erga Christum, ita p rotestantes moderni communiter tenent, christianos primitivos unitos fuisse tantum per mutuum amorem, per 'emthusiasmum et per charismata quibus mediantibus sing-ulis manifestabatur quid esset faciendum. Ita tanquam principium unitivum et gubernativum vel etiam sanctificat ivum Ecclesiæ primitivæ ponunt exclusive το πνεύμα. I dquod maxime ex epistulis S. Pauli (vel etiam ex Didâche) probare conantur. Ita secundum eos in ecclesiis S. Pauli nulla fuisset auctoritas vel iurisdictio ordinaria quæ certis hominibus vi officii vel gradus competeret (potestas apostolica, episcopalis, sacerdotalis), sed tantum influxus immediatus Spiritus S. per charismata.

Inde tota organisatio ecclesiæ dicitur « pneumatica » : « charismata omnia determihant ».

Simul ab adversariis deducitur, constitutionem hicrarehicam Ecclesiæ esse effectum evolutionis historic®, i. e. episcopos postrnodum locum charismaticorum obtinuisse : ffuæ tamen evolutio a diversis diversimode explicatur[1].

II. Factum exponitur. — 1. De facto chaiismata in e cclesiis S. Pauli abundarunt (cf. *I Cor., c.* xn et xiv), i l a ut essent, quasi communia. Huiusmodi charismata erant adjutorium quam maximum in conversione paganorum et pro confirmandis et consolandis fidelibus. Charismatic! <]uamloque ministros eligendos designarunt (7 *Tim.,* i, l 8 ; IV, 14 ; *Aci.,* xm, 1-5) ; immo homines charisma-

1. ita maxime Harnack, *Texte und Untersuchungen,* II ; similiter tamen auctores protestantici et modernistici, locis in art. a nlecedente citatis.

lici præ cæteris ad officia ecclesiastica assumpti sunt *(Aci.,* xiii, 1-5). Huiusmodi charismata S. Paulus varia enumerat : apostolos, prophetas, doctores, sermonem sapientiæ et scientiæ, fidem, gratiam sanitatum, operationem virtutum, discretionem spirituum, genera linguarum, interpretationem sermonum et alia1.

2. S. Paulus omnia huiusmodi dona vocat « spiritualia » (πνευματικὰ) *(I Cor.,* xii, 1). Sub hoc nomine tamen non tantum gratias gratis datas quæ nunc a theologis proprie charismata dicuntur, sed generalius omne donum supernatural et gratuitum, *immediate a Deo concessum,* et in utilitatem Ecclesiæ, in adiutorium ministerii collatum intelligit. Inde « spiritualia » S. Pauli *non tantum* charismata personalia sed insuper ministeria quædam comprehendunt, inquantum sc. considerantur ut donum Dei gratuitum, collatum in adiutorium Ecclesiæ ad sanctificationem hominum.

Ita in *I Cor.,* c. xn per totum. Apostolus ibi incipit instructionem circa spiritualia vel pneumatica : « De spiritualibus autem nolo vos ignorare, fratres » (at. 1). Omnia huiusmodi sunt a Spiritu Sancto : « Nemo potest dicere : Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto » (v. 3). Dona quidem sunt diversa, sed ab eodem spiritu (v. 4-6). Paulus deinde spiritualia distinguit in « charismata », (divisiones gratiarum), ministrationes » ('διακονίαι) et « operationes » (ενεργήματα) (v. 4-6). Omnia huiusmodi dona sunt manifestatio spiritus, et quidem in utilitatem Ecclesiæ : « Unicuique autem datur manifestatio spiritus in utilitatem » (v. 7). Enumerans deinde quædam dona *(v.* 8-10), docet, per huiusmodi donorum varietatem non auferri unitatem Ecclesiæ, quia « hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis sicut vult » (v. 11), et in uno corpore Christi (= in Ecclesia) sunt membra multa et diversa (v, 12-27). Ita « quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum... »

I. Textus principales sunt : *Aci.,* xm, 1-5 ; I *Cor.,* xn, 1-11, 28-31 ; 14 ; *Horn.,* xn, 6-8 ; *Eph.,* iv, 11-14 ; 3, 5 ; *I Tim.,* i, 18 ; 4, 14; F. du Prat, *La Théologie de saint Paul,* II2, 429-440; F. Vosté, *Commentarius in Epistolam ad Ephes.* (1921), p. 185 s.

(v. 28-30). Denique, exhortando ad « viam excellentiorem » (c. xin), Paulus ordinationes circa usum spiritualium in Ecclesia dat (c. xiv).

Eandem doctrinam Apostolus in ep. ad *Ephesios* proponit, licet sub alio respectu (n, 20 ; tv, 11). Ibi enim primo Deo gratias agit pro vocatione Ephesiorum (i, 3-14) et Ephesiis spiritum sapientiæ et revelationis exoptat, i. e. illa duo charismata (πνεύμα σοφία και ἀποκαλύψεω) a Deo deprecatur (v. 17), sc. ad cognoscendam gratiam quam consecuti sunt (i, 15-n, 10), præcipue ad cognoscendam gratiam vocationis gentium (n, 11-m, 12); deinde illos ad plenitudinem vitæ spiritualis in Christo exhortatur (m, 13 ss.). Gratiam ab Ephesiis acceptam ipse Paulus sic explicat (n, 11-iu, 12) : « Eratis aliquando longe a Deo (ii, 11-12), hospites testamentorum », nunc autem « iam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei » (n, 19), « superædificati super fundamentum Apostolorum et prophetarum » (ii, 20) (= super revelationem Apostolis et prophetis factam de vocatione gentium, ut ipse Paulus postea explicat, c. m, 1-6 ; cf. *Coi.,* i, 26 ss.), « ipso summo angulari lapide Christo Jesu »' (n, 20).

In commendatione virtutum (m, 13 ss.) Paulus Ephesiis commendat unitatem spiritus « in vinculo pacis » (iv, 3),. propter unitatem corporis et spiritus et Jesu Christi et fidei et baptismatis et Dei Patris ; tamen hæc unitas non excludit diversitatem gratiarum, i. e. donorum Dei, quæ sc. unicuique dantur « secundum mensuram donationis Christi » (iv, 7). Et ita Deus « dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores etdoctores ad consummationem sanctorum, *in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi...* » (iv, 11-12).

Paulus igitur sub nomine « spiritualium » vel donorum pneumaticorum dona quædam spiritualia, immediate a Spiritu Sancto collate, et quidem in utilitatem fidelium vel Ecclesiæ, intelligit. Huiusmodi tamen spiritualia in tres classes distinguit[1], sc. in charismata, ministeria et

1. Divisio est donorum, non personarum quæ illa habent.

operationes virtutum : charismata, i. e., dona personalia, ut e. g. donum prophetiae, in *1 Cor.,* c. xm describit, operationes virtutum *I Cor.,* xn, 8-11 enumerat (e. g. gratia sanitatum), ministrationes *I Cor.,* xn, 28 indicat.

Inde sub nomine gratiae spiritualis Apostolus etiam *officia* vel *munera Ecclesiæ intelligil,* inquantum sc. aliquis munus quoddam *immediate a Deo* accepit et simul cum munere charismata proprie dicta. Ita Paulus suum apostolatum tamquam donum spirituale considerat inquantum sc. ipsum immediate a Deo vel a Christo, gratuite, tanquam donum supernaturale et in utilitatem Ecclesiæ acceperat.

Tanquam ministros Paulus indicat : *apostolos, prophetas, doclores, euangelistas et pastores.* Apostoli non illi duodecim tantum designantur quos ante ascensionem suam Christus elegerat, sed etiam alii, ut Paulus et Barnabas et Silvanus et alii (Ac/., xm, 2, 3 ; xiv, 4, 14 ; *1 Thess.,* u, 6, 7 ; *Born.,* xvi, 7) : nomine enim apostolorum vocantur illi qui viderant Dominum, testes resurrectionis fuerant et missionem immediate a Christo vel Deo acceperant. Prophets non sunt vates V^T., sed illi qui « loquuntur in Spiritu Dei » *(/ Cor.,* xn, 3) qui sc. novas revelationes acceperunt, in confirmationem et consolationem fidelium (Ac/., xv, 32) vel divinitus illuminantur ad cognoscendas cogitationes « ordium vel ad penetranda et manifestanda mysteria revelationis vel ad communicandam voluntatem Dei (cf. *Act.,* xm, 1-5 ; *Eph.,* m, 5 ; *Coi.,* i, 26 ; *I Tini.,* iv, 14). Nomen doctoris ex vi nominis patet vel maxime ex eo quod Paulus sibi titulum « doctoris gentium» attribuit (*/ Tim.,* n, 7 ; *11 Tim.,* i, 11). Evangelists titulo decoratur Philippus (Ac/., vi, 2, 5) et Timotheo commendatur : « Opus fac evangelists » *(11 Tim.,* iv, 5) : evangelistæ igitur videntur esse missionarii qui Christum non viderant, tamen per copiam charismatum ad hoc munus a Deo ipso erant prsparati. Pastores simul cum doctoribus nominantur. Facile patet, huiusmodi divisionem et nomenclaturam secundum distinctionem charismatum vel gratiæ specialis a Deo accepts fieri-aliud enim et maius donum accepit apostolus quam pastor vel doctor1.

1. Harnack sarcastice notat, episcopos et presbyteros nunquam inter pneumaticos nominari. At evidenter. Pneumatica enim di-

III. Relatio inter ordinem charismaticum et hierarchiam. — Ex factis igitur ab Apostolo Paulo relatis et ex ipsius doctrina, in Ecclesiis S. Pauli quidam ordo charismaticus fuit. Nam plures immediate a Deo vel Christo ad numera ecclesiastica suscipienda vel electi et instituti, ut Apostoli, vel per prophetiam designati sunt ; cum munere hierarchico simul gratiæ gratis datæ coniunctæ fuerunt, ut praecipue in Apostolo ipso ; præteræa etiam in fidelibus spiritualia abundarunt quibus mediantibus fideles instructionem et consolationem acceperunt.

Huiusmodi tamen *ordo charismaticus constitutionem hierarchicam Ecclesiae non excludit, sed e contra ad eam ordinatur eamque perficit.* Etenim neque electio immediata per Christum neque designatio per prophetiam neque collatio charismatum potestatem ordinariam excludit ; neque potestas ordinaria ministrorum impedit quin alii fideles donum prophetiae vel cuiusque alterius illuminationis divinæ accipiant eoque in utilitatem Ecclesiæ utantur : tamen hierarchiæ erit, usum huiusmodi donorum regulare ut Paulus dat ordinationes in / *Cor.,* c. xit^cf. Didache, iv, 1 ; 11-13). E contra ordo charismaticus ad hierarchiam ordinatur quia spiritualia in auxilium ministerii dantur : unde vel charismatic^ in ministros Ecclesiæ eliguntur vel electis et constitutis ministris charismata a Deo conferuntur. Deinde rationi hierarchiæ optime consonat ut ministri Dei immediate a Deo eligantur vel ab ipso per prophetiam designantur vel Deus eos per dona spiritualia, sive ipsis sive aliis concessa, auxilictur. Ideo abundantia donorum spiritualium in Ecclesiis S. Pauli tantum auxilium quoddam speciale Dei importat, « in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi » *(Eph.,* iv, 12). Sicut Ecclesia universalis habet charisma indefectibilitatis et infallibilitatis, licet invisibile, ita ecclesiæ S. Pauli charisma Spiritus Sancti *manifeste* et *copiose* habuerunt : in auxilium et testimonium doctoris gentium.

IV. Argumenta contraria. — Argumenta quæ pro sen-

eantur dona *immediate* a Deo vel Spiritu Sancto collata ; episcopi autem vel presbyteri ab Apostolis instituuntur « per impositionem manuum » (II Tim., 1, 6.).

tentia contraria adducuntur, duce Harnack, ad duo reduci possunt, sc. *a)* quod in Ecclesia primitiva charismatic! hegemoniam habuerint (ηγούμενοι) ; *b)* quod episcopi primitus non habuerint, ministerium verbi (nec Eucharistiae), sed tantum magistratus oeconomici communitatis fuerint.

a) Harnack primo praetendit, charismaticos habuisse hegemoniam absolutam (« schrankenlose Herrschaft ») et obaedientiam absolutam invenisse (« Unbedingter Gehorsam »[1]). Id quod ex sequentibus textibus probare conatur.

Heb., xiii, 7 legitur : «Mementote praepositorum vestrorum (των ηγουμένων υμών) qui vobis locuti sunt verbum Dei.» At Harnack gratuito supponit, illos « praepositos » fuisse charismaticos. E contra praepositi tanquam pastores animarum praesentantur, qui sc. « pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes » (xm, 17). Quodsi praepositis ministerium verbi attribuitur, minime probat, illos fuisse charismaticos ; e contra sequitur, praepositos (episcopos) habuisse ministerium verbi. Denique Harnack in hoc et in sequentibus argumentis confundit duo : loqui verbum Dei (λαλεΐν τον λόγον) et loqui in Spiritu Sancto (λαλεΐν έν πνεύματι εοΰ) ; primum est præpositorum, aliud est charismaticorum.

I Cor., xii, 28 ss., et *Eph.,* iv, 11 charismatic! dicuntur a Deo positi (« posuit Deus ») ; inde tamen non sequitur quod hegemoniam habuerint.

Act., xm sicut *Act.,* n, 27 ss., *Eph.,* m, 5 ss. iterum hoc tantum enuntiatur, aliquos charismaticos prædicasse.

Eph., n, 20, Ephesii dicuntur : « superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum » ; at his verbis minime aliquid de constitutione Ecclesiæ vel de hegemonia charismaticorum dicitur, sed id tantum, vocationem gentium apostolis ac prophetis fuisse revelatam.

Act., xv, 22 ludas et Silas, qui v. 32 prophetae vocantur, quidem tanquam ηγούμενοι εν τοϊ ἀδελφοϊ indicantur, at non tanquam præpositi, sed ut eminentes inter fratres-Vulgata optime tradit : « viri primi in fratribus » — unde etiam non dicuntur ηγούμενοι τών ἀδελφών, sed

1. T. U„ π, 146.

ηγούμενοι εν τοι ἀδελφοῖ : cf. *Horn.,* xvi', 7 : « qui sunt nobiles in apostolis qui et ante me fuerunt in Christo » (ἐπίστημοι ἐν τοῖ ἀποστόλοι).

Harnack thesim suam specialiter ex Didache probare conatur. At in Didache « apostoli, prophetæ et doctores » minime tanquam hegemoniam habentes apparent. Nam sunt advenientes (11 ss.) et Ecclesiæ ante eorum adventum iam tanquam constitutæ præsupponuntur ; charismatic! sunt examinandi vel probandi secundum mores Domini (xi, 8) ; non in omnibus ecclesiis prophetæ habentur (xm, 4) ; ipsis honor exhibendus est et primitiæ dandæ, sicut summis sacerdotibus V. T., nil tamen habetur de obædientia præstanda.

b) Harnack ex altera parte probare conatur, « episcopos » ab initio non fuisse ministros verbi nec ecclesias rexisse.

Adducitur *1 Cor.,* xu, 28, ubi dicitur : « Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, ...deinde virtutes, exinde... opitulationes (ἀντιλήμψει) gubernationes (κυβερνήσει). At opitulationes et gubernationes, quæ post apostolos et prophetas ponuntur, significant, non quidem munus oeconomi communitatis, sed charismata proprie dicta, neque munus oeconomi donum spirituale vel pneumaticum vocari potest, sicut Harnack defendit[1].

Deinde argumentatur ex hoc quod communitas primitiva Christianorum oeconomis vel magistratibus opus habuerit. Et certo ; at inde minime sequitur, episcopos fuisse huiusmodi oeconomos vel magistratus. Denique ipsi episcopi, ut habentes ministerium verbi et Eucharistiæ vel curam Ecclesiarum, simul bona ecclesiastica administrare potuerunt — sicut fit usque in hodiernum diem.

Harnack instat, in Didache exigi, quod eligendi in episcopos sint « argenti non cupidi », quod secundum ipsum esset qualitas necessaria in oeconomis. At hæc qualitas etiam in ministris Christi, Evangelii et Dei, et quidem quam maxime, exigitur : unde etiam Paulus in ep. ad Titum monet : « Oportet enim episcopum... esse... non turpis lui ri cupidum » (i, 7). Denique illa qualitas nec prima nec sola ponitur ; præter enim alias qualitatas requisitas tan-

1. T. U., n, 145, 148.

quam prima ponitur quod eligendi in episcopos sint « Deo digni », id quod optime officio episcopi consonat et solum iam sufficit.

Ultimo et maxime Harnack errat, adducendo quod prima vice in Didache episcopi tanquam ministri verbi appareant. Nam primo iam in Evangelio Apostoli Domini a Domino ipso ministerium verbi accipiunt (Mt., xxviii 18 ss.). Deinde in omnibus epistulis Apostolorum ipsi Apostoli, et quidem tanquam Apostoli Jesu Christi, non vero ut charismatici, habent ministerium verbi sicut et curam Ecclesiarum : ut præsertim Paulus. Ulterius coadiutores Pauli, ex commissione Pauli, verbum Dei adnuntiant, ut supra iam vidimus. Similiter *Act.,* xx, 28 de episcopis Ephesis convocatis dicitur : « Vos Spiritus S. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei » ; vox græca ποψαίνειν (pascere) certe non tantum officium oeconomi, sed officium pastoris et ministerium verbi includit. Denique in epistulis sic dictis pastoralibus expresse et manifeste episcopis munus praedicandi adscribitur (cf. *TU.,* i, 9 ; ii, 1 ; ii, 15 ; c. iii ; *I Tim.,* iv, 13 ; v, 17 etc.). Harnack quidem sicut alii epistulas pastorales s. Paulo abiudicat, sed etiam secundum ipsum illæ saltem ante Didachen scriptæ sunt[1].

Res igitur ex inverso se. habuit ac Harnack et alii opinantur. Præpositi Ecclesiæ et hierarchici erant, non quidem charismatici, saltem ut tales, sed Apostoli eorumque adiutores vel delegati ; huiusmodi præpositi simul munus vel ministerium verbi habebant, utpote ut ad eorum officium pertinens ; charismatici vero ut charismatici loquebantur quidem in Spiritu S., non vero hegemoniam exercebant, nisi forsitan ut præpositi, ut Apostolus ipse.

Inde constructio artificosa historica Harnack et modernorum aliorum ruit, quasi sc. succedentibus temporibus episcopi qui prius tantum oeconomi fuissent, ministerium

1. De reliquo hic recensenda sunt omnia argumenta historica quæ supra in testimonium constitutionis hierarchicæ Ecclesiæ adduximus. Recole tamen maxime testimonia *I Clementis* ad Corinthios et ep. S. *Ignalii* Antiocheni : Clemens enim et Ignatius eodem quasi tempore scripserunt quo auctor Doctrinæ Apostolorum ; immo secundum sententiam Harnackii Didache esset originis posterioris.

verbi suscepissent vel potius sibi arrogassent. Denique « episcopi-œconomi » forsitan pastores verbi fieri potuissent *ut* illi *ipud protestantes* habentur (sc. absque ulla auctoritate muneris divini et ut magistratus a communitate instituti) ; impossibile autem est secundum considerationem (vel historicam) Ecclesiæ primitivæ, immo iniuriosum, supponere quod episcopi, olim mere magistratus civiles communitatis christianæ existentes, sese in præpositos *divinitus institutos* ac polientes *potestate divina* erexerint atque ut tales ab Ecclesia accepti et agniti fuerint.

V. Error adversariorum. — Adversarii *primo* tantum charismata, non vero potestatem ordinariam, præsertim Apostoli eiusque adiutorum considerant. *Secundo* supponunt gratuito oppositionem inter potestatem iurisdictionis (vel ordinis) et charismata : supponunt nempe per ministerium hierarchicum influxum immediatum Dei excludi. *Tertio* in conceptu charismatum vel spiritualium falluntur. Nam confundunt charisma, ut est gratia gratis data, cum charismate ut est donum Dei gratuitum. Gratiæ quidem gratis datæ non constituunt hierarchiam ; «spiritualia » vero vel pneumatica etiam potestatem hierarchicam includunt inquantum sc. talis potestas immediate et gratuito a Deo confertur, præsertim si cum charismatibus est coniuncta : et certe apostolatus quem Paulus accepit, est donum « spirituale », gratuitum, in bonum Ecclesiæ. Ita etiam ad episcopos Ephesiis congregatos Paulus dicit : « Vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei » *(Aci.,* xx, 28). Historici denique liberales et rationalistæ, appellando ad charismata, simpliciter ludunt atque illudunt. Nam « charismata » intelligunt, non tamquam dona Dei supernaturalia (utpotc qui negant ordinem supernaturalem vel ipsum Deum personalem) sed ut rem pure naturalem, « enthusiasmum » subiectivum vel experientiam religiosam mere personalem. Unde huiusmodi auctores termino et doctrina charismatum proprie abutuntur.

VI. Explicatio S. Thomæ. — luvabit hic afferre expositionem S. Thomæ. In *I Cor.,* c. xn sic scribit : « (Paulus) primo ostendit spiritualium gratiarum necessitatem ; se-

eundo ponit gratiarum distributionem... Et primo distinguit eas in generali, secundo manifestat in speciali... »

« In his quæ per gratiam Spiritus S. conferuntur, tria oportet considerare. *Primo* quidem facultatem hominum ad operandum, secundo auctoritatem, tertio exeeutionem utriusque. Facultas quidem habetur per donum gratiæ, puta per prophetiam vel potestatem faciendi miracula aut per aliquid huiusmodi ; auctoritas autem habetur per aliquod *ministerium,* puta per Apostolatum vel aliquid huiusmodi ; exeeutio autem pertinet ad operationem. Primo ergo distinguit gratias, secundo ministeria, tertio operationes... » (lect. I).

« Deinde... Paulus prosequitur de *distinctione ministrationum*... Primo ponit maiores seu principales administrationes, secundo ministrationes secundarias. Maiores autem ministri in Ecclesia sunt apostoli ad quorum officium, tria pertinent : quorum primum est auctoritas gubernandi fidelem populum..., secundo facultas docendi, tertio potestas miracula faciendi ad confirmationem doctrinæ... Propter quod et ipsi inter cæteros fideles primatum in spiritualibus gratiis obtinuerunt, secundum illud *Horn.,* vin, 23 : Nos ipsi primitias spiritus habentes. Et quamvis ad apostolos præcipue pertineat doctrinæ officium..., tamen alii in communionem huius officii assumuntur : quorum quidam per seipsos revelationes a Deo accipiunt, qui dicuntur prophetæ ; quidam vero de his quæ sunt aliis revelata populum instruunt, qui dicuntur doctores... » (lecti IIP).

J. Cf. *Comment, in Rom.,* xn, 6-8.

ARTICULUS DECIMUS SEXTUS

De convenientia constitutionis hierarchicæ Ecclesiæ

I. Sententia adversariorum. — Adversarii quam maxime inconvenientiam, i. e. repugnantiam cuiuscumque hierarchiæ propugnant. Procedunt tamen ex diversis motivis. Protestantes veteres censent hierarchiam repugnare sufficientiae gratiæ vel meritorum Christi, cultui immediato Dei et libertati evangelic® ; recentiores in contrarium adducunt libertatem moralem et personalem et characterem subiectivum religionis ; rationalist® simpliter omnem potestatem sacram negant.

II. Notio convenientiae. — In sententia adversariorum bene supponitur, Christum Ecclesiam suam constituisse convenienter ad ordinem gratiæ et ad naturam hominis. Dicitur tamen aliquid alteri convenire dupliciter : uno modo id quod non repugnat alteri sed e contra ipsi est proportionatum, licet ad eius perfectionem non necessario pertineat : ita homini est conveniens habere divitias ; alio modo aliquid alteri est conveniens inquantum ipsum perficit vel etiam ad perfectionem ipsius requiratur : ita homini est conveniens vivere in societate, quia homo inde perficitur, immo extra societatem ad perfectionem debitam pervenire non potest.

Constitutio hierarchica Ecclesiæ utroque modo conveniens est : ita sc. ut ordini gratiæ et naturæ human® non repugnet et simul ad perfectionem ordinis gratiæ et hominis conferat, immo aliqua ratione sit necessaria.

III. Constitutio hierarchica Ecclesiæ est conveniens.

Prob. 1. *Ex parte Chrisli instituentis Ecclesiam.* — Christus instituendo Ecclesiam certe opus perfectum instituisse supponitur. lamvero opus Christi non esset perfectum nisi multitudinem fidelium aliquo modo ordinasse!, distinguendo munera determinata iliisque delegando

potestatem proportionatam. Ita institutor vel minimæ societatis procedit. In regno vero Christi magis quam in quacumque alia societate omnia ad Christum tamquam Dominum pertinent et potestas requisita non nisi ab illo conferri potest.

2. *Ex lege universali providentiae divinæ.* — Deus in gubernando universo hanc legem generalem sequitur ut effectus suos per causas secundas proportionatas et connaturales producat[1]. Ita omnes effectus physicos per vires physicas naturæ producit, omnem operationem vitalem per vires organicas, cognitionem et volitionem per intellectum et voluntatem substantiarum spiritualium : ita quidquid fit in ordine rerum, a Deo quidem fit tanquam causa prima, tamen mediantibus creaturis tanquam causis secundis, proximis et proportionatis vel connaturalibus.

Huiusmodi lex universalis etiam in ordine gratiæ observari oportet : quia una ex parte gratia non tollit naturam, alia ex parte Deus contra legem universalem ab ipso statutam agendo, sibi ipsi quodammodo contradiceret.

Ideo Deus etiam in ordine gratiæ omnes illos effectus qui ex natura sua per causas secundas tamquam per instrumenta produci possunt, illis mediantibus producit, et per consequens homines mediantibus aliis hominibus de veritate evangelii instruit, per alios homines dirigit et gubernat, immo et sanctificat. Ita Deus quosdam homines potestate sacra induit. Sicut in ordine naturæ ordo causarum et virium habetur, ita in ordine gratiæ ordo potestatis sacræ vel hierarchicæ[2].

3. *Ex parte hominis el Ecclesiae.* — Ad dignitatem hominis pertinet ut in opere salutis non mere passive se habeat sed pro sua parte cooperetur, ut ipse sibi sit causa salutis : id

1. Cf. S. Thomas, S. Th. I, q. cui, a. 6 et passim.

2. Huiusmodi lex optime a theologis scholasticis, præsertim a S. Thoma, explicatur. Docet enim S. Thomas quod in justificatione et sanctificatione hominis gratia non creatur sed e potentia obœdientiali animae educitur, ita ut homo vel sacramenta possint esse causae instrumentales in gratia conferenda et augenda. Deinde S. Thomas optime explicat causalitalem instrumentaient creaturarum, ita sc. ut effectus supernaturales producant mediante virtute a Deo accepta et tamen simul sua operatione propria dispositive cooperentur.

quod valet tum pro homine singulariter accepto tum pro humana societate. Ideo omnino convenienter a Deo institutum est ut homo rationis compos salvari non possit nisi ipso personaliter active cooperando, et simul ut certi homines aliis sint causa salutis, mediante sc. potestate a Deo accepta, ut hac ratione humana societas sit sibi causa salutis.

Idem pertinet ad dignitatem Ecclesiæ ut est societas hominum. Id quod S. Thomas optime his verbis explicat: « Deus, ut in suis operibus repræsentaretur, non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod aliis influit, hanc legem naturalem imposuit omnibus, ut ultima per media reducerentur et perficerentur, et media per prima : et ideo *ul ista pulchritudo Ecclesiæ* non deesset, posuit ordinem in ea (i. e. sacramentum ordinis), ut quidam aliis sacramenta traderent, suo modo Deo in hoc assimilati, quasi Deo coopérantes1. »

4. *Ex utilitate organisationis hierarchicæ Ecclesiæ.* — Experientia sæculari constat homines in ct mediante aliqua societate finem suum certius et melius et convenientius consequi. Ideo enim ad aliquem finem consequendum ubique terrarum societates proportionatæ instituuntur ; ideo habetur societas civilis, inde fundatæ sunt tot ordines religiosi ; immo totum bonum quod habemus, denique tandem mediante aliqua societate acquisivimus : sive vitam per societatem matrimonialem, sive victum per societatem domesticam, sive instructionem et educationem per scholam, sive culturam per societatem civilem.

lamvero absonum est hominem in consequendo fine summo et principali, qui est sanctificatio et salus spiritualis, auxilio societatis privari, immo ad hunc finem consequendum quam maxime per auxilium sociale adiuvari oportet.

Ideo Christus, instituendo ecclesiasticam societatem et hicrarehiam in ipsa constituendo, utilitati et necessitati hominum quam maxime consuluit ac providit.

De facto quoque fideles per hierarchiam melius, certius el pefectius finem suum consequuntur quam si sibi soli

1. *Supplem.,* q. xxxiv, a. 1.

relinquerentur. Ita fideles per magisterium Ecclesiæ de veritatibus fidei optime instruuntur, per potestatem sacramentalem certificantur de peccatorum remissione et de gratiæ augmento, per potestatem gubernii ad bonam vitam efficaciter promoventur. — Neque exemplum multitudinis vel vis suggestive bonorum sufficit, quia virtus aliorum iam supponit media efficacia ad virtutem acquirendam ; multo minus sufficiunt quidam pastores ex commissione communitatis instituti (ut apud Protestantes), cum in illis auctoritas necessaria deficiat, sive ad veram fidem determinandam sive ad viam virtutis efficaciter inculcandam. Id quod in historia protestantismi quam maxime apparet.

5. *Ex ipso ordine gralise.* — Ex decreto voluntatis divinæ homines in peccatum delapsi gratiam et salutem per lesum Christum, Deum incarnatum, consequuntur, i. e. per Deum in forma visibili humana. Ecclesia autem est continuatio missionis Christi. Ideo ordini gratiæ et officio Ecclesiæ convenit, ut homines per media sensibilia et per alios homines sanctificentur.

Id quod S. Thomas sic explicat : « Quia Christus corporalem sui præsentiam erat Ecclesiæ subtracturus, necessarium fuit ut alios sibi institueret ministros qui sacramenta fidelibus dispensarent... Christus autem ut Dominus auctoritate et virtute propria nostram salutem operatus est, inquantum fuit Deus et homo ; ut secundum id quod homo est, ad redemptionem nostram pateretur, secundum autem quod est Deus, passio eius nobis fieret salutaris. Oportet igitur ministros Christi homines esse et aliquid divinitatis eius participare secundum aliquam spiritualem potestatem[1]. »

IV. Obiectiones Protestantium. — Convenientia hierarchiæ confirmatur per ea quæ Protestantes in contrarium obiiciunt. Principaliter opponunt sufficientiam meritorum Christi, cultum immediatum Deo debitum et libertatem evangelicam. In qua tamen argumentatione primo falsam doctrinam de justificatione supponunt, secundo Ecclesiæ imputant doctrinam quam de facto non tenet, tertio suf-

1. S. c. gent., iv, 73 ; cf. iv, 56.

fîcientiam meritorum Christi, cultum Deo immediate debitum et libertatem evangelicam prave interpretantur.

a) Prolestantes procedunt ex falsa doctrina de iuslificalione. — Secundum Calvinistas totum opus salutis stat in prædestinatione Dei : id quod si verum esset, hierarchia Ecclesiæ evidenter inutilis et absona evaderet. Lutherani collationem effectivam gratiæ sanctificantis negant ac iustificationem in sola imputatione meritorum Christi ponunt : in qua nullus homo intermédiare potest ; insuper cooperationem hominis in opere salutis negant, ita ut neque hierarchici aliis fidelibus cooperare possint. Moderni totum opus salutis in actione subiectiva et personali, absque necessitate gratiæ a Deo collatæ, ponunt : ex quo iterum interventus potestatis vel auctoritatis Ecclesiæ excluditur. Ecclesia autem catholica tenet, iustificationem fieri per collationem gratiæ realis et vere sanctificantis, sanctitatem vere augeri per exercitium virtutum, totum opus salutis fieri mediante cooperatione fidelium1. Inde hierarchia intervenire potest et debet, tum in collatione gratiæ, tum in dirigendis fidelibus.

b) Protestantes ecclesiæ imputant doctrinam quam ipsa de facto non tenet. — Etenim nobis obiiciunt doctrinam christianam de sufficientia meritorum Christi, de cultu personali Deo debito, de libertate evangelica, insinuando huiusmodi capita doctrinæ christianæ a catholicis negari. Supponunt enim, in Ecclesia catholica, ratione constitutionis hierarchicæ, homines non iam vi meritorum Christi salvari sed vi potestatis hierarchicæ, quæ insuper ut pure humana vel iuridica intelligitur : ita ut loco mediatoris Christi ipsa Ecclesia ponatur. Similiter catholicis sententiam imputant, sufficere cultum a ministris Ecclesiæ Deo oblatum, ita ut fidelibus nihil aliud incumbat quam illi assistere. Denique supponunt iura penitus humana vel pure iuridica (præsidum Ecclesiæ) a catholicis tamquam iura divina admitti et observari, ita ut contra voluntatem Christi fidelibus iugum novum ac indebitum imponatur.

Quæ omnia quantum sint aliena a doctrina catholica, patet. Ministri enim Ecclesiæ non nisi ut ministri Christi

1. Cf. Cone. Trid., sess. VI.

potestatem habere creduntur ; fideles a sacerdotibus sanctificantur, non virtute Ecclesiæ ut est societas humana, sed per potestatem a Deo acceptam ; omnes obligantur ut Deum personaliter colant, tum fide, spe et caritate, tum adoratione, oratione et aliis actibus religiosis ; obædientia sacerdotibus et episcopis præstatur unice propter Christi ordinationem adeoque in obsequium Dei.

c) Denique *Prolesianl.es principia fidei* quæ adducunt, *male interprelanlur vel potius pervertunt.* — Etenim *primo* certe est fidei dogma, Christum esse solum mediatorem et redemptorem ac hominem nullum salvari nisi vi meritorum Christi. Protestantes autem hanc doctrinam fundamentalem ita intelligunt ac si Christus nos ita redimisset ut homini nil amplius faciendum vel præstandum incumbat : id quod est alienissimum a doctrina Christi. E contra Ecclesia catholica vere tenet, per sacramentorum administrationem merita Christi nobis applicari, vi meritorum Christi nobis gratiam conferri, homine utpote coopérante. Ita sufficientia meritorum Christi non excludit collationem gratiæ per ministros Dei. Similiter solus Deus iustificat, nempe ut causa principalis, sacerdotes vero tantum ut ministri Dei ; solus Christus est mediator, alii vero sunt ministri Christi.

Secundo Deus certe est personaliter et immediate a fidelibus colendus. Immerito tamen Protestantes hoc ita intelligunt ac si huiusmodi cultus ministerium aliorum hominum excludat. Deus enim immediate coli dicitur inquantum cultus *ipsi* Deo offertur; similiter Deus a nobis personaliter colitur inquantum *ipse* homo Deo cultum præstat. Utrumque autem per ministerium aliorum hominum, puta sacerdotum, non impeditur, sed e contra perficitur. Ita fideles assistendo sacrificio missæ, a sacerdote oblato, sacrificium ipsi Deo offerunt ac ipsi personaliter. Usus enim instrumenti non impedit quin obiectum attingamus vel quin nos ipsi agamus, sed e contra per intermedium instrumenti obiectum attingimus — ut in percussione hominis mediante baculo ipsi nos illum percutimus et attingimus. Id quod denique potissime fit in cultu divino in quo fideles utuntur ministris qui ab ipso Deo sunt instituti ut fideles per ipsos sibi cultum offerant. .

Tertio Protestantes male interpretantur libertatem evangelicam. Ista quidem maxime a S. Paulo proclamatur. At Apostolus intelligit libertatem evangelicam tamquam libertatem ab observatione legis mosaicæ #c denique tanquam libertatem a peccato, vi auxilii divinae gratiae.

Protestantes vero praetendunt hominem Christianum in negotio salutis nulli homini subesse. Id quod est contra ipsum Paulum, qui sc. mandatis et praeceptis ecclesias suas rexit. Similiter est contra voluntatem Christi dicentis : « Qui vos audit me audit ; qui vos spernit, me spernit » (Lc., x, 16). Itaque christiantis in negotio salutis nulli quidem potestati civili vel quomodocumque pure humanæ subditur, bene tamen potestati Ecclesiæ a Deo institute : et hoc propter Deum et in utilitatem propriam[1].

Protestantes insistunt, hominem secundum propriam *conscientiam* procedere debere, non vero secundum dictamen hierarchiæ. Tamen et in hae re falluntur. *Primo* enim tamquam sententiam catholicam supponunt, Ecclesiam posse ad libitum et arbitrario modo statuere quid sit bonum vel malum, cum tamen Ecclesia possit tantum vel *explicare* leges divinas et naturales vel *ferre* proprias *leges intra* limites suæ potestatis et conformiter ad leges divinas et naturales. *Secundo* Protestantes conscientiam in sensu pure subicctivo intelligunt : ac si ad bonam vitam Christianam et Deo placitam omnino sufficiat quod aliquis subiective secundum suum proprium *indicium* agat. Ita Protestantes omnes normas obiectivas inoralitatis negant ac sic denique libertatem evangelicam intelligunt : Ecclesia vero catholica meliori indicio tenet, esse quasdam normas obiectivas moralitatis, esse certas quasdam vias a Deo determinatas, perveniendi ad sanctitatem et ad salutem. Huiusmodi normas vel media sanctitatis et salutis acquirendæ Ecclesia edocet, explicat, inculcat, observandas.

1. De facto ct per ironiam quandam historiæ, Protestantes quam maxime potestati civili subduntur, quippe quæ illis confessionem tenendam dictavit et totam gubernationem communitatum arripuit ; dum catholici e contra libertatem a potestate civili semper strenue defenderunt, obaedientes auctoritati a Deo institutae. « Veritas liberabit vos. »

proponit : et quidem auctoritate divina. Ita Ecclesia fideles adiuvat ad conscientiam formandam, ut secundum conscientiam objective veram agant, in sanctitate proficiant et salutem revera adipiscantur ; Protestantes vero in omnes vias abeunt, unica via vera derelicta.

Rationalistæ denique praetendunt, hominem (saltem eruditum) dedecere indicium suum directioni aliorum subicere. Id quod certo temerarie asseritur quantum ad religionem a Deo fundatam et respectu magisterii a Deo instituti. Non enim dedecet hominem, viam salutis a Deo determinari, neque a Deo mediantibus aliis hominibus de huiusmodi viis salutis edoceri. Immo quo altiorem statum aliquis in via virtutum vel scientiarum attigerit, eo magis directione et auxilio Ecclesiæ indiget, sicut quo altiorem gradum culturæ quis tenere voluerit, eo magis auxilio et tutela societatis civilis opus habet. Ita potissimum sancti scrupulose doctrinam et directionem Ecclesiæ sunt secuti, ne in altioribus viis vitæ spiritualis deciperentur, neque secus ad tantum culmen sanctitatis ascendissent.

Merito igitur, ut concludamus, affirmavimus, convenientiam hierarchic® constitutionis Ecclesiæ per obiectiones Protestantium quam inaxime confirmari.

V. Corollarium. — Ex constitutione hierarchica Ecclesiæ sequitur damnatio sic dicti *regiminis laicoruin* vel laicismi in Ecclesia. Quodsi enim Christus determinatum cœtum hominum ad regendam Ecclesiam instituit, *primo* est laicorum obligatio ut huiusmodi præsidibus sese subiciant nec in negotiis ecclesiasticis determinandis sese immisceant ; *secundo* profectus spiritualis et salus eo magis habebitur quo fideles magis magisque directionem præsidum sequuntur, sive quoad vitam personalem sive quoad vitam publicam ; *tertio* non est exspectandum auxilium divinum vel successus bonus si fideles, sive in vita privata sive in vita publica, contra vel præter normas ab Ecclesia vel ab eius ministris competentibus statutas procedunt ; e contra Deus omnia opera secundum directionem Ecclesiæ suscepta benedictione sua complebit.

CONCLUSIO CAPITIS II

1. Definitio Ecclesiæ. — Ex dictis in hoc capite facile deducitur definitio Ecclesiæ. *Ecclesia definitur : Ecclesia est societas* (veri nominis) *christifidelium baptizalorum, a Christo Domino instituta, ad sanctificandos homines, potestate sacra a Christo Domino instructa* (hierarchice constituta).

Qua definitione Ecclesia et sufficienter secundum seipsam determinatur et a quacumque alia re distinguitur. Tanquam *societas* Ecclesia est *ens* quoddam *morale,* sc. per unionem moralem hominum constitutum. Tamquam societas *a Christo Domino instituta,* Ecclesia est originis immediate divinæ ac regnum proprium Christi : ac inde a quacumque alia societate humanitus instituta distinguitur. Ratione *finis* Ecclesia est societas religiosa : ac inde quam maxime a societate civili distinguitur : eo magis quod Ecclesia ratione finis est societas supernaturalis. Ut societas christifidelium baptizatorum Ecclesia materialiter determinatur et distinguitur tum a synagoga (quæ baptismo caret) tum ab Ecclesia triumphante (quæ est non iam credentium sed videntium Deum) tum ab Ecclesia purgante (quæ sc. non est hominum huius.vitæ). Ut *potestate* sacra divinitus *instructa* et hierarchice constituta, Ecclesia est organismus determinatus, certæ cuiusdam constitutionis, qua maxime ab aliis societatibus distinguitur, ut magis infra patebit. Atque huiusmodi definitio nulli alii societati præterquam Ecclesiæ a Christo Domino institutæ, competit.

2. De aliis definitionibus Ecclesiæ. — *Veteres* communiter definitionem vel potius notionem abbreviatam Ecclesiæ exhibent : quæ tamen, si bene intelligatur, totum continet. Ita secundum s. Thomam : *Ecclesia secundum sta-*

tum viæ est congregatio fidelium[1]. Sub nomine « fidelium » intelliguntur christifideles baptizati. Nomen « congregatio » significat unionem fidelium in vera societate ; simul tamen consignificat originem huius societatis a Christo, tum finem, sc. illum quem fides statuit, tum constitutionem, quæ sc. per fidem edocetur.

Recentiores definitionem magis explicitam assignant. Communissima est *definitio Bellarmini : « Ecclesia esi cœtus fidelium baplizatorum, eiusdem fidei professione, eorundem sacramentorum participatione, sub Christi in terris vicario, Pontifice Romano, adunatorum. »*

1. III, q. vin, a. 4 ad 2 ; 4 d. 20 ; q. i, a. 4 ; C. G., 4, 78.

CAPUT III

De notis Ecclesiæ

1. Consideratis *causis* Ecclesiæ, sc. institutione, fine, membris et constitutione hierarchica Ecclesiæ, accedimus ad *qualitates* Ecclesiæ inquirendas.

Duplex tamen genus qualitatum vel proprietatum Ecclesiæ distinguendum est :

Primo proprietates quæ in rerum factis elucent ac Ecclesiam tanquam verum Christi institutum manifestant = *notæ* Ecclesiæ (cap. in) ;

Secundo proprietates quæ per modum facti externi quidem non elucent, tamen ex voluntate et operatione supernatural! Christi Ecclesiæ competunt atque proinde proprie *doles* Ecclesiæ vocantur (cap. iv).

2. Tractatus autem de notis Ecclesiæ sic *dividitur :*

Primo : prærnittimus quæstionem de visibilitate Ecclesiæ : quæ est quasi fundamentum doctrinæ de notis Ecclesiæ (sectio I, art. 17) ;

Secundo : doctrina generalis de notis proponitur (sect. II, art. 18) ;

Tertio : determinatur quænam notæ Ecclesiæ veræ Christi necessario conveniant (sect. Ill, art. 19-22) ;

Quarto : ostenditur quomodo notæ Ecclesiæ Christi in Ecclesia catholica reperiantur (sect. IV, art. 23-26) ;

Quinto : ostenditur qua ratione huiusmodi notæ in ecclesiis aliis deficiant (sect. V, art. 27-29).

3. Inde patebit Ecclesiam catholicam eamque solam esse veram Ecclesiam Christi, i. e. illam quam Christus ipse instituit, in finem sanctificationis hominum, in regnum ac corpus suum mysticum, cuique suam potestatem delegavit.

SECTIO PRIMA

ARTICULUS DECIMUS SEPTIMUS

De visibilitate Ecclesiæ

Posita Ecclesia a Christo instituta, quæritur, utrum tanquam talis a hominibus cognosci possit. Quæstio duplici ex causa ponitur : *primo* quidem, quia non pauci Ecclesiam Christi invisibilem esse declarant·; *secundo,* quia plures sunt Ecclesiæ quæ se tanquam veram Christi Ecclesiam gerunt. Inde in antecessum absolute quæritur, utrum et undenam Ecclesia Christi sit visibilis.

I. Sententia Protestantium. — Iam in medio ævo Joannes XXII coactus fuit damnare Fraticellorum errorem qui « duas fingit Ecclesias, unam carnalem... aliam spiritualem » (Denz., 485). Similiter Wiclefitæ et Husitæ vi doctrinæ de constitutione Ecclesiæ illam ut invisibilem declaverunt. Proprie tamen quæstio posita fuit a Protestantibus. Cum enim Lutherus Ecclesiam definiret tamquam « communionem sanctorum » vel Calvinus ut numerum prædestinatoruin vel confessio Augustana ut « populum Dei, renatum per Spiritum Sanctum », hi omnes necessario visibilitatem Ecclesiæ negaverunt. Simul Protestantes premebat difficultas : Supposito quod Ecclesia Christi sit visibilis et Ecclesia catholica non sit vera Ecclesia Christi, ubinam erat vera Ecclesia Christi usque ad tempus Protestantismi ? Inde Protestantes distinctionem posuerunt inter ecclesiam visibilem quæ penitus obscurari potuisset, et ecclesiam invisibilem cui factæ essent promissiones Christi (ecclesia promissionum). Tamen ex altera parte non pauci Ecclesiæ visibilitatem quandam extrinsecam adseribunt, de qua quæstione inter theologos protestanticos hucusque disputatur. Hoc non obstante, Protestantismus vi systematis *fundamentum* visibilitatis

Ecclesiæ destruit, negando sc. Ecclesiam esse a Christo constitutam ut societatem veram, cum auctoritate hierarchica.

II. Doctrina catholica. — Ecclesia catholica tum facto tum doctrina seipsam declarat tamquam veram Ecclesiam Christi, ab ipso institutam, atque edocet obligationem sibi adhærendi : in quo evidenter visibilitatem Ecclesiæ saltem implicite enuntiat. Insuper edocet : « Deus per Filium suum Ecclesiam instituit *suæque institutionis manifestis nolis instruxit ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci* » (Concil. Vatic., sess. III c. m ; Denz., 1793) : quibus verbis Ecclesiæ visibilitas saltem quoad rem declaratur.

III. Notio visibilitatis Ecclesiæ. — 1. *Visibile* dicitur non tantum quod oculis corporalibus videri potest, sed (secundum usum communem) simul id quod quasi extra videntem positum intellectu vel ratione percipi potest : ita dicimus : Deus videt omnia. In quæstione de visibilitate Ecclesiæ non quæritur, utrum oculis corporalibus videri possit, sed utrum ratione dignosci possit.

2. Christi Ecclesia ratione percipi vel cognosci potest dupliciter, materialiter sc. et formaliter. *Materialiter* quidem cognoscitur cum cognoscuntur membra quæ ad illam pertinent, organisatio et vita socialis ; *formaliter* vero cognoscitur cum agnoscitur reduplicative ut cœtus a Christo institutus, ut Ecclesia Christi. In nostra quæstione agitur non tam de visibilate materiali, quam de formali : quod enim homines qui sunt membra Ecclesiæ, videri possint vel etiam organismus et vita socialis, dubium esse non potest.

3. Huiusmodi cognitio non supponitur ut *immediate* evidens, ita ut Ecclesia a Christo instituta quasi primo aspectu ut Ecclesia Christi agnoscatur (ut terminus «videre » insinuare videtur), sed potest præexigere ratiocinationem et inquisitionem, dummodo certitudo iudicii acquiratur.

4. Denique huiusmodi visibilitas Ecclesiæ potest esse essentialis vel accidentalis : *essentialis,* si ad ipsam naturam vel constitutionem Ecclesiæ pertinet,ita sc. ut Ecclesia

a Christo talis fuerit constituta, ut vi suæ constitutionis et semper tamquam vera Ecclesia Christi dignosci possit, non vero tantum oh aliquam rationem extrinsecam, ut e. *g.* si Deus alicui revelaverit, talem vel talem Ecclesiam esse Ecclesiam a Christo institutam[1].

Inde visibilitas Ecclesiæ Christi semper convenit neque datur locus obscurationi tali ut aliquando visibilitas deficiat[2].

IV. Definitio visibilitatis Ecclesiæ Christi. — Ex prædictis sequitur definitio : *Visibilitas Ecclesiæ Christi est ea militantis Ecclesiæ cgnslUulio qua cum indicii certitudine in concreto discerni potest ut vera Ecclesia Christi* (Groot).

V. Thesis : Ecclesia Christi est essentialiter visibilis. — *Prob.* 1°. In V. T. Isaias vaticinatur : « Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus domini in vertice montium et elevabitur super colles et fluent ad eum omnes gentes » (ii, 2). Isaias loquitur de regno messianico quod est Ecclesia. Huiusmodi regnum repræsentatur sub figura templi (Hierosolymitani), constituti in summitate montis altissimi, ad quod ut ad domum Domini omnes gentes fluent. Prædicitur igitur diffusio universalis Ecclesiæ Christi quæ, ad instar templi in monte positi, facile, imo quasi necessario videtur ac de facto a gentibus ut templum Dei cognoscitur, i. e. Ecclesia Christi erit visibilis. Interpretatio confirmatur per allusionem Christi : « Non potest civitas abscondi super montem posita » (Mt., v, 14).

Prob. 2°. Ipse *Christus a)* Ecclesiam instituit tamquam *regnum suum,* ad quod tenendum omnes invitat, utpote tanquam medium sanctificationis et salutis obtinendæ ;

1. Visibilitas igitur Ecclesiæ Christi *directe* quidem hoc unum importat quod Ecclesia a Christo instituta ut talis dignoscatur, *indirecte* tamen simul quod aliæ Ecclesiæ diiudicari possint, ut alienæ a vera Ecclesia Christi.

2. Inter quosdam theologos disputatur, utrum visibilitas ad essentiam Ecclesiæ pertineat vel sit eius proprietas. Respondendum esse videtur : *id quo Ecclesia fit visibilis,* ad essentiam Ecclesiæ pertinet : est enim ipsa constitutio Ecclesiæ ; ipsa vero visibilitas, ex constitutione Ecclesiæ proveniens, proprietas Ecclesiæ censenda est.

è) Ecclesiam instituit ut veram *societalem,* cum vitæ socialis actibus et signis ; c) Ecclesiam instituit ut per eam *missionem* suam salvificam continuaret.

Atqui hæc omnia visibilitatem Ecclesiæ vel supponunt vel directe enuntiant.

Maior patet ex iis quæ de institutione divina Ecclesiæ diximus (art. 6-16). Minor facile probatur.

Etenim *a)* regnum Christi quod instituitur ut in ipso homines salventur et ad quod amplectendum omnes invitantur, oportet esse visibile ; *b)* societas veri nominis cum vita sociali ex natura sua est visibilis ; c) continuatio missionis Christi per prædicationem doctrinæ Christi, per gubernationem fidelium, per remissionem peccatorum, non est possibilis nisi in Ecclesia visibili.

Confirmatur argumentum. Tota doctrina Christi de Ecclesia, maxime parabolæ quibus Ecclesiæ natura atque conditio explicatur, generaliter Ecclesiam ut *de facto cognitam,* et facile cognoscendam, licet a pluribus culpabiliter non admissam, repræsentant. Etenim Christus, de regno Dei loquens, homines invitat tanquam ad rem ipsis notam vel saltem cognoscibilem : unde ad bonam voluntatem hominum appellat, incredulos vel rebelles tanquam culpabiles declarat, bonis præmia promittit, vigilantiam commendat, cooperationem postulat. Id quod præsertim *ex parabolis* apparet. Homo peregre proficiscens, bona sua servis distribuens (Mt ., xxv, 14 ss.), notus est servis; virgines sapientes et fatuæ noverunt sponsum (Mt ., xxv, 1-13), similiter servus vigilans dominum suum (Mt ., xxiv, 42-51) ; qui invitantur ad nuptias, non ex ignorantia sed ob voluntatem contrariam, non accedunt, et ille qui excluditur, novit nuptias, carens tamen veste nuptiali (Mt ., xxii, 1 ss.) ; in parabola seminantis (Mt ., xiii 1 ss). fructus non ob ignorantiam, sed ob alias causas deficiunt ; similiter negotiator pretiosam margaritam invenit, sicut et alius i/lum thesaurum absconditum in agro : etenim « præ gaudio illius vadit et vendit universa quæ habet et emit agrum illam » (Mt ., xiii, 44). Certe Christus modo omnino diverso locutus fuisset si regnum coelorum non institutum visibile, sed numerus invisibilis iustorum vel prædestinatorum esset.

Neque quis dicat, illa dicta valere tantum pro tempore

Christi, cum Christus expresse illa usque ad « consummationem saeculi » extendat (Mt ., x iii, 39, 49).

Prob. 3°. Similiter *Apostoli* Ecclesiam iam existentem simpliciter tamquam Ecclesiam Christi veram proponunt ; tamquam rationem adducunt missionem propriam a Christo acceptam (« Paulus apostolus lesu Christi ») ; paganos et iudæos ut inimicos ipsius Christi proclamant : quæ omnia visibilitatem Ecclesiae Christi dicunt.

Ita S. Paulus non homines quoslibet et sibi ignotos, sed in concreto fideles, suo tempore Ecclesiam constituentes, vocat « corpus Christi », *Ephesios* proclamat « cives sanctorum et domesticos fidei » *(Eph.,* n, 19), Corinthios vocat « Ecclesiam Dei » *[II Cor.,* i, 1) ; illi vero fideles dignoscuntur tamquam Ecclesia Dei ut abluti in baptismate Christi, ut subditi Apostolis Christi, i. e. ut adhaerentes Ecclesiæ visibili Christi ; ludæi et pagani ut inimici Christi considerantur, præcise propter hoc quod istam Ecclesiam determinatam non agnoscunt sed persequuntur.

Prob. 4°. SS. *Patres* sequentia tenent quibus visibilitatem. Ecclesiæ Christi edocent : insistunt in successione ab Apostolis (ecclesiæ apostolicæ) ; damnant schisma, i. e. separationem ab Ecclesia historica, tamquam separationem a corpore Christi ; inculcant necessitatem adhærendi huic, determinatæ Ecclesiæ in concreto ; docentes, extra Ecclesiam nullam esse salutem, id de Ecclesia concreta et historica intelligunt ; denique generaliter Ecclesiam historicam et concretam in qua vivunt, tamquam veram Ecclesiam Christi proclamant : his vero omnibus vel supponunt vel expresse edocent, hanc Ecclesiam esse cognitam vel cognoscibilem ut veram Ecclesiam Christi.

Iam *Clemens Romanus* in successione apostolica insistit : ‹ Apostoli nobis evangelii prædicatores facti sunt a Domino lesu Christo... Per regiones et urbes verbum prædicantes... ‹onstituerunt episcopos et diaconos eorum qui crediturі erant... Itaque qui constituti sunt ab illis vel deinceps ab aliis viris exiuriis..., quique inculpate gregi Christi deserviunt..., hos indicamus munere suo non iuste deici » *[I Clem., ad Cor.,* x l ii, 1,4; x l iv, 3). Clemens igitur non tantum supponit, Corinthios ad veram Christi Ecclesiam pertinere, sed insuper adducit successionem apostolicam

ut constitutivum huius Ecclesiæ et medium visibilitatis Ecclesiæ.

Maxime *Tertullianus*[1] et *Irenxus*[2] in ecclesiis apostoli< is insistunt indeque concludunt, doctrinam Ecclesiæ catholicæ esse veram, i. e. a Christo edoctam atque Ecclesiam catholicam esse Ecclesiam Christi.

Celeberrimum est dictum *Cypriani* de schismate, sc. ab aliqua determinata Ecclesia : « Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ iungitur, a promissis Ecclesiæ separatur nec perveniet ad Christi præmia qui reliquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem[3][4] » Quid autem si Ecclesia esset invisibilis ?

S. *Augustinus* contra Donatistas visibilitatem Ecclesiæ ex professo defendit. « Facile tibi est, ait, attendere et videre civitatem supra montem constitutam... Hanc ignorare nulli licet; ideo secundum verbum Domini nostri Iesu Christi abscondi non potest » *(Ep.,* 1 u , 1). Et iterum : « Convenienter Ecclesiam fulgur nominavit quod maxime solet emicare de nubibus. 'Constituta igitur auctoritate Ecclesiæ per orbem terrarum clara atque manifesta consequenter discipulos admonet atque omnes fideles et qui in eum credere voluerint, ne schismaticis atque hæreticis credant » (Quæst. evangelicæ, l. I, q. χχχνιπ).

Itaque Christus et Apostoli et SS. Patres Ecclesiam Christi ut maxime visibilem atque manifestam, et quidem per se ipsam, prædicant. Quam doctrinam Concil. Vatie., Sess. III, c. ni complectitur dicens : *«Ecclesia per se ipsa...* magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et *divinæ suæ legalionis testimonium, irrefragabile* » (Denz., 1794)'I

1. *De praescriptione haereticorum,* c. χχ,.χχι.
2. Adv. hæres., l. HI, c. ni, 1, 2.
3. *De catholicæ Eccl. unitate,* c. vi.
4. E contra apparet quam immerito Gerhardus, *Loci theol., de eccl.,* c. vin, n. 98 scribit : « Negamus, ait, Ecclesiam esse visibilem eo modo quo ab adversariis statuitur visibilis, quod sc. in capite suo Romano Pontifice et in successione episcoporum sit visibilis, quod externo splendore semper fulgeat et externa claritate ac maiestate omnibus perpetuo sese conspiciendam præbeat. » Cf. Specht, *Die Lehre uon der Kirche nach dem hl. Aug., p. 239.*

VI. Difficultatibus satisfit. — *Ob.* 1a. Veteres Protestantes obiiciunt illos S. Scripturæ textus quibus religio tantum interna commendari videtur. Ita Mt., xm, 44 : « Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro. » Similitudo vero adducta non negat visibilitatem Ecclesiæ, sed inculcat studium summum in quærenda et amplectenda Ecclesia, quæ *thesauro* comparatur. Similitudo enim bon instat in hoc quod thesaurus sit et maneat absconditus, cum postea ponitur ut inventus (« quem qui invenit homo »).

Commendat autem similitudo ut omnis qui Ecclesiam invenerit, gaudeat et adhæreat regno Dei, etiamsi multa relinquere debuerit.

Iterum opponitur textus Lc., xvn, 20, 21 : « Non venit regnum Dei cum observatione (ρετὰ παρατηρήσεω), neque dicent : Ecce hic aut ecce illic. Ecce enim, regnum Dei intra vos est. » At his verbis Christus Dominus ludæos tantum commonet regnum messianicum non fore imperium mundanum neque esse alicuius gentis vel civitatis (ut imperium romanum) et iam adesse, sc. in persona Christi. Pharisæi enim interrogantes : « Quando venit regnum Dei ?» aliquod regnum messianicum ad similitudinem imperii romani exspectaverunt, ita ut populus Israel toti mundo dominaretur. lesus hanc ideam corrigit dicendo : regnum meum non venit cum « observatione », i. e. cum strepitu et fastu, sicut etiam de facto Ecclesia fundata atque constituta est quin mundus id observaverit. Similiter Ecclesia non erit ludæorum, sed omnium gentium. Denique Christus Pharisæos commonefacit, regnum messianicum iam esse in medio eorum (intra vos), sc. Christum esse Messiam exspectatum quem proinde agnoscere debeant.

Quodsi Christus dicit : « Regnum meum non est de hoc mundo » (Joa., xviii, 36), originem, finem ac vim supernaturalem Ecclesiæ indicat.

Denique adoratio « in spiritu et veritate » (Joa., iv, 23. 24) edicit quidem cultum magis interiorem et magis spiritualem, non vero excludit ecclesiam visibilem.

Ob. 2a. *Altera obiectio* ex natura Ecclesiæ desumitur, sc. quod Ecclesia est societas spiritualis (« domus spiritua-

lis, *I Pet.,* it , 5), supernaturalis, corpus mysticum Christi, mysterium fidei, obiectum fidei.

Unde argumentatur : Quod est spirituale, non videtur. Atqui Ecclesia est societas spiritualis. Ergo.

Hesp. Dist. maior. Quod est spirituale, i. e. *pure internum* sive in mente divina sive in cordibus hominum, non potest videri, conc. maior. ; quod est spirituale, i. e. internum manifestatum per elementum externum, non potest videri, nego maior. — Contradistinguitur minor : Ecclesia est societas spiritualis, i. e. unio *pure* interna vel mentalis, nego min. ; ecclesia est societas spiritualis, dicens unionem mentium vel cordium interiorem manifestatam per elementum externum, conc. min. Inde negatur consequens et consequentia.

Explicatur. Id quod in mente vel corde sive Dei sive hominum existit, merito vocatur spirituale. At huiusmodi spirituale, potest esse vel exclusive internum in mente et affectu, vel est manifestatum et expressum externe. Uti patet, id quod est pure internum, ab hominibus videri non potest, ut cogitationes et affectus hominum, et maxime Dei ; quodsi vero externe manifestatur, cognosci potest, lamvero Ecclesia dicit quidem unionem quandam interiorem hominum, sc. per fidem in Christum, per sublectionem sub auctoritate ecclesiastica et insuper per caritatis affectum, tamen unionem manifestatam extrinsecus, sc. per fidei professionem, per vitam socialem, per observationem mandatorum Ecclesiæ. Inde in Ecclesia unio spiritualis mentium cognosci potest. Protestantes vero falso supponunt, Ecclesiam esse unionem quandam pure internam, sive vinculum unionis sit prædestinatio divina (Calvin) sive iustitia (Lutherus). Simul protestantes falso unionem externam fidelium ut aliquid pure accidentale considerant, cum tamen Ecclesia proprie et formaliter constituatur per elementum tum internum tum externum, sicut homo per unionem animæ et corporis constituitur.

Insl. Societas essentialiter spiritualis, videri non potest. Atqui Ecclesia est societas essentialiter spiritualis. Ergo.

Hesp. Societas spiritualis quæ ex puris spiritibus consistit, videri non potest, transeat maior ; quæ est composita ex hominibus et est spiritualis ratione finis, originis et

mediorum, nego maior. Ecclesia vero est quidem societas essentialiter spiritualis, non tamen quasi sit composita ex angelis immaterialibus, sed inquantum habet finem spiritualem et media spiritualia sicut et originem divinam. Nihil autem obstat quin societas ex hominibus constituta quæ habet finem spiritualem, cognosci possit.

Insl. Ecclesia est societas supernaturalis, imo mysterium adeoque cognosci non potest.

Resp. Ecclesia est societas supernaturalis quantum ad animam, non vero quantum ad corpus. Atque anima quidem Ecclesiæ a nobis certo cognosci nequit nisi ex revelatione et per fidem ; corpus vero Ecclesiæ, i. e. organismus socialis hominum qui Ecclesiam constituunt, cognosci potest. Ita homo est animal rationale, utpote ex corpore et anima rationali compositus, et corpus hominis certo cognosci potest ut corpus humanum. Similiter Ecclesia dicitur supernaturalis ut ex corpore sociali et anima supernatural! constituta : potest tamen corpus sociale cognosci tanquam corpus animæ supernaturalis. Atque ita Ecclesia dignosci potest ut Ecclesia Christi, i. e. ut ab ipso instituta, sicut corpus humanum distingui potest ut corpus talis hominis N. : id quod visibilitatem Ecclesiæ constituit.

Inst. Corpus Ecclesiæ constituitur per homines fideles. Atqui fides hominum certe cognosci non potest. Ergo nec corpus Ecclesiæ certo cognosci potest.

Reap. Corpus Ecclesiæ constituitur per homines fideles ut ordinatos et unitos per organisationem et vitam socialem ecclesiasticam, conc. maior., corpus Ecclesiæ constituitur per fideles singillatim sumptos, nego maior.

Et contradist. min. : fides hominum mere interna certo cognosci nequit, conc. min., fides hominum ut constituit organismum et vitam socialem ecclesiasticam cognosci nequit, nego min.

Explicatur. Fides, ut est *assensus mere internus,* infallibiliter certo cognosci non potest ; neque pertinet ad corpus sed ad animam Ecclesiæ, utpote tanquam elementum supernaturale. Unde *corpus* Ecclesiæ non constituitur per fidem singulorum hominum, sc. mere internam.

Fides vero ut manifestata in *vita fidelium* et maxime invita sociali ecclesiastica (professio fidei, vita secundum

fidei doctrinam, administratio et susceptio sacramentorum, communio cum auctoritate ecclesiastica), est maxime visibilis ; atque per hanc vitam socialem fidei corpus Ecclesiæ proprie constituitur. Unde corpus Ecclesiæ est visibile.

Huiusmodi fides interna et vita fidelis et socialis Ecclesiæ non sunt quidem separatæ sed intime coniunctæ, sc. ut anima et corpus, quemadmodum in homine vita interna et actiones externæ. Inde etiam vita ecclesiastica non accipitur ut organismus pure externus vel communio pure mechanica, sc. absque fide interna, sed in vita et organismo Ecclesiæ sociali elementum intrinsecum et extrinsecum distinguitur, sicut in actione hominis principium vitale et actionem extrinsecus apparentem distinguimus.

Protestantes supponunt, fidem interiorem posse totaliter in Ecclesia deficere, ita ut actum sit de Ecclesia, sive de iure sive et iam de facto. Ilæc autem suppositio est contra indefectibilitatem Ecclesiæ promissam (vide infra, art. 31). Ita Ecclesia Christi semper persistens semper est visibilis.

Insl. Ultimo sed maxime obicitur : Id quod creditur, non videtur. Atqui Ecclesia est obiectum fidei, imo de ea est articulus fidei : credo... Ecclesiam. Ergo.

Resp. Id quod creditur, non potest videri, dist. maior : sub eodem respectu, conc. ; sub diverso respectu, nego.

Atqui Ecclesia creditur, contradist. mir. : sub eodem respectu ac dicitur visibilis, nego ; sub diverso respectu, conc. Et negatur consequens et consequentia.

Explicatur. Secundum doctrinam S. Thomæ (Sum. theol. II, II, q. i, a. 4. 5) non potest aliquid simul et sub eodem respectu esse creditum et scitum vel visum, bene tamen sub diverso respectu.

lamvero aliud ct aliud formaliter creditur et scitur circa Ecclesiam. Distinguendum enim est inter rem de qua est fides, et inter veritatem circa illam rem creditam (S. Thomas, II, II, q. i et a 2). Similiter distinguendum est inter rem quæ est scita et inter veritatem scitam circa illam rem. Uti patet, eadem Ecclesia (ut est res quædam) creditur et dicitur esse visibilis, sc. Ecclesia Christi in mundo existons in concreto. Veritas autem quæ circa hanc Ecclesiam creditur et scitur, est formaliter distincta. Ille qui credit articulum symboli de Ecclesia (credo... sanctam

Ecclesiam), credit (saltem in generali vel implicite) omnem doctrinam revelatam de Ecclesia, revelatam sive circa corpus sive circa animam Ecclesiæ ; ille vero qui propter motiva credibilitatis recognoscit Ecclesiam catholicam tanquam divinitus institutam, hanc solam veritatem cognoscit adeoque tantum doctrinam circa corpus Ecclesiæ.

Deinde hæc ipsa propositio : Ecclesia catholica est divinitus instituta, sensum distinctum habet cum est obiectum vel fidei vel cognitionis naturalis. In propositione enim quæ est obiectum fidei, terminus « Ecclesia », i. e. subiectum propositionis, supponit pro tota Ecclesia, pro corpore sc. et anima ; in propositione vero quæ est obiectum cogitationis humanæ, terminus « Ecclesiæ » vel subiectum propositionis significat tantum corpus Ecclesiæ.

Denique assensus fidei fertur in Ecclesiam ut est a Deo cognita et a Deo per revelationem proposita, adeoque ut est *mysterium ;* e contra Ecclesia est visibilis inquantum ex parte etiam cognitioni naturali ut *credibilis* apparet.

Sub alio igitur et alio respectu Ecclesia creditur et est visibilis, ita ut nulla sit repugnantia.

Protestantes etiam in hac quæstione falso supposito laborant. Supponentes enim Ecclesiam esse congregationem iustorum vel prædestinatorum, necessario concludunt, Ecclesiam non nisi per revelationem divinam adeoque per fidem cognosci posse : quinam enim sint iusti vel prædestinati, solus Deus scit vel cui Deus id revelaverit.

SECTIO SECUNDA

ARTICULUS DECIMUS OCTAVUS

De notis Ecclesiæ in generali

I. Triplex via ad cognoscendam veram Ecclesiam Christi. — Vera Ecclesia Christi triplici via tum in se cognosci tum ab aliis dignosci potest. *Prima via* procedit directe ex consideratione Ecclesiæ, sc. facta supernaturalia considerat quæ in Ecclesia catholica apparent, tamquam signa vel testimonia Dei pro veritate huius Ecclesiæ. Hanc viam Cone. Vatie, his verbis indicat : « Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fœcunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile » (Denz., 1794). Inde concluditur, Ecclesiam catholicam pro se habere testimonium divinum, vel soli Ecclesiæ catholicæ signa credibilitatis competere. Ita Cone. Vatie, dicit : « Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia quæ ad evidentem fidei christianæ credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita » (l. c.). Hac via veteres apologetæ processerunt, ut e. g. Epistula ad Diognctum, *luslinus* in *Apologia;* hac via S. Augustinus Ecclesiam catholicam tamquam religionem veram cognovit (C. Epist. fund. c. v) ; hac via multi protestantici ad Ecclesiam catholicam conversi sunt, ut Card. Maning, videndo in Ecclesia catholica praxim caritatis socialis, vel A. *Buville,* videndo in sola Ecclesia catholica teneri simul auctoritatem et humilitatem[1]. Et alii aliter[2]. Hac via in libris apologeticis modernis

1. *Zurttk zur hl. Kirche,* 1910 ; *Im Zeichen des echlen Ringes.*
2. R/ess, *Converlitenbilder.*

divinitas Christi et religionis christianæ (i. e. catholicæ) ostenditur1.

Altera via ex nolis Ecclesiæ procedit. Hac via procedendo primo ostenditur, Ecclesiam veram Christi ex promissione et virtute Christi qualitates quasdam vel proprietates determinatas habere, unitatem sc., sanctitatem, catholicitatem et apostolicitatem, quibus tamquam indiciis vel signis divinitus datis ut vera Ecclesia Christi cognosci possit ; secundo ostenditur, huiusmodi notas in Ecclesia catholica eaque sola reperiri. Inde concluditur, Ecclesiam catholicam esse illam quam Christus instituit, alias vero ecclesias esse a Christo alienas. Hac via procedit theologia apologetica traditionalis, saltem post tempus sic dictæ reformationis. Uti patet, secunda via partim cum via prima coiincidit, inquantum sc. utraque via facta supernaturalia in Ecclesia tamquam testimonium divinum considerat, tamen alio et alio modo ex hoc facto argumentatur.

Tertia via quasi *per paries* procedit. Ostendit singulas partes doctrinæ catholicæ de institutione, natura et potestate Ecclesiæ consonas esse doctrinæ S. Scripturæ, SS. Patrum nec non congruere sanæ rationi vel aliis doctrinis christianis. Conclusio huius viæ est, doctrinam Ecclesiæ catholicæ Ecclesiamque ipsam esse conformem doctrinæ S. Scripturæ, testimoniis veterum, sanæ rationi et principiis christianis, adeoque Ecclesiam catholicam esse credibilem. Hac via in universo tractatu de Ecclesia catholica procedimus : est enim ratio generalis apologeticæ Ecclesiæ catholicæ, immo vel theologiæ dogmaticæ.

Quæritur igitur, quanam ex his tribus viis in apologetica melius, efficacius et magis convenienter ad finem et methodum apologeticæ procedatur, utpote ad ostendendum, quænam ex diversis ecclesiis sit de facto vera Ecclesia Christi. Via tertia est extra quæstionem, cum sit via generalis ipsius apologeticæ : quæ proinde a via prima et secunda supponitur et includitur ; quæstio igitur est de eligenda via prima vel secunda.

1. Videsis argumentationem eximiam apud Garrigou-Lagrange, O. P., *De revelatione,* II2 l. II, c. ix.

II. Apologetica melius, efficacius et convenientius ad finem et rationem propriam ex notis Ecclesiæ procedit, ad probandam sc. institutionem et veritatem divinam Ecclesiæ catholicae. — Certe optima quidem ratione scientia apologetica via prima, a Concilio Vatie, indicata, procedere potest. Ita in capite tractatus de Ecclesia signa et facta divina exponenda essent quæ veritatem divinam Ecclesiæ divinitus testificantur. Multiplex tamen utilitas et ratio suadet ut in apologetica scientifica *ex nolis* Ecclesiæ procedamus. Nam *primo* est via traditionalis. *Secundo* controversia de veritate Ecclesiæ catholicæ est proprie cum asseclis *aliarum ecclesiarum,* sive hæreticarum sive schismaticarum qui sc. admittunt tum institutionem alicuius ecclesiæ tum divinitatem Christi tum inspirationem divinam S. Scripturæ : unde argumentatio ex notis procedens erit magis propria, efficax et perfecta. *Terlio* expositio notarum Ecclesiæ simul expositionem proprietatum correspondentium comprehendit, saltem ex parte et quantum ad apologeticam pertinet. *Quarlo* in argumentatione ex notis simul argumentatio primæ viæ includitur. Etenim argumentando ex notis simul ostendimus, in Ecclesia catholica adesse facta supcrnaturalia, tamquam signa et testimonia divina veritatis Ecclesiæ catholicæ : quæ quidem faca veritatem Ecclesiæ catholicæ iam ex se sufficienter probant, magis tamen et efficacius adhuc, si considerantur ut adimpletio promissionum divinarum.

Ex iisdem rationibus censemus, notas veræ ecclesiæ in apologetica considerandas esse tantum sub ratione notarum, non vero prius sub ratione proprietatum et postmodum sub ratione notarum : consideratio enim proprietatum ut talium magis ad dogmaticam pertinere videtur.

III. Doctrina catholica de notis. — Pius IX doctrinam catholicam de notis his verbis enuntiat : « Vera Iesu Christi Ecclesia quadruplici nota, quam in symbolo credendam asserimus, auctoritate divina constituitur et dignoscituf : et quælibet ex hisce notis ita cum aliis cohæret ut ab iis nequeat seiungi ; hinc fit, ut quæ vere est et dicitur catholica, unitatis simul, sanctitatis et apostolicæ successionis prærogativa debeat effulgere » (Denz., 1686). Similiter

Cone. Vatic, docet : « Deus per Filium suuin unigenitum Ecclesiam instituit suæque institutionis manifestis notis instruxit » (Denz., 1793).

IV. Definitio notæ Ecclesia. — Nota Ecclesiæ est proprietas Ecclesiae in rerum factis extrinsecus elucens atque ex institutione et promissione Christi veritatem Ecclesiæ manifestans. — Explic. a) *Nota* alicuius rei generaliter dicitur proprietas qua res illa ab aliis distinguitur et secerni potest[1] : ita lineamenta et color faciei alicuius hominis sunt notæ ipsius quibus ab aliis hominibus distinguitur et secernitur et ut talis cognosci potest. Nota igitur similiter ac *signum* in cognitionem alterius ducit ; signum tamen potest esse aliquid pure extrinsecum et accidentale, dum nota proprietatem rei cognoscendæ, importat : ita vestis qua homo est indutus, potest mihi esse signum quod talis sit N. N. ; proprietas vero faciei suæ erit nota ipsius N. N. Ita notæ Ecclesiæ sunt proprietates Ecclesiæ.

b) Proprietas alicuius rei est *qualitas alicui rei propria :* dicitur *qualitas* quia proprietas attributum aliquod præter essentiam rei significat ; dicitur qualitas *propria* quia proprietas qualitatem rei necessario inharentem et illi soli convenientem significat. Unde « proprium » secundum scholasticos prædicatur « necessario » : « quia licet non constituat rei essentiam, tamen cum essentia ita connectitur ut *omni* habenti talem essentiam et *soli* habenti talem essentiam et *semper* habenti talem essentiam necessario tribuatur, sicut capacitas sciendi in homine[2] ». Ita notæ Ecclesiæ proprietates veræ Ecclesiæ Christi significant, tales sc. qualitates quæ *soli* Ecclesiæ Christi competunt, in illa sola inveniuntur, et semper ac necessario.

c) *Proprietas in rerum jactis elucens.* — Omnis quidem nota est proprietas, sed non omnis proprietas est nota, sed illa tantum quæ in rerum factis elucet, unde et facile cognosci et in cognitionem alicuius rei ducere possit : ita forma vel figura alicuius hominis est nota distinctiva ipsius. Notæ igitur Ecclesiæ sunt *quædam jacta* in rerum natura elu-

1. S. Thomas, I, q. xxxn, a. 2, 3.
2. Zigliara, *Logica,* a. 4, 111.

eentia, *Ecclesiæ propria,* ut quod Ecclesia sit una societas per totum orbem constituta.

d) *Veritatem Ecclesiæ manifestans.* — Nota aliquam rem manifestat. Notæ Ecclesiæ *veritatem* Ecclesiæ manifestant, sc. quod talis ecclesia sit vera Ecclesia Christi, i. e. Ecclesia ab ipso instituta.

e) *Ex institutione et promissione Christi.* —Notæ veritatem alicuius ecclesiæ manifestant inquantum *Chrislus promissil* ut sua Ecclesia huiusmodi proprietates haberet, quas sc. ipse in sua Ecclesia efficeret, et quidem proprie in signum et testimonium veritatis. Ideo Pius IX docet : « Vera lesu Christi Ecclesia quadruplici nota... auctoritate divina constituitur et dignoscitur. »

V. Conditiones notarum. — *Prima* conditio notæ est, ut sit *notior vel facilior cognilu quam veritas Ecclesiæ :* id quod sequitur tum ex notione tum ex fine notæ, per quam sc. in cognitionem veritatis Ecclesiæ deveniendum est. *Secunda* conditio est ut nota sit *obvia,* i. e. ut per modum facti publici et conspicui eluceat adeoque servata proportione ab omnibus facile cognosci possit. Non quidem requiritur ut nota statim et absque ulla investigatione cognosci possit, sed tantum ut, quantum est ex se, facile et certo cognosci possit ; similiter non excluditur difficultas cognoscendi orta ex rationibus vel conditionibus subiectivis et accidentalibus alicuius hominis, dum tamen nota, quantum est ex se et ex parte obiecti, sit facilis cognitu. Denique simplex cognitio facti, non veto cognitio scientifica facilis esse asseritur.

VI. De indole notarum. — Ex praemissis sequentia patent.

Primo : notæ sunt *facta supernaturalia,* saltem quoad modum ; sunt enim signa divinitus data in testimonium Ecclesiæ, sunt effectus proprius promissionis et operationis Christi in Ecclesia. Per quod tamen cooperatio activa et libera hominum non excluditur, in producendis sc. factis quæ notas constituunt, ut e. g. in procuranda et conser-

vanda unitate et sanctitate Ecclesiæ : idem enim effectus potest esse a Deo et ab hominibus, ut docet Aquinas[1].

Secundo : omnes notæ *necessario connexu cum Ecclesia* sunt coniunctæ. Etenim notæ sunt proprietates Ecclesiæ verae et ipsi a Christo in testimonium promissæ. Sicut igitur in rebus physicis secundum naturalem ordinem rerum proprietates necessario cum essentia sunt coniunctæ, ita analogo quodam modo notæ secundum ordinem a Christo statutum necessario cum vera Ecclesia sunt coniunctæ, « per quandam resultationem », ut S. Thomas de proprietatibus physicis dicit[2].

Inde simul sequitur *a)* in vera Ecclesia Christi sunt *omnes* quatuor notæ, perpetuo, ita ut nunquam una vel altera deesse possit, δ) Omnes notæ adsunt *ul nolæ,* i. e. non possunt ita obscurari ut iam aliquando cognosci nequeant. Tamen notæ in diversis temporibus magis minusque conspicue elucere possunt : ita unitas Ecclesiæ catholicæ nostris diebus multo magis conspicuo elucet quam in primo sæculo vel tempore schismatis occidentalis, c) *Nulla nola* veræ Ecclesiæ, proprie et formaliter accepta, *in aliqua ecclesia hærelica* vel schismatica revera et certe adesse potest. Ita rationabilitas proprie accepta non nisi hominis est. d) In ecclesia in qua una nota proprie et vere adest, etiam *aliæ necessario* aderunt, dum c contra in Ecclesia in qua una nota deficit, neque aliæ notæ vere adesse possunt.

Terlio : Notæ Ecclesiæ sunt *positioæ,* i. e. una ex parte qualitates reales Ecclesiæ et alia ex parte probant veritatem Ecclesiæ in qua reperiuntur : id quod ex ipsa notione notarum consequi videtur. Non rari quidem thfeologi inter notas positivas et negativas distinguunt. Secundum illos nota « negativa ea est cuius absentia potius demonstrat rem quæsitam non adesse, cuius præsentia solum arguit rem quæsitam posse adesse[3] ». Attamen quidquid est de possibilitate vel existentia talis notæ, nota negativa in re

1. I, q. xxiii, a. 5 : « non est distinctum quod est ex causa secunda et causa prima. »
2. I, q. Lxxvn, a. 6 ad 3 ; a. 7 ad 1.
3. Dorsch, *Instil. Iheol. /undam.,* p. 537.

nostra est *extra quæstionem* et quatuor notæ Ecclesiæ ut notæ positivæ ccnsenclæ sunt[1].

VII. De usu notarum. — a) Cum quæratur quænam ex diversis ecclesiis sit vera Christi Ecclesia, et cum argumentatio ex signis vel effectibus supernaturalibus a Christo promissis procedat, *quæstio* de notis Ecclesiæ est tantum *cum illis qui fidem chrislianam profitentur,* et in specie divinitatem Christi, inspirationem S. Scripturæ et alia dogmata Christiana principalia. Ita argumentatio ex notis est contra protestantes sic dictos positivos et contra græcos schismaticos. Contra incredulos vero vel rationalistas argumentatio ex motis est inefficax : quodsi enim divinit as Christi non admittitur, promissiones Christi firmum argumentum præbere non possunt. Contra huiusmodi igitur via prima supra indicata procedendum est, i. e. ostendendum est, reperiri in Ecclesia catholica facta quædam quæ causam supernaturalem ac divinam postulant atque testimonium divinum pro veritate ecclesiæ catholicæ dicunt.

b) Notæ semper *in sensu proprio et Christiano* accipiendæ sunt, : in sensu *proprio,* i. e. tanquam proprietates *ecclesiæ,* in sensu *christiano,* i. e. secundum doctrinam christianam. Ita unitatis nota proprie unitatem *ecclesiæ* importat, sanctitas tanquam sanctitas supernaturalis et Christiana intelligitur.

c) Per argumentationem ex notis proprie vera Christi *Ecclesia a seclis falsis distinguitur.* « Aliæ vero religiones falsæ quæ christianæ dici non possunt, velut buddhismus et Mahumetis error, aliis argumentis impugnantur. Expansio V. g. polytheismi vel buddhismi et catholicitatis nola, cum ne materialiter quidem inter se similitudinem habeant, nullius comparationis subiectum præbent[2]. »

VIII. De numero notarum. — Secundum doctrinam communem Ecclesiæ quatuor notæ enumerantur, sc. quod Ecclesia sit una, sancta, catholica et apostolica : ita et

1. Cf. circa has quæstiones ea quæ scripsimus in *Divus Thomas,* I (1914), p. 57 ss.

2. Groot, *De Ecclesia,* q. v, a. 1, v.

Pius IX. Alii plures notas assignant[1], quæ tamen ad quatuor dictas reducuntur. Quidam *pulchritudinem* Ecclesiæ ut notam adducunt. Attamen, licet Ecclesia catholica certe sit opus pulcherrimum Dei, huiusmodi tamen pulchritudo non potest esse nota, cum non sit obvia nec facilior cognitu quam veritas Ecclesiæ, immo Ecclesia non admittitur ut pulchra nisi prius tanquam vera Ecclesia Christi agnoscatur : pulchrum enim est quod visum placet, Ecclesia vero a Christo aliena christiano placere non potest. Unde illi qui sunt extra Ecclesiam catholicam, eam abhorrent. Denique indicium de pulchritudine est valde subiectivum[2].

Alii non rari theologi, praesertim ex S. I., *unionem cum Romano Pontifice* tanquam notam veræ Ecclesiæ adducunt. In qua re certum quidem ac manifestum est, Ecclesiam veram super Petrum eiusque sucessorcs esse aedificatam, atque in Ecclesia Christi fideles et pastores Romano Pontifici esse unitos. Attamen huiusmodi res non potest esse *nota* veræ Ecclesiæ Christi, et argumentatio ex institutione primatus non est argumentatio ex notis. Licet enim primatus sit ex institutione Christi, tamen *huiusmodi dioina institutio non* est *facium in ipsa Ecclesia elucens* quod a posteriori, ex ipsa historia et conditione Ecclesiæ actuali probari possit, dum e contra e. g. unitas Ecclesiæ a posteriori et ex historia et ex statu actuali Ecclesiæ probari potest[3].

1. Cf. Bellarminus, *De Eccl. milit.,* lib. IV, 3.
2. Cf. Groot, l. c. p. 150.
3. Argumentatio est hæc : « In vera Christi Ecclesia erit primatus, Petrus et eius successores ut summi pastores : atqui primatus in sola Ecclesia catholica invenitur : ergo illa est vera Ecclesia Christi. » In hoc syllogismo ut sit legitimus, terminus medius, sc. primatus, in utraque præmissa *in eodem sensu* est accipiendus. In propositione maiori, « primatus » significat potestatem *divinitus datam* regendi Ecclesiam. Quodsi « primatus » in propositione minori eodem sensu accipiatur, minor quidem vera est, *at tantum ex fide constat,* non vero ut factum naturaliter cognoscibile. Non enim est factum obvium quod potestas Romanorum Pontificum sit divinitus data. Quodsi vero in minori · primatus » pro solo facto præsidentiæ accipiatur, duplex terminus medius habetur el syllogismus non concludit. — E contra se habet in argumento ex notis, e. g. unitatis. Syllogismus est : « Christus promisit, Ecclesiam suam fore *unam societatem:* atqui Ecclesia catholica est una societas : ergo vera Ecclesia. » Terminus medius « una Ecclesia »

Deinde institutio primatus non est facilior cognitu nec magis obvia quam veritas ipsius Ecclesiæ catholicæ. Denique qui semel admiserit, Petrum primatum iurisdictionis accepisse et Romanum Pontificem eius esse legitimum suecessorem, argumentatione pro veritate Ecclesiæ Romanæ amplius non indiget.

Est autem unio cum Romano Pontifice, licet non nota qua dignoscatur vera a falsa *Ecclesia,* tamen signum quo *fideles vel pastores catholici* ab asseclis alterius ecclesiæ dignoscuntur. Ita quoque SS. Patres ad unionem cum Ecclesia Romana recurrunt[1] ; hoc sensu missionarii unionem cum Romano Pontifice et cultum B. M. V. fidelibus iaponensibus tamquam signum ministrorum catholicorum indicaverunt.

IX. De notis protestantium. — Protestantes saltem hodie communiter duas notas veræ Ecclesiæ assignant, sc. *sinceram verbi Dei praedicationem et legitimam sacramentorum administralionem.* Ita iam Lutherus, scribens : « Ubicumque verbum Dei deprædicari, credi, lucere in confessione, vita et moribus exprimi audis et vides, ibi certo statuas esse veram ecclesiam sanctam et catholicam. » Et similiter Calvinus : « Ubicumque Dei verbum sincere prædicari atque audiri, ubi sacramenta ex Christi instituto administrari videmus, illic aliquam esse Dei Ecclesiam nullo modo ambiguendum est[2]. » Attamen evidens est, rectam prædicationem evangelii et administrationem sacramentorum perperam tanquam *nolas* adduci. Etenim certum quidem est, illam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, in qua verbum Christi sincere prædicatur et creditur et vita exprimitur, at *non est factum obvium,* facile cognitu, *utrum* hoc in aliqua Ecclesia *revera fiat.* Ecquidem Protestantes ab initio simpliciter prætendebant, se habere veram doctrinam : at in hoc supponebant quod probandum erat. Optime *Gotti* notat : « Omnes christiani nominis ecclesiæ

factum enuntiat quod naturaliter cognosci potest et facile cognoscit ur.

1. Cf. Irenaeus, *Adv. Haeres.,* 3, 3, l el alii; cf. Straub, l. c., n. 1440 ss.

2. Inst., l. IV, c. i, § 9.

et verbi Dei sinceram prædicationem et sacramenta habere ex instituto Christi ostentant ; quibus tamen non fides eadem est, sed diversa[1]. » Similiter iam primi apologetæ contra Protestantes merito observant, ex doctrina alicuius Ecclesiæ ut tali argumentum firmum et certum desumi non posse, sed e contra, quænam sit vera doctrina et quomodo sacramenta ex instituto Christi sint administranda, ex dqctrina Ecclesia esse determinandum.

X. De notis secundum theologos graeco-schismaticos. — Gi'æci schismatici quidem tenent, Ecclesiam veram Christi fore unam, sanctam, catholicam et apostolicam ; attamen huiusmodi proprietates non tanquam notas urgent. Tn praxi unam tantum notam admittunt, sc. *immutatam conservationem doctrinae Ecclesiæ antiquae* (Patrum et septem priorqm conciliorum). Ita *Macarius*[2]. Alii alias et alias notas assignant.

Attamen conservatio immutata doctrinæ ecclesiæ veteris nonæst nota neque apta neque sufficiens[3].

Nam *primo* hac nota tantum cognoscitur, aliquam ecclesiam posteriorem cum ecclesia anteriore in doctrina convenire : id quod etiam in ecclesia schismatica contingere potest ; unde ex hac nota necessario non sequitur, aliquam ecclesiam esse *veram* Ecclesiam Christi.

Secundo hæc nota non est facilior cognitu neque magis obvia quam ecclesia ipsa : præsupponitur enim cognitio prævia doctrinæ ss. Patrum et conciliorum, comparatio cum doctrina posterioris Ecclesiæ et indicium de conformitate ecclesiæ antecedentis et subsequentis : id quod longum studium et indicium theologicum exigit.

Tertio hæc nota est contra conceptum verum Ecclesiæ, ad cuius sc. magisterium pertinet, determinare utrum aliqua doctrina, noviter proposita, cum doctrina Christi et Apostolorum, ss. Patrum et conciliorum conveniat.

1. *De 'vera Ecclesia Christi,* p. I, c. i, § 1.

2. *Introductio ad theol. orthodox.,* scripst. mss. cd. 4, p. 382, apud Straub, *De e.ccl. Christi,* 11, 8251.

3. Cf. Straub, l. c., p. 837 ss.

XI. De modo procedendi. — Exposita doctrina generali de notis nunc nobis *primo* ostendendum est *quænam nolæ* a Christo Ecclesiæ sint promissæ, utpote quod Ecclesia sit una, sancta, catholica et apostolica, et quonam sensu vel quanam ratione : non enim aprioristice, sed ex verbis Christi natura particularis notarum determinanda est ; *secundo* notæ singulæ sunt *applicandæ,* inquantum sc. ostenditur, eas convenire Ecclesiæ catholicæ, non vero aliis ecclesiis.

SECTIO TERTIA

De notis Ecclesiæ Christi in particulari

ARTICULUS DECIMUS NONUS

De nota unitatis Ecclesiæ

I. Definitio et notio notæ unitatis. — Nota unitatis definitur tanquam proprietas Ecclesiæ Christi qua est una societas, unitate sc. professionis fidei, cultus et regiminis.

Explic. « *Unum* » generaliter multitudini opponitur. Cum enim aliquid dicitur unum, negatur divisio ipsius in multa[1]. Unde unum merito definitur tanquam id quod est indivisum in se et divisum a quolibet alio. Applicando hanc notionem generalem unitatis ad Ecclesiam, unitas *Ecclesiæ* divisionem eius in plures ecclesias excludit et simul divisionem a quacumque alia ecclesia importat.

Ecclesia vero dicitur una inquantum *ul Ecclesia* est indivisa in se et divisa a qualibet alia ecclesia ; unitas igitur Ecclesiæ unitatem in ordine societatis importat adcoque quod sit *una societas.*

Inde de unitate Ecclesiæ *Christi* indicandum est secundum analogiam unitatis aliarum societatum, habita sc. proportione ad naturam specificam Ecclesiæ Christi. Iam vero, generaliter loquendo, ut aliqua societas sit una, requiritur ut habeatur eadem lex, eadem vita socialis et eadem constitutio vel idem regimen. Applicando hanc regulam communem, in Ecclesia Christi, ut sit una, requiritur eadem fides — cum in ecclesia Christi fides locum legis teneat — idem cultus vel eadem media sanctifica — in his enim vita socialis Ecclesiæ consistit — et eadem forma regiminis vel eadem constitutio socialis. Quoad fidem additur quod

1. S. Thomas, *De Pol.,* q. ni, a. 16 ad 3.

Ecclesia sit una in fidei *professione,* quia fides ut est in corde tantum, non potest esse nota.

In particulari *unitas fidei* indivisionem fidei importat. Fides autem Ecclesiæ indivisa dicitur inquantum eadem ut ab omnibus credenda ab Ecclesia statuntur vel imponuntur, et inquantum eadem a membris Ecclesiæ fide tenentur ; e contra aliqua Ecclesia erit in fide divisa si in ipsa Ecclesia diversa et opposita fide tenentur, si quæ ab unis creduntur, ab aliis repudiantur, si denique vel contraria tamquam credenda proponuntur. Uti patet, unitas fidei principium et rationem in ipsius Ecclesiæ constitutione habere oportet.

Similiter *unitas cultus* indivisionem cultus in Ecclesia importat. Generaliter loquendo, secundum S. Augustinum, Deus colitur fide, spe et caritate[1]. Ecclesia igitur erit una in cultu Dei, si in illa eadem creduntur, sperantur et amantur. In particulari cultus Dei duo respicit, sc. *honorem Deo debitum* et *unionem mentis cum Deo, per propriam sanctificationem.* Secundum enim D. Aquinatem Deus proprie colitur per exhibitionem honoris Deo debiti, inquantum sc. « homo protestatur divinam excellentiam et subiectionem sui ad Deum[1] ». Subiectio ad Deum fit inquantum mens humana Deo unitur et alligatur, tanquam principio indeficienti et tanquam fini ultimo (l. c. a. 1), i. e. per sanctificationem hominis. Cultus igitur in concreto vel in particulari vias et media honorandi Deum et sanctificandi homines respicit : quæ media in cultu christiano sunt præcipue sacrificium, sacramenta sive tradenda sive recipienda[3]. Ecclesia igitur una erit in cultu cum Deus iisdem mediis honoratur et homines iisdem mediis Deo copulantur et sanctificantur.

Unitas regiminis essentialiter unitatem et indivisionem corporis dicit et simul communionem mutuam inter partes diversas alicuius societatis ; e contra regimen erit divisum cum plura habentur corpora ab invicem independentia et inter se non communicantia. Huiusmodi unitas corporis et communionis supponit unitatem legis et auctoritatis,

1. *Enchir.,* c. m.
2. Ia, IIa°, q. l x x x i.
3. III, q. Lxni, a. 2, 3, 4, 6.

ut sc. eadem *lex* in communitate valeat et eadem *auctoritas* in tota communitate vim atque efficaciam habeat. Ita in uno statu civili eadem obligat lex, atque eadem auctoritas in toto statu agnoscimur, dum e contra in duobus statibus separatis alia atque alia lex habetur, atque auctoritas vel potestas quæ in uno statu reperitur, in alio nullam habet vim et efficaciam. Quæ quidem unitas legis et potestatis adeoque regiminis maxime apparet, si unum caput physicum existit.

Hæc dicta sufficere possunt quantum ad *nolam* unitatis determinandam. Quod si vero unitas ut *proprietas* Ecclesiæ consideratur, exponenda sunt tum ratio et natura specifica tum causæ specificæ huiusmodi unitatis. Atque ita veteres theologi unitatem Ecclesiæ communiter considerant. *Turrecremata,* e. g.[1] multiplicem unitatem Ecclesiæ ostendit, sc. quod Ecclesia est una : 1° unitate capitis invisibilis quod est Christus (cf. *Eph.,* i, 22 s.) ; 2° unitate Spiritus Sancti vivificantis Ecclesiam *(I Cor.,* xn) ; 3° unitate fidei quæ iterum in unitate et auctoritate unius Dei revelantis fundatur ; 4° unitate spei in quantum una beatitudo et per eadem Dei auxilia expectatur ; 5° unitate caritatis ; 6° unitate baptismi et aliorum sacramentorum ; 7° denique unitate rectoris visibilis, i. e. Romani Pontificis : quæ omnia in theologia dogmatica suo loco exponuntur[2].

11. De unitate ecclesiæ secundum Protestantes. — Etiam Protestantes necessitatem alicuius unitatis in Ecclesia Christi admittunt, quam tamen unitatem non ut unitatem socialem, veram et externam, sed ut internam quandam, idealem, directionis cuiusdam generalis, imo affectus tantum considerant. Rationes huius doctrinæ patent. Cum enim Protestantes non admittant, Christum Ecclesiam instituisse ut societatem veri nominis, neque unitatem ecclesiæ ut vere socialem admittere possunt. Deinde protestantismus nimis evidenter in diversas ecclesias et sectas est divisus quin Protestantes unam tantum veram Ecclesiam Christi statuere possint. Denique Protestantes recen-

1. *Summa de Ecclesia,* pars I, c. vi.
2. Cf. S. Thom., III, q. vm, a. 1 et commentatores in h. l.

tiores, maxime sic dicti liberales vel rationalistic!, revelationem et vim divinam dogmatum Christianorum negant adeoque unitatem necessariam ad minimum quoddam reducunt.

In particulari Sociniani, Arminiani et Lutherani nec non Calvinistæ unitatem *articulorum fundamentalium* statuunt. Vocantur autem articuli fundamentales illæ doctrinæ quas omnes ecclesiæ protestanticæ admittunt vel necessario admittere deberent, dum articuli non fundamentales salva fide et salute negari possint. *Anglicani* unitatem quandam idealem statuunt, sc. circa ea in quibus ecclesia Romana, anglicana et græco-schismatica inter se conveniunt. Protestantes recontiores unitatem necessariam in diem magis reducunt, negantes vel necessitatem fidei in articulos symboli apostolic! : ita rationalists ad religionem rationalem et mere naturalem pervenerunt, ita Harnack essentiam religionis in persuasione de Dei « bonitate » ponit. Inde factum est ut protestantes omnes ecclesias et sectas (excepta forsitan Ecclesia catholica) tanquam legitimas filias vel ramos unius ecclesiæ idealis agnoscerent.

III. Thesis : Ecclesia Christi, ex institutione et promissione Christi ipsius, erit una societas, unitate sc. fidei professionis, cultus et regiminis. — *Prob. prima pars : Ecclesia Christi erit una societas, non vero divisa in plures numero societates.* — Id quod facile patet ex iis quæ de institutione Ecclesiæ diximus. Etenim Christus *unam* ecclesiam ædificandam enuntiat : « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam » (Mt., xvi, 18). Qua ex ratione omnes oves Petro ut pastori commendat (Joa., xxi, 17) et omnes gentes Apostolis subiicit (Mt., xxviii, 19). Proinde Ecclesia in parabolis et metaphoris ut una societas repraesentatur et describitur, sc. ut unum regnum Christi, ut una civitas Dei, ut unus ager, unum rete, unum ovile. Hanc unitatem fidelium denique Christus exorat (Joa., xvii, 11, 20-23).

Similiter Paulus omnes ecclesias particulares et omnes fideles ut unum regnum Christi et unum corpus Christi considerat (cf. *I Cor.,* 12 ; *Eph.,* 4 ; *Rom.,* xn, 4 ss.).

SS. Patres nonnisi de una Ecclesia Christi loquuntur

atque textus S. Scripturæ de una Ecclesia interpretantur. Propter unitatem socialem Ecclesiæ Clemens Rom. seditionem Corinthiis factam tanquam « impiam et destestandam » damnat, Ignatius Ant. unionem cum episcopis et presbyteris inculcat, omnes Patres non tantum hæreticos sed et schismaticos a salute excludunt. Cyprianus contra schismaticos Carthaginenses (et Romanos) librum « De catholicæ ecclesiæ unitate » scribit et S. Augustinus « De unitate Ecclesiæ ». S. Cyprianus breviter sententiam antiquitatis his verbis enuntiat : « Deus unus et Christus unus et una Ecclesia eius et fides una et plebs una in solidum corporis unitatem concordiæ glutino copulata (l. c. c. xxm).

De reliquo ipsa ratio unicitatem ecclesiæ Christi docet. Nam nulla ratio sufficiens assignari potest cur Christus plures Ecclesias instituerit vel esse voluerit : neque ex parte instituentis qui est Christus unus qui habet potestatem super omnes homines, neque ex parte hominum vocatorum qui omnes similiter sunt a Christo redempti et omnes similiter Christi gratia indigent ,neque ex parte ipsius Ecclesiæ quæ necessitatibus et conditionibus omnium hominum et temporum satisfacit. Neque valet recursus ad divisionem regnorum terrestrium; illa enim plurificantur ac dividuntur : vei propter defectum potestatis vel propter diversam conditionem populorum vel propter insufficientiam constitutionis regnorum singulorum. De reliquo vel fundatores regnorum unum regnum instituere conantur, inquantum id ipsis ius, auctoritas et potestas permittit, sicut et fundatores ordinum religiosorum singuli unum tantum ordinem universalem instituerunt.

Prob. secunda pars thesis : Ecclesia Christi erit una, unitate professionis fidei, cultus divini el regiminis. — Id quod generaliter iam ex prima parte theseos sequitur : Ecclesia enim non aliter erit una societas quam per unitatem fidei, cultus et regiminis. Probatur tamen per partes.

1. *Ecclesia erit una unilate fidei.* — Hanc voluntatem Christus expressit, obligando omnes ad credenda *omnia* quæ ipse docuerat. Ita Christus simpliciter dicit : « Qui non crediderit, condemnabitur » (Mc., xvi, 16), et Apostolis iriiungit : « Docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque dixi vobis » (Mt ., x x v iii, 20).

Inde qui non omnia crediderit quæ Christus docuerat, non salvabitur, non erit Christi, ad regnum Christi non pertinebit ; e contra in regno Christi, in Eccjesia sua Lotum evangelium tenebitur. Necessitas huius obligationis <le reliquo patet tum ex auctoritate Christi proponentis evangelium, tum ex fine revelationis qua sc. hominibus via salulis indicatur. Quod autem de facto hœc unitas fidei in Ecclesia Christi servabitur, Christus praedicit, promittendo apostolis assistcntiam suam, ut sc. semper omnia quæ ipse dixerat, prædicent (Mτ., χχνιιι, 20), exorando iis qui crediturі forent in ipsum, ut sint unum (Joa., xvii, 20-23), promittendo auxilium Spiritus S. qui ipsos omnia docebit (Joa., xiv, 26) ac denique promittendo indefectibilitatem Ecclesiæ suæ (infra a. 31). Itaque in Ecclesia Christi erit fides una, non vero diversitas vel divisio fidei.

Inde *insufficientia articulorum fundamentalium* patet. Unitas enim fidei non erit si una doctrina ab unis fide tenetur, ab aliis ut falsa repudiatur. Neque Christus permisit ut homines ea tantum crederent quæ ipsis placerent vel consona esse viderentur, sed omnes ad fidem totius evangelii obligat. Inde etiam vetus Ecclesia quamcumque doctrinam, Evangelio contrariam, tanquam hæresim damnavit, nulla facta distinctione inter veritates fundamentales et non-fundamentales : « Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem : quam nisi quisque *integram inviolalamque* servaverit, absque dubio in ætcrnum peribit. »

2. *Ecclesia Christi erit una unitate cultus.* — Unitas cultus christiani habebitur cum Deus iisdem mediis honoratur et homines iisdem mediis ac viis Deo copulantur et sanctificantur.

lamvero in Ecclesia Christi Deus necessario iisdem mediis honoratur et homines iisdem mediis sanctificantur. Nam eadem ab omnibus sunt credenda, speranda et amanda, sc. ea quæ sunt regni Christi vel Dei. Deinde omnes iisdem mediis Deum honorare debent, sc. iis quæ a Christo sunt indicata ; similiter omnes christifideles iisdem mediis sanctificari debent, ut baptismo (Mt., xxviii, 19), Eucharistia (Lc., xxii, 19). Unde Paulus scribit : « Unus Dominus, unum baptisma » (Eph., iv, 5), et : « Unus panis, unum

corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus » *{I Cor.,* x, 17).

3. *Ecclesia Christi erit una unitate regiminis.* — Etenim ut vidimiis, Ecclesia Christi est una societas vel Ecclesia : absque tamen unitate regiminis (cuiuscumque formæ concretæ) uria societas non habetur. Proinde hic veniunt omnia dicta Domini et Apostolorum in quibus Ecclesia ut unum règnum, ut una civitas vel domus, ut unum corpus, et quidem Dei vel Christi, describitur : regni enim unitas praecise ex unitate regiminis constituitur. Itaque in illis metaphoris simul unitas regiminis Ecclesiæ Christi enuntiatur, licet modo concreto. Deinde Christus de regno diviso contra se dicit : « Omne regnum divisum contra se desolabitur et omnis civitas divisa contra se non stabit » (Mτ., xii, 25), et : « Omne regnum in seipsum divisum desolabitur et domus supra domum cadet » (Lc., xi, 17). Ergo Ecclesia ipsa Christi non erit contra se vel in se divisa : id quod tamen foret, si unitas regiminis ipsi deesset.

Apostolus *Paulus* unitatem regiminis tum factis tum dictis indicat : factis, cum auctoritatem aliorum Apostolorum in Ecclesia agnoscit (Ga/., n, 2 ss.) ; dictis, cum tamquam finem regiminis vel ministerii ecclesiastici unitatem Ecclesiæ statuit : « Et ipse dedit quosdam quidem apostolos... ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi » *(Eph.,* iv, 11-12) ; ita ex capite, Christo, « totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem (κατ' ενέργειαν = virtutem vel potestatem) in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum facit in ædificationem sui in charitate » (l. c., v, 16). Cf. ***I Cor.,*** x ii. Tandem Concil. apostolicum vel Ilierosolym. unitatis Ecclesiæ necessitatem et factum maxime exprimit.

SS. *Patres* comuniter Ecclesiam ut *unum institutum,* et quidem divinum, proponunt et ex hoc hæresim et schisma damnant. Didache eandem « Doctrinam Apostolorum » omnibus Christianis ut regulam vivendi imponit atque communionem ecclesiarum inter se testificatur. Clemens Romanus unitatem Ecclesiæ unitati corporis, exercitus et synagogæ comparat[1], qua comparatione unitatem regi-

1. *Ep. ad Cor.,* c. xxxvn.

minis maxime manifestat. Apologetæ religionem Christianam et Ecclesiam communiter ut institutum divinum considerant atque defendunt, in quo per consentiens una lex divina et potestas communis existit[1].

Irenæus, Cyprianus et Augustinus vel ab ipsis adversariis tanquam defensores ecclesiæ « catholicæ », i. e. unius et universalis Ecclesiæ, agnoscuntur, quæ sc. constitutione et auctoritate una regitur.

Denique unitas regiminis in Ecclesia Christi necessario ex *origine,* ex *natura et fine* Ecclesiæ sequitur. Nam omnis potestas in regno Christi est a Christo tamquam auctore et non nisi in nomine ipsius exercetur : est enim potestas regni Christi ; ab uno tamen capite naturaliter, sicut unum regnum ita unum regimen instituitur. Similiter potestas regni Christi est potestas ordinis supernaturalis : unde propter unitatem ordinis supernaturalis in regno Christi etiam unitas regiminis sequitur. Denique finis potestatis in regno Christi est idem pro omnibus hominibus et temporibus : ex quo iterum unitas regiminis sequitur. Itaque ex ipsa institutione Ecclesiæ unitas regiminis necessario Huit.

Conclusio. « Unam esse lesu Christi germanam Ecclesiam, ex luculento ac multiple i Literarum testimonio sic constat inter omnes, ut contradicere Christianus nemo ausit. Verum in diiudieanda statuendaque natura unitatis multos varius error de via deflectit... Exquirendum, non sane quo pacto una esse Ecclesia queat, sed quo unam esse voluit is qui condidit..., videlicet ut *unam gentem, unum regnum, corpus unum* efficeret[2]. » Etenim « Ecclesiam lesus Christus non talem finxit formavitque, quæ communitates plures complecteretur genere similes, sed distinctas neque iis vinculis alligatas quæ Ecclesiam individuam atque unicam efficerent...[3] » Inde *Conc. Vatie.* « *catholicam unitatem* » tanquam motivum credibilitatis statuit[4].

1. Cf. *Epist. ad Diognetum,* Justinus, Apol. I el Dial, *cum Thryp.,* Tertullianus, Apolog. c. xlvi.
2. Leo XIII, Encycl. *Satis cognitum* ; Denz., 1954.
3. l. c., Denz., 1955.
4. Denz., 1794.

ARTICULUS VIGESIMUS

De nota sanctitatis Ecclesiæ

1. Definitio notæ sanctitatis. — Nota sanctitatis definitur tanquam proprietas et dos qua Ecclesia Christi pollet vi et efficacia sanctifica eaque miraculis divinitus comprobata. — *Explic.* 1. Sanctum aliquid dupliciter dicitur : uno modo *obieclive,* quia est Deo dicatum ; alio modo *subieclive,* ratione sc. sanctitatis propriæ.

Primo modo, i. e. obiective, sacerdotes V. T. sancti dicuntur (Lev., xxi, 6), similiter tabernaculum *(Exod.,.* xxvi, 34), populus Israæl *(Exod.,* xix, 6), christiani (/ *Pel.,* ii, 5, 9 ; *Bom.,* i, 7), sc. ut per baptismum Deo dicati ; alio modo, i. e. subiective, maxime aliqua persona sancta vocatur.

Etiam *Ecclesia* utroque modo sancta dicitur : *obieclive* ut corpus Christi *(Eph.,* i, 23 ; *Coi.,* i, 18), ut sponsa Christi *(Eph.,* v, 23 ss.), vel ut regnum Dei, a Christo institutum ; *subiective* Ecclesia sancta dicitur inquantum est medium sanctificationis hominum et membra sancta habet. Sanctitas igitur Ecclesiæ, de qua agitur, in ordine ad sanctitatem membrorum accipitur.

2. Huiusmodi sanctitas membrorum generaliter vitam secundum voluntatem et mandata Dei, vitam Deo placitam importat ; particulariter significat munditiam mentis, libertatem a peccato et gratiam sanctificantem vel iustificantem ; propriissime « sanctitas dicitur per quam mens hominis seipsam et suos actus applicat Deo[1]. »

Sanctitas diversos *gradus* habet : primus gradus est immunitas a peccato gravi ; secundus gradus maior immunitas etiam a peccato veniali ; tertius gradus est perfecta unio cum Deo. Secundum hoc sanctitas communis, perfectior et heroica distinguitur. Cum mens humana Deo per

1. S. Thom., II. IIae, q. lxxxi, a. 8.

charitatem uniatur, sanctitas erit eo perfectior quo charitatis gradus erit altior. Ita S. Thomas triplicem gradum charitatis et sanctitatis distinguit, sc. incipientis, proficientis et perfectæ[1]. Iterum S. Thomas caritatis, perfectæ triplicem gradum assignat, sc. primum cum tptum cor hominis semper actu fertur in Deum (perfectio beatorum) ; secundum, cum homo studium suum deputat ad vacandum Deo et rebus divinis, praetermissis aliis, nisi quantum necessitas præsentis vitæ requirit (sanctitas possibilis in via, non tamen communis omnibus), et tertium, cum aliquis nihil vult contra Dei praecepta gravia (sanctitas communis[2]).

3. Sanctitas Ecclesiæ considerari potest vel ut proprietas vel ut nota Ecclesiæ. Sanctitas Ecclesiæ, ut *proprietas* considerata, qualitatem Ecclesiæ importat qua in se est perfecte ordinata ad Deum, qua fidem, cultum et formam regiminis habet conformem regulis morum, mediis sanctificis polleat, fructus sanctitatis afferat; ita ad sanctitatem Ecclesiæ, ut est proprietas, pertinent : Christus ut caput Ecclesiæ, Spiritus S. ut cor vivificans, doctrina Ecclesiæ ut veritas immaculata et via salutis a Deo revelata, cultus a Deo institutus, potestas hierarchica et regimen sanctum fidelium, potestas ordinis qua sacramenta conficiuntur et sacrificium missæ offertur, remissio peccatorum et infusio gratiæ per sacramenta, quælibet collatio gratiæ per Spiritum S. in Ecclesia operantem, omne exercitium virtutum ac denique omnis sanctitas membrorum Ecclesiæ.

Sanctitas Ecclesiæ ut est *nota,* duo importat : *primo,* ut Ecclesia sit principium activum sanctitatis eificiendæ, sc. quod Ecclesia habeat talem constitutionem, doctrinam, formam cultus et regiminis ut sit apta et potens ad homines sanctificandos = *vis sanctifica ; secundo,* ut Ecclesia effective, cum successu, de facto, in membris suis fructus sanctitatis afferat, et quidem secundum diversos gradus sanctitatis, maxime tamen heroicæ = *efficacia sanctifica.*

4. In definitione additur quod vis et efficacia sanctifica sit *divinitus comprobata.* Nota enim Ecclesiæ factum con-

1. II. IIae, q. XXIII, a. 9.
2. II. IIae, q. lxxxi, a. 8.

spicuum importat. lamvero sanctitas ex natura sua non est res *perfecte* obvia. Sanctitas enim hominis maxime ab intentione interna dependet, quæ intentio interna quidem sufficienter in operibus extrinsecis apparet, tamen non per modum facti obvii ; deinde sancta vita proprie est ea quæ Deo est placita, id quod iterum per modum facti obvii non constat. Ut igitur sanctitas Ecclesiæ *per modum notæ* habeatur, i. e. ut extrinsecus appareat, ut sit manifesta, ut sit factum obvium, oportet ut accedat testimonium Dei, qui solus corda hominum scrutatur et qui solus testificare potest quid sibi sit placitum :huiusmodi testimonia divina sunt charismata, præcipue miracula et prophetiæ. Itaque nota sanctitatis vim et efficaciam sanctificam Ecclesiæ, i, e. fructus conspicuos sanctitatis, præsertim perfectæ, importat, simul cum testimonio divino per charismata1.

1. Proph'etiæ igitur et miracula sicut ct alia charismata, ut vim notæ vçl testimonii divini habeant, proprie in testimonium sanctitatis vel veritatis Ecclesiæ fleri debent. Secundum se enim charismata, ut præsertim miracula, etiam in ecclesiis a Christo alienis non penitus excluduntur, sed repugnat quod fiant in testimonium veritatis Ecclesiæ falsæ.

De miraculis in ecclesiis haereticis vel schismaticis S. Thomas optime docet (II, II, q. c l x x v iii, a. 2) : « Miraculorum *aliqua* quidem *non* sunt *vera* sed phantastica facta, quibus sc. ludificatur homo ut videatur ei aliquid quod non est. » Atque hoc modo s. Doctor miracula antichristi explicat : II, II, q. c l x x v iii, a. l ad 2. Continuat Angelicus : « *Queadam* vero (miracula) sunt *vera facta,* sed *non vere* habuit *rationem miraculi* quia fiunt virtute aliquarum naturalium causarum : et hæc duo possunt fleri per dæmones. Sed vera miracula non possunt fleri nisi virtute divina. »

De ratione qua Deus miracula facit, s. Doctor docet : « operatur ea Deus ad hominum utilitatem. Et hoc dupliciter : uno quidem modo *ad veritatis prædicatæ confirmationem ;* alio modo *ad demonstrationem sanctitatis* alicuius quam Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis.»

« Primo autem modo miracula possunt fieri per quemcurnque qui veram fidem prædicat et nomen Christi invocat : quod interdum etiam per malos fit... Nonne in nomine tuo prophetavimus ? » Id quod S. Doctor in resp. ad 3 magis determinat : « Miracula semper sunt vera testimonia cius ad quod inducuntur ; unde *a malis, qui falsam doctrinam enuntiant, nunquam fiunt vera miracula ad confirmalionem suæ doctrinae :* quamvis *quandoque* fieri possint ad commendationem *nominis Christi* quod invocant, et in virtute

II. Sententiæ erroneæ de nota sanctitatis. — Protestantes inter Ecclesiam visibilem et invisibilem distinguunt: Ecclesia invisibilis, utpote ex solis iustis vel prædestinatis constituta, erit simpliciter sancta, Ecclesia vero visibilis vel societas et institutum promissionem sanctitatis non habet, immo potest aliquando totaliter corrumpi et impedimentum sanctitatis fieri, ut certe de Ecclesia catholica tenent. Protestantes recentiores plures, quippe qui religionem christianam in sensu tantum naturali intelligunt, sanctitatem Ecclesiæ ad honestatem quandam naturalem reducunt, immo ad profectum culturæ, ut dicunt[1].

Principalis tamen error Protestantium est sententia, per notam sanctitatis omnes peccatores omneque malum in Ecclesia excludi, ita ut Ecclesia « sancta » sit idem ac « numerus sanctorum ».

III. Thesis : Ecclesia Christi erit sancta. — *Prob.* 1. *Ex promissione Christi.* Ecclesia dicitur sancta inquantum habet vim et efficaciam sanctificam eamque divinitus comprobatam. Atqui Christus huiusmodi vim et efficaciam sanctificam Ecclesiæ expresse promisit. Ergo Ecclesia Christi sancta erit.

a) *Christus* expressis verbis *promisit* quod Ecclesia sua fructus uberes sanctitatis afferret. Id quod generaliter iam per *parabolas* Ecclesiæ indicatur, ut per parabolam hominis seminantis semen in agro, per parabolam grani sinapis, sagenæ missæ in mare, thesauri absconditi et inventi, et margaritæ pretiosæ comparatæ (Mt., xiii). Verbum evangelii quidem non apud omnes fructum afferet, immo in ipsa Ecclesia erit zizania, erunt mali, attamen semen evangeli-

sacramentorum quæ exhibent. » Ultimum attendendum est quantum ad eos qui adhuc fidem Christi retinent, ut multi protestantes, et maxime quantum ad schismaticos, qui magna ex parte doctrinam veram et sacramenta valida conservarunt.

Continuat S. Thomas : « Secundo autem modo (i. e. in demonstrationem sanctitatis) non fiunt miracula nisi a sanctis, ad quorum sanctitatem demonstrandam miracula fiunt vel in vita eorum vel etiam post mortem... » Cf. II, II, q. clxxii, a. 4.

1. Turrecremata *in Summa de Ecclesia referi* quosdam novellos doclores Allemannos qui sanctitatem Ecclesiæ in identitate et integritate fidei posuerunt, p. I, c. xn.

cum cadet etiam super terram bonam et dabit fructum, trigesimum, sexagesimum, centesimum : itaque in Ecclesia fructus verbi divini apparebunt. Eadem ratione Christus Ecclesiam arbori bonæ comparat quæ ex fructibus suis cognoscitur (Mt., vii, 17 ; xn, 33). Similiter Christus opus suum igni comparat : « Ignem veni mittere in terram : et quid volo nisi ut accendatur ? » (Lc., xn, 49). In hunc finem Christus orat ad Patrem pro iis qui crediturl sunt in ipsum (Joa., xvii, 17 ss.), pro iis seipsum sanctificat, i. e. in sacrificium mortis offert, « ut sint et ipsi sanctificati in veritate » (Joa., xvii, 19) ; Spiritum Sanctum ipsis promittit (Joa., xiv, 16) ac denique Apostolis exitum fructuosum operis vel missionis promittit : « Ego posui vos ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat » (Joa., xv, 16). Apostoli igitur vel Ecclesia missionem sanctificam Christi vi et efficacia manifesta continuabunt.

6) Christus vim et efficaciam Ecclesiæ suæ *iam in. eius constitutione sufficienter indicat.* Nam doctrina Ecclesiæ Christi erit ipsa doctrina Christi, cultus Ecclesiæ media sanctifica a Christo instituta applicabit (Eucharistia, baptisma, remissio peccatorum), regimen Ecclesiæ erit in virtute et auctoritate Christi et mandata Domini exequetur. Atqui huiusmodi Ecclesia evidenter vi sanctifica pollet nec eius vis sine fructu et effectu manere poterit : tum ex natura sua, tum quia defectus fructus in ipsum Christum recideret, tum denique ex fine institutionis Ecclesiæ, qui est sanctificatio hominum. Itaque animo christiano ipsa Ecclesiæ institutio vim et efficcaciam sanctificam Ecclesiæ Christi manifestat.

c) Specialiter Christus *fructus sanctitatis perfeclæ* sicut et *charismata* promittit : sanctitatem quidem perfectam, proponendo consilia evangelica et beatitudines : quæ propositio et invitatio in Ecclesia Christi certe non erit irrita nec frustra facta ; charismata autem : « Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur : in nomine meo dæmonia eiicient... » (Mc., xvi, 17 s.).

Prob. 2. *Apostoli toto suo opere el scriptis omnibus sanctitatem Ecclesiæ Chrisli prædicant.* Quid enim aliud prædicatio eorum intendit quam sanctitatem Christi in mundo diffundere ? Christianos, licet non omnes, tamen magna

ex parte tanquam sanctiflcatos supponunt atque opera eorum sancta extollunt (cf. e. g. *Rom.,* i, 7 ; ***I** Cor.,* i, 2 ; ***II** Cor.,* ix, 12 ; *Coi.,* i, 22 ; ***I** Tini.,* v, 10). Secundum Apostolos sanctitas Ecclesiæ est *finis a Christo intentus,* qui sc. « dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata » *{Eph.,* v, 25-27), et « qui dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate et *mundaret* sibi *populum acceptabilem, seclalorem bonorum operum* » (Tit ., ii, 14). Ideo Deus dedit apostolos, evangelistas, pastores et doctores « *ad consummationem sanctorum...,* in ædificationem corporis Christi, donec omnes occurramus in virum perfectum... crescamus in illo per omnia qui est caput, Christus » *{Eph.,* iv, '12 ss.). Unde S. Petrus Christianorum exaltat « hæreditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem, conservatam in cœlis » (/, c. i, 4). S. Joannes vero in Apocalypsi (c. vn) ad vivum describit numerum sanctorum in coelum receptorum. Denique Apostoli fructus sanctitatis tanquam proprium Ecclesiæ considerant et tanquam signum veritatis *{Phil.,* ni, 18 s. ; ***II** Tim.,* ni, 1-8 ; ***II** Pet.,* π, 1 ss.).

Quantum ad charismata, constat ex art. 15. Apostoli igitur vim et efficaciam sanctificam tanquam attributum speciale Ecclesiæ statuunt.

Prob. 3. *Veteres et Paires eodem modo ac Apostoli sanciatis nolam indicant.* Non quidem prætendunt, omnes fideles Ecclesiæ esse sanctos, tamen credunt fidem, cultum et potestatem hierarchicam Ecclesiæ esse sanctificam (vis sanctifica), *similiter tenent,* de facto uberes esse in Ecclesia fructus sanctitatis (efficacia sanctifica), miracula in Ecclesia facta comprobant et huiusmodi sanctitatem tanquam Ecclesiæ propriam statuunt sive contra paganos sive contra Judæos sive contra hæreticos et schismaticos.

Iam *Didache* orat : « Recordare, Domine, Ecclesiæ tuæ ut eam liberes ab omni malo eamque *perficias in caritate lua* et collige eam a quatuor ventis, *sanclificaiam* in regnum tuum *quod ei parasti* » (x, 5). Maxime *Apologetæ* ad sanctitatem evidentem Ecclesiæ tanquam signum Veritatis divi-

næ appellant: Justin, *Apol.,* I, xiv; *Dial.* 119; Origenes, *C. Celsum,* in, 29, i, 26. *Ep. ad Diognetum* sanctitatem christianorurn ita pulcherrime describit : « Omnium consensu incredibilem vitæ suæ statum proponunt... Uxores ducunt ut omnes, liberos procreant ; sed non abiciunt fœtus... In carne sunt, sed non secundum carnem vivunt. In terra degunt, sed in cœlo civitatem suam habent. Obsequuntur legibus constitutis et suæ vitæ genere superant leges. Amant omnes et omnes eos persequuntur... Obiurgantur et benedicunt ; contumeliose tractantur et honorem deferunt. Cum bonum faciant, tanquam improbi puniuntur ; dum puniuntur, gaudent, tanquam vivificentur. ludæi adversus eos tanquam alienigenas bellum gerunt et gentiles eos persequuntur ; atque causam inimicitiarum dicere osores nequeunt... Hæc non videntur ab homine fieri ; hæc sunt Dei potentia ; hæc adventus eius sunt argumenta » (c. v et vn, 9). Eodem modo argumentatur *Tertullianus* in *Apologetico. Irenæus* contra Gnosticos specialiter ad martyrium in Ecclesia catholica appellatl. Patres latini rem enuntiant per adagium, in sola Ecclesia esse vim sanctificam adeoque salutem (cf. infra a. 30). . S. *Augustinus,* sicut contra Donatistas catholicitatem Ecclesiæ premit, ita contra Manichæos sanctitatem ipsius : ut in toto opere : « De moribus Ecclesiæ catholicæ ». Quoad miracula et charismata in Ecclesia videsis *Irenæum*[1] et S. Augustinum[3]. Tamen Augustinus magis Ecclesiam ipsam tanquam « prodigium magnum » considerari vult.

IV. Conclusio. — Sanctitatis igitur nota præcipue in eo consistit quod Deus fructus sanctitatis *in* sua Ecclesia et *per* suam Ecclesiam efficit. Id quod tamen non sic intelligendum est quod misericordia et gratia Dei in aiiis Ecclesiis nullo modo operetur vel nullas effectus supernaturales producat[4], sed ita intelligendum est quod Deus in Ecclesia sua vel vera ordinarie, manifeste et copiose

1. *Ado. hær.,* in, xxxm, 9.
2. *Ado. hær.,* π, 31.
3. *De ciu. Dei,* 22, 8 ; ep. LXXVIII, 3 ; Serai. CCCXIX, c. vi,6 S.
4. Cf. prop. damn. Jansenist. Denz., 1295.

fructus sanctitatis efficiat, ita ut vera Ecclesia Christi per modum facti obvii vi et efficacia sanctifica polleat, « Domino coopérante et sermonem confirmante, sequentibus siguis » (Mc., xvi, 20), ut Ecclesia sit instrumentum manifestum operationis sanctificæ Dei. Totum complectitur Cone. Vatie., attribuendo Ecclesiæ « eximiam sanctitatem et *inexhaustam in omnibus bonis fœcunditalem*[1] ».

1. Denz., 1794.

ARTICULUS VIGESIMUS PRIMUS

De nota catholicitatis Ecclesiæ

1. Definitio notæ catholicitatis. — Catholicitatis nota •est *proprietas (vel charisma) Ecclesiæ qua una eademque exisiens conspicue numerosa per lolum orbem dimanat.*

Explic. 1. Vox « Ecclesia catholica » primo occurrit in ep. Ignatii Ant. ad Smyrn. vin, 2 : « Ubi fuerit Christus lesus, ibi catholica est ecclesia » ; similiter in symbolo apostolico secundum formam ecclesiæ alexandrinæ et hierosolymilanæ, in inscriptione epistulæ ecclesiæ Smyrn. de Martyrio S. Polycarpi. In omnibus huiusmodi locis cognomen « Catholica » tanquam signum distinctivum Ecclesiæ veræ proponitur.

2. « Catholicum » nomen græcum est (χάδ* ὀλόν) et sonat latine universale vel secundum totum. Inde Ecclesia secundum diversam rationem catholica dici potest. Primo quoad *locum,* quia est toto orbe diffusa. Secundo quoad *tempus,* quia nunquam defectura est. Tertio quantum *ad omnem gentem,* inquantum ex omni tribu, natione et lingua colligitur. Quarto quantum ad *conditiones hominum,* quia nullus excluditur ab Ecclesia, neque dominus, neque servus, neque sapiens neque idiota. Quinto quantum *ad doctrinam,* inquantum omnem doctrinam Christi possidet et sine exceptione veram. Sexto quoad *media salutis* inquantum remedia contra omnes defectus spirituales omnium hominum habet et tota passio Christi in Ecclesia operatur. Septimo denique quoad *obligationem et necessitatem* amplectendi Ecclesiam, quia Ecclesia est omnibus via necessaria ad salutem1.

3. Si catholicitas ut *proprietas* intrinseca Ecclesiæ consideratur, omnia prædicta ad illam pertinent ; catholicitas tamen ut *nola* strictius dicitur. Cum enim nota dicat proprietatem in rerum factis visibilem, immo conspicuam,

1. Turrecrunata, *Summa de Ecclesia,* p. I, c. xm.

sola diffusio Ecclesiæ per orbem terrarum notam constituere potest. Quod enim aliqua Ecclesia habeat universam Christi doctrinam, quod in ea sint omnia media salutis, etc., non est factum visibile.

3. Unde nota catholicitatis proprie definitur, quod Ecclesia, una existens, sit per totum orbem diffusa[1], et quidem conspicue numerosa. Nota igitur catholicitatis notam unitatis præsupponit vel includit, tamen aliquid superaddit, sc. quod Christi Ecclesia non sit tantum una, sed quod habeat insuper vim talem vitalem qua per totum orbem terrarum dimanet ac diffundatur : et quidem conspicue numerosa, ita ut omnes conditiones notarum habeantur[2].

II. Sententiae contrariae. — *Donastistæ* notam catholicitatis ad universalitatem doctrinæ et mediorum reducebant quam in sola Ecclesia africana, sc. donatistica, salvatam censuerunt. Augustinus ipsis merito opponit : « Numquid Christus pro solis Afris mortuus est ? » *Quesnel* catholicitatem Ecclesiæ militantis cum totalitate regni Christi, prout illud simul Ecclesiam triumphantem comprehendit, confundit ; inde dicit : « Nota Ecclesiæ christanæ est quod sit catholica, comprehendens et omnes angelos cæli et omnes electos et iustos terræ et omnium sæculorum[3]. »

Protestantes recentiores, necessitatem catholicitatis Ecclesiæ negantes, tenent, Ecclesiam catholicam in initio idem sonasse ac Ecclesiam veram, ac postmodum idem ac Ecclesiam « maiorem », sc. per oppositionem ad diversas ecclesias schisinaticas vel etiam hæreticas, præsertim in oppositione ad ecclesias gnosticas. De reliquo protestantes

1. De *modo* diffusionis vide infra, n. iv.

2. Unde in nota catholicitatis unitas Ecclesiæ locum generis habet, diffusio per orbem vero locum differentiæ specificæ.

3. Prop. 72, Denz., 1422, cf. 1423 ss. — Augustinus quidem hoc sensu de tota vel universa Ecclesia loquitur, intelligens sub nomine Ecclesiæ (in Symbolo) totam domum, templum et civitatem Dei, sive in cœlis sive in terra. Unde scribit : « Quæ (sc. Ecclesia) tota hic (sc. in Symbolo) accipienda est non solum ex parte qua peregrinatur in terris..., verum etiam ex illa quæ in cœlis est semper. » Enchir., c. 1 v i.

communiter catho'icitatem Ecclesiæ cum unitate confunduntl.

Alii recentiores catholicitatem ita intelligunt quod Ecclesia Christi *omnia complectatur,* sive omnes diversitates fidei christianæ sive omnes doctrinas religionum *(Syncretismus')*2 ita ut sit « complexio oppositorum3 », sive omnes aspirationes nationum et hominum45 sive omnes « realitatcs® » : quæ tamen cuncta ad catholicitatem Ecclesiæ minime pertinent.

III. Thesis : Ecclesia Christi erit catholica. — *Prob.* 1° *Christus expresse universalem diffusionem Ecclesiæ promisit.* — Christus Apostolis expresse mandavit ut evangelium non solum Judæis (sicut ipse fecerat) sed et omnibus gentibus prædicarent : « Docete omnes gentes » (Mt., xxviii, 19) et simul promissionem assistentiæ suæ tanquam pignus executionis adiunxit : « Et ego ero vobiscum usque ad consummationem sæculi » (l. c. v, 20). Similiter et post resurrectionem Apostolis dicit : « Eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria et usque ad ultimum terræ » *(Act.,* i, 8). Etenim « praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus : et tunc veniet consummatio » (Mt., xxiv, 14).

Regnum enim Christi non erit limitatum ad ludæos (sicut erat Synagoga), sed omnes gentes complectetur, uti iam prophetæ praedixerant (Is., n, 2 ; lx, 4-13 ; Jer., m, 17 ; Ezech., xvii, 22-24).

Inde « venient ab oriente et occidente et aquilone et austro et accumbent in regno Dei » (Lc., xin, 29). Itaque Christus, licet personaliter solis Judæis prædicasset, sicut

1. Cf. Loors, *Dogmengeschichte,* § 19, 1 ; R. Seeberg, *Dogmengeschichle,* 14, § 8 ; Harnack, *Dogmengeschichte,* I3, 371 ss.
2. Ita præsertim Harnack, l. c.
3. Cf. F. Heiler, *Der Katholizismus,* München, 1923, 595-621.
4. Ita præsertim Fr. Forester, in variis suis scriptis : ex quo conceptu falso vario modo Ecclesiam impugnat eiusque proximum annuntiat interitum.
5. I. P. Steffes, *Der Universalismus der Kalh. Menschheit* n *Kirche und Wahbheit,* herausg. von E. Michel, lena, 1923, p. 99-1l I.

et Apostolos primo ad Judæos tantum miserat (Mt., xv, 24), tamen post hanc præparationem et ante ascensum sum in cælos Apostolos ad omnes gentes mittit ut regnum coelorum ubique diffundatur. De reliquo universalitas regni Christi, i. e. Ecclesiæ, iam ex natura et fine Ecclesiæ sufficienter patet, quippe quia Ecclesia est instituta ut missionem Christi salvificam — quæ est universalis — continuaret.

Simul Christus *modum* indicat quo Ecclesia sua diffundetur, ut per parabolas seminantis, fermenti et per parabolam grani sinapis « quod accipiens homo seminavit in agro suo, quod minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creverit, maius est omnibus oleribus et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant et habitent in ramis eius ». Itaque Ecclesia Christi successive quidem, et effective per orbem terrarum diffundetur.

Prob. 2. *Apostoli* primo *factis* catholicitatem Ecclesiæ indicant. Etenim accepto mandato Domini : « Euntes in mundum universum, predicate evangelium omni creatura; » (Mc., xvi, 15), « illi profecti prædicaverunt ubique, Domino coopérante et sermonem confirmante sequentibus signis » (I. c. v, 16). Specialiter Paulus universalitatem Ecclesiæ edocet, utpote tanquam prædicator et doctor gentium » (*I Tim.,* n, 7 ; *II Tim.,* i, 11).

Doctrinam cat holi< itat is praesertim Paulus indicat et explicat, proclamando sacramentum magnum vocationis gentium, i. c. non solum .Imheos sed et gentes ad regnum Christi esse vocatas *(Eph.,* n, 11-m, 21), « gentes esse coha-redes el concorporales et eomparticipes promissionis in Christo .lesu per Evangelium » *(Eph.,* m, 6), dum antea erant « sine Christo, alienati a conversatione Isræl, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes et sine Deo in hoc mundo » *(Eph.,* n, 12). Unde in ep. ad *Boni.* gentes oleastro in bonam olivam inserto comparantur (xi, 24). Ita « instil ia Dei manifestata est...., iustitia autem Dei per fidem .lesu Christi *in omnes et super omnes* qui credunt in eum : non enim est distinctio » *(Boni.,* 322 s.). Etenim Evangelium « virtus Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum et Græco » *(Bonr.,* i, 16).

S. Petrus, licet « Evangelium preputii » sibi concreditum

haberet, tamen cum Paulo communicat, gentes in Ecclesiam recipit *{Act.,* x, 34), utpote revelatione divina instructus *{Aci.,* x, 11-16 ; xi, 5-18). Apostolus *Johannes* in Apocalypsi *effectum* catholicitatis Ecclesiæ indicat, scribendo : « Post hæc (sc. diversa millia ex omnibus tribubus Israel) vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, *ex omnibus gentibus el tribubus el populis el linguis,* stantes ante thronum et in conspectu agni, amicti stolis albis et palmæ in manibus eorum » *{Apoc.,* vu, 9).

Prob. 3. *Veteres* diversimode catholicitatein Ecclesiæ edocent. Ante omnia elucet *facium* generale historicum quod Ecclesia priorum sæculorum, sequendo exemplum Apostolorum, missionaries in omnes partes mundi misit, et mirabili quadam celeritate gentes non tantum imperii Romani sed et barbaræ ad fidem Ecclesiæ convcrsæ sunt[1] : in quo facto idea catholicitatis Ecclesiæ quam maxime apparet. *Doctrina* tamen determinata de natura et conditionibus diffusionis generalis Ecclesiæ in primo tempore nondum expectanda est, sed tantum conscientia iuris et fiducia diffusionis crescentis. Progrediente tamen tempore, sicut Ecclesia de facto magis diffundebatur, ita et idea catholicitatis magis est explicata, præsertim exortis hæresibus.

In particulari *Didache* Ecclesiam iam generaliter diffusam considerat. .Proponitur enim oratio : « Collige eam (i. e. Ecclesiam) a quatuor ventis, sanctificatam, in regnum tuum » (x, 5) et tenet in Ecclesia iam impleri vaticinium Malachiæ (i, 11) : « In omni loco offeratur mihi sacrificium mundum » (xiv, 3)[2]. In *ep. Clementis* ad Corinth, idea catholicitatis Ecclesia sub forma missionis generalis apparet. Scribit enim : « Apostoli... acceptis mandatis... cum certa Spiritus S. fiducia... per regiones et urbes verbum prædicantes... constituerunt episcopos et diaconos eorum qui crediturі erant... ac deinceps ordinationem dederunt, ut cum illi decessissent, ministerium eorum alii exciperent » (c. xlii etxLiv). Ita Clemens, modo concreto, diffusionem crescentem Ecclesiæ enuntiat. Similiter *Ignatius Antioch.*

1. Cf. Harnack, *Mission and Ausbreitung des Chrislenlums.*
2. Cf. Justinus, *Dial.,* c. cxvn.

non tantum expresse dicit : « Ubi comparuerit episcopus, ilii et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est Ecclesia » *(Smyrn.,* vm, 2), sed iam nominat » episcopos per tractus terra constitutos » *(Eph.,* m, 2). Epistula quæ dicitur *II. Clementis,* vaticinium Isaiæ (l iv, 1) adducit : « Lætera sterilis... quoniam multi filii desertæ magis quam eius quæ habet virum », idque ad ecclesiam ex gentibus applicat, dicendo : « Quod dixit : Lætaresterilis..., *nos* indicat ; sterilis enim erat ecclesia nostra, antequam ei dati essent filii... Quod vero dixit : Quia multi filii desertæ... id dixit, quoniam populus noster desertus esse videbatur et Deo orbatus, nunc vero, cum credimus, plures facti sumus iis qui Deum habere censebantur « (c. u). Ita diffusio Ecclesiæ tanquam impletio prophetiæ divinæ proponitur. Modo ingenioso idea catholicitatis in ep. *ad Diognetum* exprimitur. Prius christiani ut « incolentes civitates et græcas et barbaras » indicantur, deinde cum anima mundi comparantur : « Quod est in corpore anima, hoc sunt in mundo christiani. Dispersa est per omnia corporis membra anima : et christiani per mundi civitates. Habitat quidem in corpore anima, sed non est a corpore : et christiani in mundo habitant, sed non sunt e mundo... Inclusa quidem est anima corpore, sed ipsa continet corpus : et christiani del inentur quidem in mundo, sed ipsi continent mtmdum » (e, vi,) Itaque huiusmodi veteres catholicitatem tanquam diliu .ionem universalem Ecclesiæ Christi et ut factam ex volunlale et cum auxilio Dei considerant.

‹ iri a liuem sa'c. n Patres magis *unitatem* in multitudine, . m Ecclesia iam dilïusa, considerant atque sic propius ad i onccpl um expressum catholicitatis accedunt. Non est quidem negandum, discrimen cum doctrina gnostica multum ad hum profectum contulisse, sc. ad conceptum catholicitatis magis determinandum, non vero immutandum. Hac ratione *S. Iremeus,* contra Gnosticos argumentando, in unitate fidei Ecclesiæ instat quin tamen omittat ostendere unitatem in maxima diffusione1, simul assignando causam unitatis, sc. Spiritum S. (1. c. m, 24).

Similiter *Cyprianus,* scribendo « De catholicæ Ecclesiæ

1. *Ado. hæer.,* i, 10, 2; in, 11, 8.

unitate » : « Ecclesia una est, ait, quæ in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur. Sic Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit : unum tamen lumen est quod ubique diffunditur nec unitas corporis separatur... una mater fecunditatis successibus copiosa » (c. v).

Sæc. quarto denique catholicitas iam ut proprietas distincta Ecclesiæ dignoscitur et cognoscitur, sicut et Cone. Nicænum Ecclesiam veram catholicam nominat (Denz., 53). Occasio pro Occidentalibus praecipue schisma donatistarum fuit. Ita *Optatus*[1] donatistis opponit, eos in insulis et provinciis innumerabilibus, ubi ecclesia est, non esse et deinde quærit : « Ubi ergo erit *proprietas catholici nominis,* cum inde dicta sit catholica, quod sit rationabilis et *ubique diffusa* ? » *Padanus* (ep. I ad Sympron.) pulchrum exhibet dictum : « Christianus mihi est nomen, catholicus vero cognomen ». Id quod sic explicat : « Sub Apostolis, inquies, nemo catholicus vocabatur. Esto sic fuerit... Cum post Apostolos hæreses extitissent, diversisque nominibus columbam Dei atque reginam lacerare, per partes et scindere niterentur, nonne cognomen suum plebs apostolica postulabat quo incorrupti populi distingueret unitatem ? »

Maxime S. *Augustinus* catholicitatem tanquam signum distinctivum Ecclesiæ veræ defendit. Contra Donatistas qui Ecclesiam catholicam dicebant « non ex totius orbis communione, sed ex observatione præceptorum omnium divinorum atque omnium sacramentorum[2] », tenet : « (Ecclesia) catholica dicitur ex eo quia universaliter perfecta est et in nullo claudicat et per totum orbem diffusa est[3] ». Etenim » καδολικὴ græce appellatur quod per totum orbem terrarum diffunditur[4] ». Hæc catholicitas est ex voluntate Dei ; nam « prope omnis pagina (S. Scripturæ) nihil aliud sonat quam Christum et Ecclesiam toto orbe diffusam[5] »,

1. *De schismate donatislarum,* n, 1.
2. Ep. XCIII, c. vu, 23.
3. De gen. ad Jit., i, 4.
4. C. Gaud, c. h, 2.
5. *Serm. XL VI,* c. xiv, 23.

« per omnes terras eam (sc. Ecclesiam) Deus esse voluit et prædixit[1] ».

Hæc diffusio generalis est signum distinctivum veræ Ecclesiæ Christi, unde nomine proprio « catholica » vocatur. Inde « extat ecclesia cunctis clara atque conspicua, quippe civitas quæ abscondi non potest super montem constituta quam dominatur Christus a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terræ[2] » Itaque « tenet ipsum catholicæ nomen quod non sine causa inter tam multas hæreses ista Ecclesia sola obtinuit[3] »

IV. Quo sensu diffusio per orbem intelligenda sit. — Ex argumentis pro universalitate Ecclesiæ simul apparet, quo sensu diffusio Ecclesiæ per orbem intelligenda sit. Huiusmodi diffusio erit : *a)* tum *iuris* tum *facli :* iuris quidem, inquantum Ecclesia Christi habet missionem adeoque ius divinum, immo obligationem diffusionis per totum orbem ; facti, inquantum ex vi et efficacia promissionis Christi Ecclesia realiter per orbem terrarum emanat.

b) Diffusio universalis non est intelligenda in sensu physico sed *morali :* inquantum sc. Ecclesia non necessario physice omnem terram occupabit, sed ut *socielas* ubique constituta erit, sc. per dioeceses, parochias vel similem organisationem : sicut ordines religiosi ibi esse dicuntur, ubi conventus vel provincias habent.

c) Ulterius hæc. diffusio erit *relalioa :* relativa sc. quoad tempus, ut sc. Ecclesia non statim post suam institutionem sed *paulatim.* per totum orbem emanet : ita enim Christus in parabolis de grano sinapis, de semine, de fermento diffusionem regni coelorum prædixit.

d) Ecclesia; diffusio tamen erit *simulianea,* i. e. Ecclesia cuiuscunque temporis habebit diffusionem universalem correspondentem tempori et conditionibus suis. Étenim promissio catholicitatis facta est Ecclesiæ Christi cuiuscumque temporis.

1. Ep. XLIX, 3.
2. C. Gaud, n, 36.
3. C. ep. fund., 4, 5. — Cf. E. Commer, *Die Katholizilül nach deni hl. Augustin,* 1873.

e) Denique diffusio Ecclesiæ oportet esse *conspicua,* i. e. cum magno quodam numero fidelium. Id enim sequitur tum ex ratione notæ tum ex promissione Christi quam sc. non parce sed large impleri convenit. Numerus conspicuus postulatur tum absolute, talis sc. multitudo ut Ecclesia cum quadam maiestate et dignitate numerica in mundo effulgeat, tum relative ad alias ecclesias nomen christianuin gerentes. Utrum tamen numerus catholicorum semper maior foret quam hæreticqrum et schismaticorum, vix determinari poterit, saltem ex verbis Christi. Sufficere videtur talis numerus catholicorum qui tum absolute quam relative (ad singulas ecclesias separatas) existentiam universalem Ecclesiæ catholicæ luculenter et conspicue demonstrat. Inde vix approbari poterit sententia *Bellarmini* (De conc. iv, 7) et M. *Cani* (De locis theol. iv, 6 ad 13), qui tenent, Ecclesiam Christi aliquando ad unam provinciam reduci posse, dum tamen antea magnam habuerit diffusionem.

V. Conclusio. — Itaque catholicitas Ecclesiæ vim quandam et efficaciam expansivam, eamque notabilem, conspicuam, atque vitalem, importat, secundum tamen conditionem socialem Ecclesiæ et habitu respectu ad conditiones temporum et hominum[1].

Ouo sensu *Conc. Valic.* Ecclesiæ « admirabilem propagationem et catholicam unitatem » tanquam motivum credibilitatis prædicat[2]. »

1. Ex iiac determinatione catholicilatis simul obiectiones l'i otestantiuin cessant. Videsis Dorsch, *Instil, theol. fund.,* p. 489-493 ; 514-516.

2. Denz., 1794.

ARTICULUS VIGESIMUS SECUNDUS

De nota apostolicltatis Ecclesiæ

I. *Definitio.* —Nota apostolicitatis est charisma et proprietas Ecclesiæ qua per legitimam, publicam et nunquam interruptam pastorum ab Apostolis successionem in identitate fidei, cultus et regiminis continuatur.

Explic. — Veteres, ut Tertullianus *(De præscripl. hæret.)* et Irenaeus illas ecclesias apostolicas vocant quae ab aliquo Apostolo immediate fundatae fuerunt : est apostolicitas quaedam historica, et quidem ecclesiarum particularium. Nobis autem quaestio est de apostolicitate Ecclesiæ *universalis.*

Apostolicitas generaliter accepta *identitatem cum Ecclesia Apostolorum* importat.

Quæ identitas est duplex : materialis et formali» : *materialis* inquantum Ecclesia eandem doctrinam, eundem cultum ac eandem formam regiminis ac ecclesia apostolorum habet ; *formalis* inquantum Ecclesia eadem numerice potestate administratur et regitur ac ecclesia Apostolorum. Ad apostolicital.em Ecclesia; utraque identitas simul requiritur, maxime tamen identitas formalis. Identitas formalis, mortuis Apostolis, adesse nequit, nisi per *successionem,* ut patet : qua· quidem successio necessario publica, legitima, ininterrupta esse oportet : successio *legitima,* quia iniusta vel invalida usurpatio loci successionem non constituit ; successio *publica,* publicitat e sc. iuris et facti, quia de successione societal is et potestatis publicae agitur ; successio *ininterrupta,* quia per interruptionem successio posterior impossibilis redditur.

Quodsi apostolicitas ul, *proprietas* Ecclesiæ consideratur, magis *identitatem* fidei, cultus, regiminis et potestatis cum Ecclesia Apostolorum importat ; quodsi vero apostolicitas ut *nota* consideratur, proprie *continuationem* Ecclesiæ *per*

successionem legitimam significat[1]; quodsi consideratur ut charisma, maxime continuationem non interruptam Ecclesiæ Apostolorum dicit.

II. Sententiæ contrariae. — *Gnostici,* necessitatem doctrinæ apostolicæ admittentes, distinguebant inter doctrinam Apostolorum communem, omnibus communicatam, et doctrinam reconditam, Gnosticis tantum traditam vel ab ipsis saltem profundius et altius intellectam.

Monlanislæ præter doctrinam Apostolorum admittebant « novam Prophetiam », saltem quoad « disciplinam » (Tertull., *De pœnil.).*

Abbas *loachirn de Floris* statum quondam novum Ecclesiæ futurum prætendebat, secundum intellectum spiritualem doctrinæ apostolicæ quem « evangelium æternum » appellavit. —· *Protestantes veteres* et sic dicti orthodoxi necessitatem identitatis materialis cum Ecclesia apostolica admittunt, negant tamen necessitatem identitatis formalis, utpote negantes originem divinam potestatis hierarchicæ in Ecclesiæ vel negantes necessitatem continuationis potestatis apostolicæ. in Ecclesia Christi et admittentes tantum potestatem collatam a communitate religiosa. *Anglicani,* ut præsertim *Puseytæ,* necessitatem successionis admittunt, at conditiones successionis legitimæ negligunt, adeoque sufficientiam successionis cuiusdam pure materialis prætendunt. *Protestantes liberales* et rationalistic! identitatis necessitatem cum Ecclesia Apostolorum simpliciter negant, immo docent iam Ecclesiam Apostolorum non fuisse identicam cum Ecclesia Christi : id quod etiam *Modernislæ* quam maxime affirmant.

III. Thesis: Ecclesia Christi erit apostolica, i, e. identica cum Ecclesia Apostolorum per legitimam et publicam successionem. — *Prob.* 1. *Ex verbis Christi.* — Christus Ecclesiam suam expressis verbis super Apostolos, et praecipue super Petrum fundavit, dicendo : « Super hanc petram

I. Inde in definitione notæ apostolicitatis pars materialis est : continuatio in identitate, pars vero formalis : per legitimam succssionem. Alii quidem theologi contrarium tenent.

ædificabo, ecclesiam meam » (Mτ., χνι, 18) et : « Euntes docete omnes gentes... et ego ero vobiscum usque ad consummationem sæculi » (Mτ., xxviii, 19 s.). Atqui Ecclesia Christi, mortuis Apostolis, non est fundata super Apostolos nisi inquantum Ecclesia Apostolorum continuatur, ut identica et per legitimam successionem : id quod in verbis Christi vel expresse continetur vel ex natura rei significatæ et ex communi modo loquendi ad ea sequitur. Ergo Ecclesia Christi erit apostolica.

Prob. 2. *Ex ipsa definitione apostolicilatis Ecclesiæ Christi.* — Ecclesia dicitur apostolica inquantum est identica cum ecclesia Apostolorum tum materialiter turn formaliter, et quidem per legitimam et publicam successionem. Atqui Ecclesia Christi ex natura sua erit huiusmodi. Ergo erit apostolica.

Prob. minor, per partes. Ecclesia Christi erit *materialiter identica* cum Ecclesia Apostolorum, cum Ecclesia Christi necessario habebit eandem fidem, eundem cultum ac eandem formam regiminis ac Ecclesia Apostolorum, sc. illam fidem, eum cultum ac illud regimen quod Christus ipse Ecclesiæ Apostolorum determinaverit.

b) Similiter Ecclesia Christi semper erit *formaliter identica* cum Ecclesia Apostolorum, i. e. eadem potestate pollet, eadem potestate sacramenta administrabit ac fideles gubernabit : Ecclesia enim Christi nulla alia potestate regitur msi ea quam Christus semel Apostolis contulit.

c) Ecclesia Christi erit identica cum Ecclesia Apostolorum *per tciiilimam successionem,* quia aliter continuari non pol est.

Inde exdudilur *missio extraordinaria,* talis sc. qua constitutio primitiva Ecclesiæ mutaretur vel alius quam legitimus successor Apostolorum potestatem regendæ Ecclesiæ acciperet. Primo enim Christus nihil de tali missione speciali enuntiavit sed e contra prædixit Ecclesiam suam manere talem qualem ipse eam instituerat, usque ad consummationem temporum. Similiter Christus ordinavit ut omnes gentes per potestatem Apostolis collatam regerentur : id quod non esset, si quidam aliquando immediate a Deo novam potestatem acciperent. Denique huiusmodi missio extraordinaria esset stricte probanda, quod est impossibile.

Prob. 3. *Ex unitate Ecclesiæ Christi.*— Christus Ecclesiam numerice tantum unam instituit. Atqui unitas Ecclesiæ apostolicitatem includit. *Prob.* Quodsi Ecclesia Christi aliquando materialiter esset diversa ab Ecclesia Apostolorum, iam duplex haberetur Ecclesia Christi, una sc. Apostolorum, alia postmodum existens. Similiter, si Ecclesia Christi aliquando alia potestate quam potestate, quæ Apostolis fuerit collata, regeretur, iterum alia Ecclesia esset : identitas enim potestatis, quam maxime ad unitatem numericam societatis pertinet.

Prob. 4. *Ex parte Apostolorum.* — Apostoli una ex parte in potestate sibi collata ecclesias regunt ac novas instituunt, alia ex parte alios in rectores Ecclesiarum instituunt atque ita continuationem ecclesiæ per legitimam successionem indicant (cf. *Act.,* xiv, 22; *Tit.,* i, 5 ss. ; *I Tim.,* m, 1 ss.j.

Prob. 5. *Veteres* prioris temporis *jactum successionis legilimæ* premunt indeque necessitatem obædientiæ erga rectores Ecclesiæ deducunt atque hoc modo successionem legitimam tanquam signum veræ Ecclesiæ proponunt. Ita *Clems Rom.* in celebri textu iam supra indicato, et *Ignatius* Antioch, in omnibus suis epistulis, excepta ep. ad Romanos. Scriptores antignostici veritatem fidei ca-. tholicæ, i. e. symboli fidei, ex fide ecclesiarum apostolicarum probant.' Ita *Tertullianus* principium præscriptionis statuit : « alios non esse recipiendos prædicatores quam Christus instituit » i. e. Apostolos. « Nec aliis, ait, videtur revelasse filius quam Apostolis quos misit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, i. e. quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam non aliter probari debere nisi per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli condiderunt... Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam quæ cum illis ecclesiis aposl «dicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandum; omnem vero doctrinam de mendacio praiudicandam quæ sapiat contra veritatem ecclesiarum et Apostolorum Christi et Deil. » Simili quodam modo •S'. *Irenaeus* argumentatur. Supponendo enim quod per holos Apostolos veritatem salutis cognovimus, tenet, « tra-

l /)(I *praescr.*

ditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni ecclesia adest perspicere » quia : a) omnis Ecclesia particularis eandem traditionem apostolicam habet, et *b) v* habemus ennumerare eos qui ab apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque nos qui nihil tale docuerunt quale ab his (sc. Gnosticis) deliratur », c) quia Polycarpus, discipulus Apostolorum id manifestat[1]. Quiquid est de modo argumentandi Tertulliani et Irenæi (utrum sc. argumentatio sit dogmatica vel historica), uterque evidenter tanquam concessum supponit, fidem cuiuscunque veræ ecclesiæ debere esse identicam cum fide apostolorum (identitas materialis) et per legitimam ecclesiarum vel episcoporum successionem ab Apostolis cognosci posse.

Simul Irenæus rationem intrinsecam apostolicitatis assignat scribendo : « Iis qui in Ecclesia sunt presbyteris obædire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus ; qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum Patris placitum acceperunt ; reliquos vero qui absistunt a principali successione et quocumque loco colligunt, suspectos habere[2] ».

Origenes similiter successionem apostolicam tanquam critérium veritatis adducit, scribens : « Cum multi sint qui se putant sentire quæ Christi sunt et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant, *servetur vero ecclesiastica prædicalio per successionis ordinent ab Apostolis tradita* et usque ad præsens in Ecclesiis permanens, illa sola credenda est veritas quæ in nullo ab ecclesias!ica et apostolica discordat traditione[3]. »

Cyprianus (sicut communiter doctores latini) in legitima episcoporum successione insistit : « Per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et Ecclesiæ ratio decurrit ut Ecclesia super episcopos constituatur et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositps gubernetur[4]. »

S. *Augustinus* attributum « ecclesiæ apostolicæ », βε-

1. *Adv. hær.,* in, 3, 1-4.
2. *Adv. hær.,* iv, 26, 2.
3. *De principiis,* praei'., η. 2.

eundum modum loquendi antiquorum et præcipue Tertulliani, ecclesiis particularibus, immediate ab Apostolis fundatis, maxime ecclesiæ Romanæ reservat. Attamen continuationem Ecclesiæ universalis per successionem aperte docet :« Ecclesia (est) ab ipso Christo inchoata et per Apostolos provecta, certa successionum serie usque ad hæc tempora toto terrarum orbe dilatata[1]. » E contra videt « multos præcisos a radice christianæ societatis quæ per sedes Apostolorum certa per orbem propagatione diffunditur[2]. »

Expresse fidem vocat apostolicam : « Fides catholica eademque apostolica[3] » ; « catholica atque apostolica regula fidei[4] ». Maxime necessitatem unionis cum Ecclesia Romana premit « in qua semper apostolicæ cathedræ viguit principatus[5] ».

Denique sententia veterum de necessitate successionis apostolicæ apparet *via facti* in praxi totius ecclesiæ veteris quæ illos tantum tanquam pastores legitimos admittebat qui per ordinationem et electionem legitimam pastoribus legitimis successerunt : id quod maxime ex historia schismatum constat.

IV. Conclusio. — Nota igitur apostolicitatis maxime successionem ininterruptam Ecclesiæ a tempore Apostolorum importat : quæ successio continua, inquantum *notam* constituit, proprie *Ecclesiam vel societatem* respicit ac proinde ordinis publici et notorii esse debet, ut conditio notæ requirit. *Concil. Vatie6,* notam apostolicitatis tanquam « *invictam stabilitatem* » proclamat, stabilitatem sc. in ordine Ecclesiæ vel societatis.

V. De ordine et connexione quatuor naturum. — *a) Per respectum ad Ecclesiam,* nota unitatis est maxime fundamentalis et aliænotæ aliquid super ipsam superaddunt. Nota

1. C. Faust., xxviii, 2.
2. *Ep. CCXXXII,* 3.
3. C. Faust., xxiii, 5.
4. *De Consensu evang.,* I, ı, I.
5. *Ep. XLIII,* 3, 7.
6. Denz., 1794.

enim unitatis Ecclesiam Christi proprie ut unam societatem et unicam viam salutis ostendit ; nota catholicitatis hoc superaddit quod illa Christi Ecclesia per omnes partes terræ emanabit ; nota sanctitatis superaddit quod illa una et universalis Ecclesia in terra fructus uberes sanctitatis afferet ; nota denique apostolicitatis adiungit quod illa societas catholica et sanctifica per successionem legitimam continuabitur.

b) Sub ratione nolæ, unitas est maxime manifesta et obvia adeoque maxime nota ; sanctitas Ecclesiam maxime tanquam instituai divinum et instrumentum salutiferum demonstrat ; catholicitas vim et efficaciam divinam Ecclesiæ manifestat ; apostolicitas denique originem divinam Ecclesiæ indicat.

c) Quantum ad *cognitionem notæ,* nota unitatis facillime cognosci potest, utpote quia agitur de facto sociali, quasi ante oculos posito,· unde etiam sub hac ratione primo loco ponitur ; nota sanctitatis iam difficilius cognoscitur, utpote quia factum magis spirituale importat, sive sanctitatem ipsam sive charismata, ut testimonia divina sanctitatis ; nota catholicitatis tertio loco ponitur, quia unitatem subaudit atque variationes relativas admittit, utpote successu temporis crescens, imino aliquando diminutionem admittens ; nota apostolicitatis ultimo loco ponitur, quia eius cognitio conceptum quondam iuridicum, sc. successionis, supponit, ita ut minus per modum facti obvii manifesta sit[1].

1. Alium ordinem notarum et proprietatum A. de POULPIGUET *(L'Église catholique,* Paris, 1923) ingeniose proponit. Ct. simul notes criticas P. A. Gardeil, in Kevue des sc· ph. et théoi., 1923, 341-343.

SECTIO QUARTA

De Ecclesia cui notie veræ Ecclesiæ Christi competunt

Expositis notis quæ ex voluntate et promissione Christi Ecclesiæ suæ necessario competunt, ulterius quæritur qua ratione huiusmodi notæ Ecclesiæ catholicæ conveniant ac in aliis ecclesiis deficiant. Huiusmodi inquisitio non tantum est apologetica, ut sc. ostendatur et defendatur veritas Ecclesiæ catholicæ, sed simul *naturam concretam Ecclesiæ catholicæ magis manifestabit.* Unde in quatuor articulis ostendemus, notas Ecclesiæ Christi convenire Ecclesiæ catholico-romanæ, in duobus sequentibus articulis, eas in ecclesiis protestanticis et schismaticis deesse[1].

ARTICULUS VIGESIMUS TERTIUS

Thesis : Unitatis nota Ecclesiæ catholicæ competit

1. Prob. — 1. Est factum publicum, generaliter admissum ac recognitum, Ecclesiam Romanam, *generaliter* loquendo, esse *unam societatem vel Ecclesiam :* ita enim omnes de Ecclesia Romana loquuntur, sc. ut de una societate ab aliis distincta.

2. Similiter est factum publicum, Ecclesiam Romanam esse unam, unitate fidei, cultus et regiminis.

a) *Unitas fidei* in Ecclesia Romana patet tum ex unitate symbolorum, tum ex unitate regulæ fidei, i. e. ex auctoritate infallibili Romani Pontificis in definiendis dogmatibus, in Ecclesia catholica ab omnibus admissa, Ium denique ex facto publico quod in Ecclesia eadem dog-

[1] Cum facta quæ in articulis sequentibus adducentur, sint luctu publica et notoria, a fontibus indicandis abstinebimus.

rnata creduntur : per quod catholici quam maxime ab aliis distinguuntur.

b) Unitas callus non minus manifesta est. Sequitur enim necessario unitatem fidei, quæ principaliter est de cultu Dei et de mediis sanctificationis hominum. Ita factum iterum publicum est, in universa Ecclesia Romana iisdem mediis Deum coli, iisdem mediis homines sanctificari, ut præsertim per receptionem eorundem sacramentorum, per exercitium bonorum operum, per assistentiam in sacrificio inissæ etc.

c) *Unitas regiminis* vel maxime patet. Nam habetur unum caput, sc. Romanus Pontifex, cui omnes subduntur et subesse tenentur.

3. Unitas quæ in Ecclesia Romana repentur, *ad constitutionem* ipsius *pertinet,* ita ut sit vera eius proprietas. Unitas fidei est lex fundamentalis Ecclesiæ Romanæ, sicut et auctoritas Conciliorum generalium, episcopatus per orbem diffusi et maxime Romani Pontificis. Similiter unitas cultus, sc. in cultu Dei et in mediis sanctificis, non est aliquid Ecclesiæ accidentale vel ab extrinseco proveniens, sed ipsam Ecclesiam constituit ac ab aliis distinguit, et denique ex ipsa unitate fidei resultat. Idem dicendum est de unitate regiminis.

4. Unitas Ecclesiæ Romanæ est *facium supernalurale* (charisma) excedens causas naturales, i. e. miraculum divinitus patratum. In qua re attendendum est quod non agitur de qualicunque unitate, ut e. g. pure externa vel mechanica, sed agitur de unitate interna simul et externa1, in rebus fidei, circa quæstiones altissimas et maxime fundamentales, agitur de unitate cultus, i. e. de unitate hominum in appetendis bonis, circa finem ultimum, de determinatione totius vitæ humanæ, externæ et internæ, agitur denique de unitate regiminis, i. e. de subiectione practica

1. Protestantes et alii communiter unitatem tantum externam, iuridicam et pure humanam considerant, ut Harnack in suo effato : « Die rômische Kirche ist das ailumfassendste und gewaltigste, das komplizierteste und doch am meisten einheitliche Gebilde, welches die Geschichte, soweit wir sie kennen, hervorgebracht hat. » *Wesen des Christenlums,* xiv. Vortrag.

sub auctoritate hominum determinatorum, et quidem in rebus et negotiis hominibus difficilibus et onerosis.

Iamvero *huiusmodi* unitas absque speciali Dei auxilio servari non potest, vel causæ naturales ad eam explicandam non sufficiunt. Uti enim tota historia et ipsa conditio rerum nos edocet, homines in quæstionibus altioribus et difficilioribus quam facillime in diversas sententias abeunt, in colendo Deo quam maxime dividuntur (ut patet ex diversitate religionum), onus subiectionis sub aliena potestate in rebus intimis et difficilibus quam maxime abiicere conantur (inde tot defectus a religione Christiana et catholica). Accedunt causæ particulares, ut diversitas temporum et nationum, characteris, scientiæ, culturæ singularum nationum. Iamvero Ecclesia catholica per XIX sæcula numerum ingentem hominum et populorum diversissimi characteris, indolis, linguæ et culturæ in unitate fidei, cultus et vitæ religiosæ adunavit et conservavit. Quot pericula unitatis Ecclesia successu temporum superavit ! Ex his omnibus manifeste sequitur, unitatem et stabilitatem Ecclesiæ catholicæ per tot sæcula et in tot periculis esse effectum supernaturalem.

Deinde secundum conceptum Christianum fides ipsa, cultus divinus et subiectio sub auctoritate a Christo constituta est donum Dei, actus supernaturalis, ita ut intrinsece operatio gratiæ divinæ præsupponatur : unitas igitur in fide, cultu et regimine intrinsece est res vel effectus supernaturalis.

Unitas Ecclesiæ Romanæ merito ut nota maxime evidens censetur atque nostris temporibus in dies magis effulget[1].

11. Obiectiones. — Licet unitas Ecclesiæ catholicæ objective sit manifesta, plures tamen difficultates obiciiuntur.

1. Plures theologi tenent unitatem esse notam tantum negativam, quia « nihil iam prorsus inesl tali unitati quod per se vel ex natura rei non possit inveniri in secta quoque haeretica vel schismatica. »

Attamen contrarium ex dictis sufficienter patet. Aliqua quidem unitas etiam in ecclesia a Christo aliena reperiri poterit, non vero unitas *Ecclesiæ,* unitas in fide, cultu et regimine, sicut et de facto in nulla reperitur. Huiusmodi enim unitas excedit facultatem humanam et contrariatur inclinationibus et tendentiis hominum.

Ob. 1. Primo tempore Ecclesiæ non pauci, saltem iudæo-christiani, legem mosaicam observabant, aliis, ut præsertim Apostolo Paulo, reclamantibus ; ergo unitas legis et cultus deerat.

Besp. Non obstante observatione legis mosaicæ ex parte quorundam, tamen Ecclesia de facto fuit una et distincta a synagoga. Nam « qui receperunt sermonem eius (sc. Petri), baptizati sunt... Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractione panis et orationibus » (Ac/., n, 42; cf. i, 14; n, 46). Similiter. Paulus cum Petro communicabat.

Nec deficiebat *principium,* unitatis infide et cultu, nempe doctrina et auctoritas Apostolorum quam omnes tenebant. Inde baptismum receperunt, Eucharistiam celebraverunt ac in Christum ut salvatorem speraverunt. Quodsi circa legalia, præsertim circa observationem circumcisionis, duplex erat sententia, remansit tamen unitas ratione auctoritatis apostolicæ recognitæ. Unde etiam quæstio exorta diiudicata et soluta fuit per auctoritatem Petri et Concilii Apostolici Hierosolymitanæ (Ac/., c. xv).

Quæstio igitur de circumcisione fuit controversia sicut controversiæ postmodum in Ecclesia exortæ : quæ sc. in societate esse possunt, salva unitate.

Causam denique huiusmodi quæstionis optime explicat S. *Thomas,* I, II, q. cui, a. 4, distinguens cum S. *Augustino* (ep. 40) tria tempora : « Unum quidem ante Christi passionem, in quo legalia neque erant mortifera neque mortua ; aliud autem post tempus Evangelii divulgati, in quo legalia sunt mortua et mortifera ; tertium autem est tempus medium, sc. a passione Christi usque ad divulgationem Evangelii, in quo legalia quidem fuerunt mortua, quia neque vim aliquam habebant neque aliquis ea observare tenebatur, non tamen fuerunt mortifera, quia illi qui conversi erant ad Christum ex Judæis, poterant illa legalia licite observare, dummodo non sic ponerent spem in eis quod ea reputarent sibi necessaria ad salutem, quasi sine legalibus fides Christi iustificare non posset. His autem qui convertebantur ex gentilitate ad Christum, non inerat causa ut ea observarent... Ideo autem noluit Spiritus S. ut statim inhiberetur his qui ex Judæis convertebantur,

observatio legalium, sicut inhibebatur his qui ex Gentilibus convertebantur, gentilitatis ritus, ut quædam differentia inter hos ritus ostenderetur : nam gentilitatis ritus repudiabatur tanquam omnino illicitus et a Deo semper prohibitus : ritus autem legis cessabat tanquam impletus per Christi passionem, utpote a Deo in figuram Christi institutus. » Hæc ille.

Ob. 2. Unitas Ecclesiæ Romanæ præsertim ex primatu Romani Pontificis probatur. Atqui in primo et secundo sæculo potestas Romani Pont, nondum erat ita effectiva sicut hodie. Ergo illo saltem in tempore unitas non habebatur, sed potius unio quædam ecclesiarum independentium.

Besp. Licet tribus primis sæculis Romani Pontifices potestatem suam eadem mensura ac hodie non applicassent atque ex hac parte unitas Ecclesiæ fuisset minus conspicua quam hodie, tamen aliunde satis erat conspicua. *Primo* enim ipsi Christiani unam Ecclesiam proclamabant, sicut de reliquo vel ipsi pagani nonnisi unam Ecclesiam catholicam cognoscebant ; unde omnes ecclesiæ particulares ut partes *unius* Ecclesiæ Christi[1] et catholicæ considerabantur atque inter se communicabant, ita ut unusquisque fidelis alicuius ecclesiæ catholicæ in aliis ecclesiis ut membrum legitimum ad sacramenta et alia munera ecclesiastica admitteretur. *Secundo* eadem fides apud omnes ut necessaria tenebatur. *Tertio* idem ius et eadem potestas presbyterorum et episcoporum ubique valebat ; specialiter data occasione unio cum Romano Pontifice tanquam necessaria admittebatur : quæ omnia sunt signa et rationes constitutive unius Ecclesiæ. Doctrinam huius unitatis Cyprianus clare exhibet. Primatum Petri nondum perfecte cognoscens, tamen primatum Petri tanquam signum et rationem unitatis Ecclesiæ adducit : « Super unum (Dominus) ædificat Ecclesiam..., ut unitatem manifestaret,

1. Inde maxime differentia inter constitutionem Ecclesiæ sæc. π el ecclesiarum schismaticarum Orientis apparet. Nam in Ecclesia antiqua nulla Ecclesia particularis præter Ecclesiam Romanam erat independens vel autocephala ; in schismate vero photiano plures sunt ecclesiæ independentes vel autocephalæ, sc. ecclesiæ singularum nationum.

unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit... Exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia monstretur. Quam unitatem tenere firmiter et vindicare debemus, maxime episcopi qui in Ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus... Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur[1]... »

Ob. 3. *ex schismale occidentali* petitur. Argumentum sic formatur : Schisma tollit unitatem ecclesiæ ; atqui in Ecclesia Romana fuit schisma (1378-1419) ; ergo tunc, et per consequens et nunc, non fuit vera Ecclesia Christi.

Resp. Ad Maio. Schisma *formale* tollit unitatem, conc. ; schisma *material* tollit unitatem, nego.

Atqui in Ecclesia Romana fuit schisma, dist. : formale nego ; materiale, conc. Inde negatur consequens et consequentia.

Explic. Schisma est scissio, divisio vel separatio quædam in Ecclesia. Quæ scissio dupliciter accidere potest : uno modo *proprie et formaliter* inquantum sc. quidam se ab unitate Ecclesiæ separare *intendunt ;* alio modo *materialiter,* inquantum quidam, manente intentione unitatis cum Ecclesia servandæ, de facto ex alio quodam motivo ab unitate sese separant. Et ideo proprie (et formaliter) schismatici dicuntur, qui propria sponte et intentione se ab unitate Eciclesiæ separant[2]. » « Ecclesiæ autem unitas » ut continuat s. Doctor, « in duobus attenditur, sc. in connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem seu communicatione... et iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum caput... Hoc autem caput ipse est Christus cuius vicem in Ecclesia gerit summus Pontifex. Et ideo schismatici (i. e. formaliter et proprie) dicuntur qui subesse renuunt summo Pontifici et qui membris Ecclesiæ ei subiectis communicare recusant » (l. c.). Eandem definitionem C. I. C. iisdem verbis exhibet : Can. 1325, § 2.

Iamvero, quale fuit schisma occidentale, formale aut materiale ? Certe non formale et proprium ; nam nemo se ab unitate Ecclesiæ separare intendebat, nemo Romano-

1. *De unilate eccl. calli.,* c. iv, s.
2. 'S. Th., IIa IIae, q. xxxix, a. 1.

Pontifici, sc. qui vere et certo summus Pontifex esset, subesse renuit, nemo veris membris Ecclesiæ communicationem denegare intendebat : e centra omnes necess tatem et voluntatem proclamabant tum sublectionis sub summo Pontifice tum unionis cum aliis membris Ecclesiæ. Schisma igitur fuit materiale, non vero formale. Id quod adhuc magis apparet ex comparatione schismatis occidentalis ad schisma græcum : Græci R. Pontifici subesse recusabant, Occidentales subesse profitebantur ; Græci vel ius R. Pontificis negabant, Occidentales potestatem Rom. Pontificis tanquam a Christo acceptam profitebantur ; Græci cum Latinis communicare simpliciter recusabant, Occidentales utriusque factionis vel « obædientiæ » de facto quidem inter se non communicabant, tamen iterum communicare parati erant, remota causa schismatis-sicut et de facto unio postea facta est.

Huiusmodi schisma materiale unitatem Ecclesiæ quidem *minuit* atque perturbavit, *non tamen destruxit.* Talis enim scissio in quacumque societate accidere potest quin unitas societatis pereat ; quoties in regnis civilibus ab adversis factionibus duplex vel triplex princeps vel imperator fuit creatus, ut in imperio Romano temporis ant qui et medii ævi, salva tamen unitate imperii ? Ita in Ecclesia Romana quæstio non erat de unitate Ecclesiæ, sed de persona legitime in summum Pontificem electa : id quod in responso ad subsumptiones magis apparebit.

Subsumitur : Duplex vel triplex caput tollit unitatem societatis ; atqui tempore schismatis occidentalis duplex et triplex fuit caput in Ecclesia Romana. Ergo actum erat de unitate Ecclesiæ.

Ftesp. Dist. maior. : Multiplex caput unitatem societatis tollit, si multiplex caput *de iure* admittitur, conc. ; si de facto tantum habetur, propter sententiam diversam de persona legitime in caput electa, ita tamen ut de iure unum tantum caput admittatur, nego.

Contradistinguitur minor : in Ecclesia Hoinana multiplex fuit caput de iure, nego ; de facto, ex ratione adducta, conc; Inde negatur consequens et consequentia.

Explic. Certe *una* societas non habetur ubi plura sunt capita de iure et ad invicem independentia et sibi opposita :

ut patet. Potest tamen in aliqua societate, salva unitate sociali, oriri disceptatio de persona legitime electa. Et ita fuit in Ecclesia tempore schismatis occidentalis. Omnes enim tenebant, in Ecclesia de iure nonnisi unum esse caput, disceptatio autem fuit unice, quænam ex personis electis verum caput esset. Conditio propria Ecclesiae illius temporis iterum apparet ex comparatione cum conditione ecclesiarum græcarum et protestantium : ecclesiæ græcæ schismaticæ habent de iure plura capita suprema et ad invicem independentia et sibi opposita vel se ad invivem excludentia ; similiter ecclesiæ protestanticæ : in Ecclesia vero Romana unum tantum caput de iure admittebatur ; in ecclesiis schismaticis quidam episcopi, qui antea episcopi particulares tantum erant, in caput independens Ecclesiarum suarum sese erigebant, in ecclesia Romana nullus episcopus, excepto episcopo Romano, tanquam caput independens alicuius Ecclesiæ reputabatur. Inde iterum concluditur : tempore schismatis occidentalis unitas Ecclesiæ Romanæ diminuta et turbata fuit, non vero destructa.

Denique subsurnilur : Quidquid est de natura schismatis « occidentalis, tamen aderat scissio et divisio ac proinde unitas defecerat.

Resp. Aderat scissio et divisio hominum, et quidem dolorissima atque pericolosissima pro unitate Ecclesiæ, non vero aderat divisio Ecclesiæ ut est societas vel ecclesia. Neque Christus promiserat, nullam unquam in Ecclesia sua fore scissionem vel divisionem, sed id tantum promisit, ut Ecclesia sua nequidem in maximis perturbationibus animorum unitatem socialem iam perderet. Quæ promissio Christi præeise in schismate 0‹cidentali impleta est, cum non obstante maximo schismatis formalis periculo taincn unitas Ecclesiæ servata fuit ac denique schisma superatum. In quo etiam vis intrinseca Ecclesiæ catholicæ ad unitatem servandam apparet.

Ob. 4. Controversiæ de quæstionibus fidei unitatem fidei tollunt ; atqui in Ecclesia' Romana multiplices extiterunt et adhuc extant controversiæ fidei, ut inter Thomistas, Molinistas et Scotistas. Ergo unitas fidei in Ecclesia Romana deficit.

Resp. Hæc obiectio in qua Protestantes maxime instant,

facile solvitur. Unitas enim fidei tollitur, si nulla habetur fides determinata, si nullum habetur principium quo controversiæ de veritatibus fidei exortæ auctoritative et definitive determinentur, ita ut omnes huic definitioni sese submittere teneantur ; unitas fidei vero non tollitur per controversias quæ supposita fide communi et definita et cum subordinatione sub regula fidei communi extant.

Atque ita res se habet in Ecclesia Romana. *Primo* enim habetur fides communis ad quam omnes tenentur, sc. fides in symbola et definitiones sollemnes vel ex cathedra et in ea quæ per magisterium ordinarium Ecclesiæ tanquam credenda proponuntur (Cone. *Vai.,* Sess. III, c. m. Denz., 1792). Inde *secundo* habetur in Ecclesia Romana principium vel auctoritas qua quæstiones fidei auctoritative et definitive solvantur, et cui omnes sese submittere tenentur atque se submittunt.

Hisce præsuppositis, controversiæ theologicæ unitatem Ecclesiæ non offendunt, sicut nec in societate civili, præsupposita lege communi et auctoritate legislative et iudiciali, controversiæ de legibus ferendis vel interpretandis unitatem tollunt. In protestantisme vero, ut videbimus, neque fides communis ac definita adest neque extat auctoritas quæ quæstiones fidei auctoritative et definitive determinare valeat. Denique vox « controversiæ » apud catholicos et protestanticos alium et alium habet sensum : apud catholicos controversiæ quæstionem important, utrum aliqua doctrina sit revelata et ad credendum proposita adeoque utrum sit credenda ; apud Protestantes controversiæ quæstionem important quænam doctrinæ arbitrio fidelium credendæ relinqui possint, etiamsi sint revelatæ.

Ob.5. Unitas fidei importat ut omnes fideles *lolum Evangelium* fide teneant ; atqui hoc est impossibile, cum non omnes fideles omnes doctrinas revelatas noverint atque de quibusdam doctrinis vel theologi disputent, utrum sc. sint revelatæ et in quonam sensu. Ergo vel in Ecclesia Komana unitas fidei deest.

Resp. Unitas fidei importat ut omnes doctrinæ revelatæ ab omnibus credantur fide sive explicita sive implicita, non vero ut omnia revelata ab omnibus fide explicita credantur.

Itaque concedimus (uti etiam in argumentis diximus) totum Evangelium ab omnibus esse tenendum, et quidem fide. Potest tamen aliqua doctrina credi duplici modo : vel *explicite,* inquantum in se cognoscitur et creditur, vel *impliciie* inquantum in alia doctrina explicite, i. e. in se, cognita et credita, creditur. Id quod fit in Ecclesia Romana. Plures enim doctrinæ et principales ab omnibus in se cognoscuntur adeoque explicite creduntur, aliæ vero in alia doctrina' explicite credita creduntur adeoque implicite.

Protestantes quidem hanc doctrinam de fide implicita quam maxime abhorrent atque damnant, duce Luthero et Calvino : attamen ex ignorantia et perversione doctrinæ catholicæ. Putant enim Protestantes fidem implicitam *nullam* esse fidem sed tantum subiectionem cæcam quandam et mere juridicam sub auctoritate Ecclesiæ et maxime Romani Pontificis. Id quod est falsissimum. Fides enim implicita veram fidem theologicam importat nec alia fides est fides explicita et explicita, sed eadem fides ; tantum aliqua veritas *alio el alio modo* creditur, se. sive directe in se, sive indirecte in alio credito. Multipliciter autem aliqua veritas in alia credita implicite credi potest, sc. a) *in alio credito* in quo aliqua veritas implicite continetur, ut dogma de unione hypostatica in verbo evangelico « Verbum caro factum est » implicite continetur ; 6) *in auctoritate Dei revelantis* credita : ita qui credit in revelationem Dei, simul et implicite omnia credit quæ Deus revelavit ; c) *in auctoritate Ecclesiæ credita :* ita qui credit Ecclesiam esse fidei regulam infallibilem, implicite omnia credit quæ Ecclesia ad credendum proponit[1].

Ob. 6. ex diversitate liturgiarum quæ in Ecclesia catholica habentur, petitur : at immerito. Omnes enim liturgiæ Ecclesiæ catholiea:, non obstante multiformitate cæremoniarum, unam tamen fidem exprimunt, eadem sacramenta, idem sacrificum missa· celebrant. Varietas et multiformitas rituum potius vigorem fructiferum unitatis catholicæ demonstrant[2].

1. Cf. opus nostrum *Fides implicita,* Ratisbonæ 1922, et *Introductio in hist, dogmatum,* art. 10.

2. Integritatis causa sententiam quorundam refero qui putant, actum esse de unitate « catholicismi » quia romano-catholici, græco-

III. Corollarium. — Itaque Ecclesiæunitas minime quandam absolutam uniformitatem importat, sed e contra multiformas partes, varias functiones ac multiplices differentias in unum colligit : ad modum quo corpus, licet sit unum corpus et unus organismus, multiplicia, varia ac differentia organa cum functionibus proportionatis habet, vel ad modum societatis civilis, quæ, licet sit una respublica vel regnum unum, varietatem maximam admittit.

Quam unitatem Ecclesiæ *Cyprianus* eleganti comparatione sic illustrat :

« Ecclesia una est quæ in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii sed lumen unum, et rami arboris multi sed robur unum tenaci radice fundatum, et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine... Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos prorrigit : unum tamen lumen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universum terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius pandit : unum tamen caput est et origo una et una mater fecunditatis successibus copiosa : illius fcetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur[1]. »

catholici et vetero-catholici distinguuntur. At quid nobis de nominibus. Nos enim nil aliud tenemus et defendimus nisi unitatem Ecclesiæ romano-catholicæ.

1. *De cath. Eccl. unitate,* c. v.

ARTICULUS VIGESIMUS QUARTUS

Thesis : Nota sanctitatis Ecclesiæ catholicæ competit

1. Prob. — Nota sanctitatis vim et efficaciam Ecclesiæ sanctificam eamque miraculis comprobatam importat. Atqui huiusmodi vis et efficacia sanctifica Ecclesiæ catholicæ manifeste competit. Ergo. Maior est definitio notæ sanctitatis. Minor probatur : A) generaliter ; B) per partes ; C) ■quantum ad charismata.

a) *Facia generalia.* — 1. Vis et efficacia sanctifica illi Ecclesiæ convenit per quam fides Christi, vita secundum mandata Christi atque generaliter religio Christiana per orbem terræ est diffusa. Atqui fides in Christum, vita secundum mandata Christi et generaliter religio christiana per Ecclesiam catholicam in orbe terrarum est diffusa. Ergo.

Maior facile patet christiano. Fides enim in Christum, vita secundum mandata Christi et generaliter religio christiana sunt effectus intrinsece supernaturalis : neque fides esse potest absque auxilio gratiæ Dei neque mandata Dei et Christi sine audiutorio Christi observantur ac denique ipsa religio Christi est effectus sanctificus. Id quod nullus negare poterit qui in Christum tanquam salvatorem credit, qui religionem christianam tanquam viam salutis tenet vel denique adhuc vere christianus est. Unde in illa societate vel Ecclesia per quam fides Christi in cordibus hominum est diffusa, per quam populi ad vitam christianam sunt adducti et per quam generaliter religio christiana in terris est constituta, manifeste virtus Christi salvifica operatur vel vis et efficacia sanctifica manifeste apparet.

Minor vero est factum ita obvium et conspicuum ut a nemine prudenter negari poterit. Teste enim historia, fides in Christum, prima et fundamentalis conditio salutis et sanctitatis christianæ, per Ecclesiam catholicam est diffusa. Neque adduci poterit vel unus populus alicuius momenti

qui fidem christianam per Ecclesiam catholicam non acceperit, sive directe sive indirecte.

Per Ecclesiam enim catholicam facti sunt christiani populi græci et latini et germanici Europæ, per illam facta est conversio gentium Asiæ et Africæ inquantum iam ad fidem Christi pervenerunt. Etiam illi populi qui postmodum in schisma vel hæresim inciderunt, fidem in Christum ab Ecclesia catholica primitus acceperant ac illi debent. Quodsi aliqui populi schismatici vel hæretici postmodum in magnum numerum creverunt, nonnisi hæreditatem ab Ecclesia acceptam, attamen diminutam et corruptam, continuaverunt et propagaverunt quin tamen alios populos ad fidem Christi converterent.

Itaque opus Dei maximum quod est conversio mundi ad fidem et vitam et religionem Christi, est proprius effectus Ecclesiæ catholicæ, i. e. ipse Deus per Ecclesiam catholicam huiusmodi opus operatus est : in quo tum vis sanctifica Ecclesiæ catholicæ tum testimonium divinum pro veritate ipsius manifeste apparet.

2. Vis et efficacia sanctifica illi Ecclesiæ competit quæ succedentibus sæculis fidem et vitam et religionem christianam efficaciter defendit, tuetur ac auget. Atqui hoc Ecclesia catholica præstitit. Ergo.

Maior iterum christiano facile patet. Sicut enim conversio populorum ad fidem, ad vitam et religionem christianam est effectus sanctificus, ita simul conservatio fidei et religionis Christi.

Minor iterum factum publicum enuntiat. Ad *fidem* christianam fundamentaliter pertinet fides in Deum unum et creatorem, in divinitatem Christi, in vitam supernaturalem, procedentem a Spiritu Sancto. Atqui omnia huiusmodi capita per Ecclesiam catholicam efficaciter salvata fuerunt : fides in unum Deum contra paganos, fides in Deum creatorem contra philosophos et Gnosticos, fides in Christum Deum contra Arianos et Nestorianos, fides in vitam supernaturalem contra Pelagianos, naturalistas, rationalistes, etc. Nostris diebus præsertim rationalismus, indifferentismus et naturalismus periculum fidei constituunt — contra quos errores sola Ecclesia catholica strenno et efficaciter pugnat. Dum e. g. protestantismus rationalistas,

indifferentes, et naturalistas in sinu suo complectitur, sola Ecclesia catholica huiusmodi homines nunquam tanquam suos agnovit, vel admisit. Ita et nostris diebus, fatentibus vel ipsis adversariis, Ecclesia catholica est tutamen firmissimum fidei christianæ.

Similiter Ecclesia catholica succedentibus temporibus *uilam* Christianam efficaciter tuebatur. Per Ecclesiam catholicam mens populorum, contra tendentiam naturalem in res sensibiles et præsentes, in bona spiritualia et futura erigebatur et materialismus moralis superabatur : per Ecclesiam catholicam vita secundum mandata et doctrinam christianam conservabatur, præsertim castitas in honore et praxi remanebat ; per Ecclesiam catholicam sanctitas matrimonii contra usus et persuasiones populares et contra libidines principum salvabatur ; per Ecclesiam catholicam independentia religionis et Ecclesiæ contra imperatores veteris imperii romani et græci, contra imperatores imperii romani medii ævi, contra reges et imperatores Germaniae, Galliæ, Hispaniae efficaciter defendebatur ac denique exercitium omnium virtutum christianarum promovebatur[1].

3. Denique vis et efficacia sanctifica Ecclesiæ catholicae nostris diebus per modum facti publici manifesta est. In Ecclesia enim catholica caque sola *fides* viget in omnes veritates quæ Christiana; vocantur et sunt, dum extra ipsam fides quasi totaliter defecit atque incredulitati aperta;, indifferent ismo vd host ilii ali positiva.; contra nomen christianum cessit., in Ecclesia catholica fides non tantum in cordibus hominum lal it at, sed in vitam et praxim transit. In Ecclesia catholica *spes* conia hominum ad beatitudinem æternam et bona spiritualia et. æterna appetenda erigit adeoque vit a vere supernal oralis ducitur, dum extra ipsam naturalisions putidus in dies magis increscit. *Caritas* in Deum et proximum, mandatum principale Domini, exercetur per sanctificationem vita; quotidianæ, privatæ et familiaris, per sanctificationem laboris tum manualis tum intellectualis, dum alibi vita quotidiana, familia, labor tantum sub ratione honestatis cuiusdam civilis vel humanæ, sub

1. Gf. Leonis XIII, Encyclicam *Arcanum diuinæ sapientiæ.*

ratione obligationis individuae, socialis vel culturæ consideranter; simul caritas apparet in exercitio conscientiosa omnium virtutum, etiam in occulto et magnis cum sacrificiis, utpote ex intentione honorandi Deum et observandi eius praecepta ; denique caritas apparet in dolore de peccatis, in proposito emendationis et in exhibitione satisfactionis dum alibi peccata vel non sentiuntur, sc. ut offensa Dei, vel non timentur. Ita generaliter constat, in Ecclesia catholica extare exercitium omnium virtutum, non ex motivis tantum naturalibus vel terrenis sed simul ex motivis supernaturalibus, propter Deum et Christum. Id quod certe non hoc sensu constat ac si omnes catholici vitam vere supernaturalem ducerent, sed hoc sensu quod in Ecclesia catholica vita supernaturalis multorum manifestis indiciis extet, sc. tanquam fructus et argumentum virtutis et efficaciæ sanctificæ Ecclesiæ ipsius.

Itaque generale constat factum, per Ecclesiam catholicam fidem ac religionem christianam in mundo esse propagatam, conservatam ac hucusque effectam : id quod est tum argumentum virtutis sanctificæ Ecclesiæ catholicæ tum testimonium divinum pro veritate ipsius.

B. *Facia particularia.* — Nec minus obvie constat sanctitas, *a)* doctrinæ, *b)* cultus, c) regiminis, *d)* membrorum Ecclesiæ catholicæ.

α) *Doctrina Ecclesiæ esi sanctifica.* — Sanctitas, uti supra vidimus, vitam secundum Dei voluntatem et Deo placitam"importat, « per quam sc. mens hominis seipsam et suos actus applicat Deo » (II, II, q. 1 x x x i, a. 8). Iamvero per doctrinam catholicam homo ad huiusmodi sanctitatem dirigitur. In huius confirmationem tota doctrina catholica adduci potest. Generales tamen tantum lineas proponamus.

Doctrina *dogmatica* ostendit Deum tanquam principium et finem ultimum hominis : ex quo Deo debetur honor, obædientia, dilectio ; tenet incarnationem Dei et redemptionem hominum per passionem Christi et salutem per gratiam et merita Christi : ex quo homo adhuc magis Deum cognoscit (cf. S. Thomas, Contra Gent., iv, 40) et magis ad eius amorem et servitium excitatur. Doctrina catholica ostendit sortem finalem hominum, infernum, purgatorium,

cœlinn : ex quo tum timor sanctus Dei, tum zelus et fervor in evitandis peccatis et virtutibus exercendis promovetur, tum gratus amor in Deum excitatur.

Doctrina catholica *moralis* officia erga Deum, proximum et seipsum edocet, nec passionibus hominum cedit, neque naturam mutilat neque Deum negligit ; ordinem naturalem etsupernaturalem fcedere mirabili sociat; mandatum primum Domini quam maxime inculcat et consequentia strenua applicat ; exercitium virtutum non tam uti iugum odiosum quam ut viam desiderabilem salutis, perfectionis et pacis proponit ; difficultates sanctitatis acquirendæ non dissimulat, tamen remedia et auxilia opportuna largiter indicat ; scelus peccati non excusat ac inde vias peccati et vitandi et emendandi et delendi edocet et imponit ; hominibus conditionis cuiuscunque est dux fidus et promptus ; denique ut uno verbo dicam : talis est doctrina moralis catholica ut quisquis inquantum eam tenuerit, intantum melior fiat, peioretur autem inquantuin ab ea abscesserit : id quod tum experientia propria uniuscuiusque tum historia humanitatis comprobatl.

b) Vis sanctifica cultus catholici. — Cultus catholicus principaliter per sacramenta, sacrificium missæ et per opera pietatis præsentatur : quæ omnia prout in Ecclesia catholica exercentur, magnam vim sanctificam demonstrant.

Primo sacramenta. Cuncta sacramenta generaliter ad sanctificationem hominis ordinantur, conditiones plures in recipiendis præexigunt quæ ad sanctificationem disponunt, secundum præeeptum Ecclesiæ summa cum devotione sunt re< ipienda et administ randa, recepta obligationem multiplicem sanctitatis practicandæ imponunt ac, uti experientia probat., homines de fac,to meliorant. Id quod facile etiam in particulari apparet. *Baptismus* homini obligationem imponit ul operibus satanæ et mundi renuntiet, ut promittat modo christiano vivere, ut subditus fiat legibus sanctificis Ecclesiæ : qualis sit effectus baptismi olim maxime in paganis et Judæis a<i fidem conversis apparebat, attamen et hodie in conversione protestantium

1. Cf. A. Weiss, O. P., *Apologie des Chrislentums.*

et aliorum. Per confirmationem homo fit miles Christi. *Eucharistiam* catholicus suscipit, expurgato prius animo a peccatis mortalibus et remoto, quantum possibile, etiam peccato veniali ; suscipit autem eam ut Christus honoretur, ut memoria passionis eius recolatur, ut mens impleatur gratia et Deo uniatur, ut totus homo contra tentationum pericula roboretur et ad virtutes exercendas confortetur. In sacramento *pœnitentiæ* præexigitur dolor et detestatio de peccatis commissis, propositum non amplius peccandi, immo et evitandi pericula peccati et amplectendi media ad vitam bonam : quot et quoties homines de facto confessione peracta emendati, sanctificati sunt[1] !

Extrema unctio hominem disponit ut cum plena submissione sub voluntate Dei mortem subeat et ad transitum in aliam vitam ultimo se disponat. *Matrimonium* catholicum unionem maris et fœminæ sanctificat, vitam coniugalem tanquam obligationem iustitiæ et amoris mutui statuit, et quidem in finem procreandi filios regni Dei, mutuam fidem imponit, vinculi indissolubilitatem inculcat. Itaque Ecclesia, frequentationem sacramentorum urgendo, fideles suos quam maxime et efficacissime ad sanctitatis culturam promovet : unde etiam illa tempora in quibus usus sacramentorum erat frequentior, maiorem sanctitatem exhibent.'

Missæ sacriiicium quod in Dei adorationem, in gratiarum actionem, ad peccatorum satisfactionem et ad gratias obtinendas offertur, quantum mentem hominis Deo applicat ! Quantum simul cor fidelium Christo coniungit cuius passio grato animo commemoratur, immo modo

1. Harnack quidem institutum pœnitentiæ inquantum sc. attritio ad suscipiendum sacramentum et ad accipiendam remissionem peccatorunfsufTiciens docetur, vocat « perversum » et « negationem omnis moralitatis et religionis » *(Dogmengeschichte,* HI3, 526 s). At ex ignorantia et per calumniam. Ignorare ille videtur obligationem detestandi peccata et emittendi propositum amplius non peccandi ; nescire videtur, hominem saltem post receptam absolutionem ad actum charitatis erga Deum teneri. Et quid ipse tanquam conditionem iustiflcationis ponit ? Nihil aliud quam ut homo teneat, Deum esse « bonum », absque ullo dolore de peccatis et absque proposito bono ! En veram perversitatem! — Cf. R. Schiltes, *Reue und Bussakrarnent,* p. 83-95.

incruento renovatur, cuius merita hominibus applicantur! Quantus honor Deo quotidie exhibetur, quot preces ad cœlum ascendunt, quot suspiria Dei amorem et desiderium sanctitatis comprobant! Quid Protestantes præstant in comparatione ad catholicos quantum ad colendum Deum et pro sanctitate acquirenda?

Innumera denique in Ecclesia catholica sunt genera et *exercitia pietatis,* sive orationis sive actionis sive abnegationis, quæ tum in honorem Dei tum in maiorem sanctificationem quotidie fiunt : in quibus omnibus tum zelus pro honore Dei tum charitas ergo Deum et Christum tum vis sanctifica doctrinæ et cultus Ecclesiæ tum fructus ipse sanctitatis apparet.

c) Fis *sanctifica regiminis ecclesiastici.* — Regimen Ecclesiæ catholicæ est *intrinsece* sanctum inquantum ex mandato Christi, in virtute potestatis a Christo acceptai et determinate et in sanctificationem fidelium exercetur : unde proprie ministerium vocatur (λειτουργία). *Extrinsecus* autem huius ministerii efficacia sanctifica præcipue in duobus apparet : *primo* in magno numero hominum qui ministerio Dei et hominum sese devovent, abdicatis negotiis sæcularibus, cum obligatione et observatione cælibatus, magnis cum sacrificiis personalibus et maximo cum zelu : in hoc enim manifestatur Ium caritas erga Deum et proximum, Ium continuatio operis sanctifici Christi tum executio mandati et promissionis Christi ut sc. per Ecclesiam omnes genies doceantur el per Petrum pascantur; *secundo* in elTectu ministerii, inquantuni sc. fideles auctoritati ecclesiastica! sese submittunt, mandata et ordinationes eius olnedienlcr exequuntur ac inde vitam secundum doctrinam et leges Ecclesia* ducunt : id quod ubicunque et inquantum Iit, emendationem vite sive singulorum sive communitatis secum trahit. Adversarii Ecclesiæ quidem in regimine Ecclesia* nihil aliud vident quam cupidinem potestatis ex parte pastorum et canam oboedientiam ex parte fidelium : at non considerant potestatem a pastoribus urgeri ex obœdientia erga mandatum Christi et similiter oboedientiam a fidelibus non præstari nisi ut Christo servitus debita præstetur. Atque in hoc maxime differentia inter ministerium catholicum et protestanticum.

stat : apud protestantes enim minister populum dirigit ex potestate societatis civilis vel communitatis religiosæ vel auctoritatis personalis, et fideles ipsum sequuntur secundum quod id bonum indicaverint ; apud catholicos vero ministri munus Christi exercent et fideles propter Christum oboediunt : inde etiam differentia effectus. Ecquidem vel catholici non pauci lamentantur de nimia ingerentia ministrorum in negotia diversa (clericalismus !) : at per hoc (exceptis forsitan quibusdam defectibus personalibus) tantum zelum et executionem conscientiosam mandati divini ex parte ministrorum Ecclesiæ comprobant.

d) Sanctitas membrorum Ecclesiæ. — Sicut ex fructibus cognoscitur arbor bona, i. e. vis et efficacia eius fructifera, ita vis et efficacia sanctifica Ecclesiæ ex sanctitate membrorum maxime comprobatur, præcipue inquantum de *nola* sanctitatis agitur. Non quidem requiritur ut omnia membra Ecclesiæ sint sancta (ut protestantes immerito sanctitatem Ecclesiæ intelligunt) sed ut sit fructus copiosus sanctitatis sive communis sive maxime altioris. Manifestatur autem huiusmodi sanctitas membrorum in observatione et executione mandatorum Christi et in exercitio virtutum quas Christus vel vita sua comprobaverat vel verbis expressis commendaverat. lamvero in Ecclesia catholica huiusmodi fructus copiose apparet.

Sanctitas *communis* in observatione mandatorum Chrisli manifestatur. Quot enim fideles Ecclesiæ catholicæ sive in praeterito sive in præsenti tempore mandata Christi observaverunt et observant, et quidem quam conscientiose, quam alacriter, quantis cum sacrifiis ! Nominare sufficiat præcepta castitatis, iustitiæ et amoris fraterni. Quod si quidam quandoque defecerint, per poenitentiam saltem ad observationem præceptorum redierunt. Ut huiusmodi fructus sanctitatis plenius cognoscatur et merito æstimelur, sufficit, comparare observationem decalogi in Ecclesia catholica et in protestantismo. Nonne quasi omnes qui extra Ecclesiam catholicam constituti sunt, libertatem vantitant, ac catholicos propter observationem mandatorum Dei tanquam scrupulosos et stupidos deridenti

Qui fructus Ecclesiæ eo maior est censendus quo illecebrae ad peccandum fortiores et frequentiores sint, quo excusa-

tiones magis alliciant, quo peior sit mentalitas publica societatis humanæ. Vere iam ipsa simplex observatio mandatorum Christi maximus est fructus doctrinæ et ministerii Ecclesiæ.

Sanctitas perfecta in membris Ecclesiæ, sicut ex natura sua est altior, ita et tanquam nota magis manifeste vim et efficaciam sanctificam Ecclesiæ demonstrat, lamvero in Ecclesia catholica atque in ea sola sancti revera abundant : sufficit inspicere catalogum sanctorum canonizatorum. Quot vero, teste historia sancte vixerunt quin ad honores altarium evecti fuissent ! Notandum tamen est huiusmodi fructus sanctitatis perfectæ reperiri in omni natione, in omni lingua, sexu, ætat'e, cultura, conditione : reges-servos, pueros-senes, doctos-indoctos, viros-mulieres, pauperes-divites, operarios-sapientes, intra claustra et extra, cælibes et matrimonio coniunctos etc. Neque quis dicat, in Ecclesia catholica facile aliquem « sanctum » reputari ; nam e constra res se habet. Qui in aliena religione facile iam sancti reputantur, in Ecclesia catholica vix ut boni agnoscerentur. Id quod maxime comprobatur per regulas et conditiones severissimas canonisationis sanctorum.

Ad sanctitatis superioris fructum observatio *consiliorum euangelicorum* perlinet, lamvero evangelica consilia in Ecclesia cat holica in mensura largissima observantur, sive a fidelibus in sæculo viventibus sive præsertim in ordinibus et congregationibus religiosis : quorum numerus est abundans et membra sunt numerosissima. Ecquidem non omnes qui ad ‹ ongregat iones religiosas pertinent, etiam personaliter sunt, sanet,i, innuo vel in ipsa vita religiosa miseria humana vastum campum occupat : tamen regulariter adest bona voluntas sequendi Christum per viam consiliorum, generaliter vol a implentur ac ex observatione votorum et institutionum regularium fructus conspicui sanctitatis resultant. Itaque ipsum institutum vitæ regularis, prout est in Ecclesia catholica, impletionem promissionis Christi indicat et exacutionem voluntatissanctificæ Christi.

Pretiosissimum et suavissimum fructum sanctitatis représtentant *martyres :* quorum in Ecclesia catholica est legio1II.

1. Factum ipsum ex historia constat ac ut notum supponimus.
II. Dodwell, *De paucitate martyrum,* et post ipsum Harnack et

Dicitur autem proprie martyr qui passione et morte sua est testis veritatis fidei christianæ : « martyres dicuntur quasi testes, quia sc. corporalibus suis passionibus usque ad mortem testimonium perhibent veritati, non cuicuinque, sed veritati quæ secundum pietatem est, quæ per Christum innotuit[1]. » Ita Christus est martyr inquantum morte sua veritatem divinitatis suæ et evangelii ab eo prædicati testificatur ; Apostoli testes fuerunt tum existentiæ Christi tum miraculorum eius tum evangelii, sc. talem esse evangelium verbi incarnati. Similiter christiani posteriores testimonium ferunt pro veritate fidei christianæ, principaliter quantum ad unitatem Dei, divinitatem Jesu Christi et præcepta evangelii, comprobantes testimonium per passionem et mortem, ex obædientia erga Deum[2].

Huiusmodi vero, martyrium gradum maxirnæ perfectionis spiritualis importat, inquantum in martyrio homo « firmiter stat in veritate et iustitia contra persequentium

alii quidem contendunt, numerum martyrum fuisse exiguum, fulti præcipue hac ratione, persecutiones non fuisse generales et Christianos plerumque, fugisse. At hoc non obstante, numerus martyrum erat considerabitis, immo maximum in solo iam imperio Romano, teste *Tacito* (Anna!., xv, 43 ss. — « ingens multitudo »), *Eusebio* (Hist. Eccl., m, 33 ; v, l ; vi, l ; vn, 2) ; *Lactantio* (De morte persecui. ,χνι) ; *Sulpitio Severo* (Hist, sacra, n, 32); *Clemente Romano* (ep. ad Cor., vi : « magna electorum multitudo qui suppliciis multis et tormentis passi ») ; *Epistula ad Diognetum,* c. vi (« Christiani suppliciis affecti quotidie numero crescunt »), etc. vn (« Nonne vides quo plures supplicio afficiuntur, tanto maiorem fieri numerum reliquorum »). Praeterquam in imperio Romano iam in tempore antiquo etiam apud barbaros martyres non defuerunt cf. Rvinart, *Acta martyrum}.* Postmodum vere martyrium in Ecclesia catholica usque ad tempus nostrum continuatur.

1. S. Thomas, 11“ II“e, q. cxxiv, a. 5.

2. Unde martyres proprie vocari non possunt, saltem sensu christiano, qui pro veritate, moriuntur quæ ad fidem non pertinet; similiter neque illi qui pro convictione sua tantum *subiectiva* momini ur, etiamsi de quaestione fidei agatur : testis enim testimonium l<iie debet, rem ita se habere : quale testimonium certe subiecti-.....onvictionem subaudit. Ita increduli, etiamsi pro sua sententia moriantur, non sunt proprie martyres ; similiter neque illi pi"h sliintes qui pro fide sua mortem obierunt, proprie martyres μηιιι possunt quia secundum principium protestanticum pro ' ci Ħ iito indicii proprii mort ui sunt : id quod et iam ex eorum gestis iippnnd. Do reliquo in huiusmodi pseudo-martyribus aliæ conditlniics Hiinctil.iilis deficiunt : cf. Garrigou-Lagrange, *De revelatione,* u, 29B s.

impetus1. » « Fidem et iustitiam non deserit propter imminentia pericula mortis » (I. c. a. 2) et inquantum « martyrium inter omnes actus virtuosos maxime demonstrat perfectionem caritatis : quia tanto magis ostenditur aliquis aliquam rem amare quanto pro ea rem magis amatam contemnit et rem magis odiosam eligit pali : manifestum est autem quod inter omnia alia bona præsentis vitæ maxime amat homo ipsam vitam et e contrario maxime odit ipsam mortem » (1. c. a. 3). Unde passiones martyrum gradum sanctitatis heroicum supponunt vel constituunt.

C. Denique in Ecclesia catholica *charismata* abundant. Quæ quidem charismata in initio Ecclesiæ, præsertim in ecclesiis ab Apostolo Paulo fundatis, quasi dona communia fuerunt (cf. ***I Cor.,*** c. xn ss., et supra art. 15 de constitutione charismatica Ecclesiæ) » ; id enim necessarium fuit pro prima divulgatione Evangelii. Tamen diversa charismata, imprimis prophetia et miracula, etiam postmodum nunquam in Ecclesia catholica defuerunt. Testimonium ferunt acta martyrum atque aliorum sanctorum ; Augustinus testificatur miracula facta ad sepulcrum S. Felicis Nolani (ep. LXXVIII, 3), ad intercessionem S. Stephani Protomartyris (Serin. CCCXIX, 6) et varia alia : quæ ex parte ipse viderat (De civit. Dei, xxn, 8).

Denique nostris diebus non rara fiunt miracula tum per homines sanctos tum ad intercessionem sanctorum turn in sanctuariis variis, e. g. in Lourdes. lamvero huiusmodi miracula communiter in testimonium veritatis et sanctitatis Ecclesiæ catholicæ limit, sive indirecte inquantum sam Iitatein sanctorum comprobant ad quorum invocationem fiunt et qui secundum fidem catholicam vixerant, sive directe impiantum in confirmationem cultus catholici fiunt.

Conclusio. — Merito igitur Concilium Vaticanum Ecclesiæ « *eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis Jæcunditatem* » tanquam « motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile » adducit*.[2]

1. S. Thomas, II* II*e, q. cxxiv, a. i.
2. Scss. III, c. m ; Denz., 1794.

Omnes enim huiusmodi fructus sanctitatis, una ex parte sunt *proprie (rudus dodrinæ, cultus et regiminis Ecclesiæ,* minime vero effectus conditionum naturalium populorum vel hominum, cum ex contra inde maximæ obstent difficultates et impedimenta et obstacula positiva ; altera ex parte opera sanctitatis quæ Ecclesia perficit, evidenter sunt *effectus supernalurales :* id quod christianis ex ipsa notione sanctitatis et charismatum constat, quantum aulqm ad illos qui fide Christiana nondum imbuti sunt, facile ex conditionibus peculiaribus sanctitatis christianæ, præsertim ex gradu heroico ipsius, comprobatur[1].

Unde fructus sanctitatis quos Ecclesia catholica affert, proprie et manifeste sunt signum operationis divinæ in Ecclesia, testimonium beneplaciti Dei ac sigillum quo veritas Ecclesiæ catholicæ confirmatur.

11. Obiectiones. — Protestantismus sanctitatem Ecclesia; catholicæ quam maxime abhorret atque negat, imrao quasi nullam doctrinam catholic am et quasi nullum institutum catholicum non tanquam immorale diiudicat atque condemnat. Ad quod generaliter sequentia observamus.

1. Protestantes falsum conceptum sanctitatis Ecclesiæ supponunt. Putant enim Ecclesiam ex codici sanctam quod *omnia* membra sint sancta.

2. Protestantes non stant in factis, sed e contra negligunt omnia facta, etiam evidentia.

3. Protestantes, impugnando doctrinam catholicam tanquam perversam. Ecclesiæ doctrinam imputant, quam dia revera non tenet, vel veram Ecclesiæ doctrinam défigurant, ac denique illam non secundum principia naturalia vel christiana sed secundum quædam postulata, doctrinæ Christi evidenter opposita, diiudicant.

1. Accusationes protestantiuni contra Ecclesiam rathole am revera et evidenter in doctrinam et instituta proli· dantium retorqueri possunt et debent.

Id quod in responsione ab obiectiones particulares magis patebit.

1 Cf. optimam demonstrationem apud Garrigou-Lagrange, /»r r<'i>d<iliune, 11, sect. II, c. ix, art. 2.

Ob. 1. petitur ex magno numero peccatorum qui sunt etiam in Ecclesia catholica, ex defectibus et vitiis quæ decursu temporum in clero, maxime in quibusdam Romanis Pontificibus, apparuerunt, ex communi quadam depravatione morum quorundam temporum, ac ita generaliter ex defectu sanctitatis membrorum Ecclesiæ : inde enim concludunt, Ecclesiam catholicam minime sanctam vocari posse.

Besp. Ex his defectibus moralibus constat, in Ecclesia catholica semper "fuisse peccatores, minime vero inde probatur, Ecclesiam non habere vim et efficaciam sanctificam.

Explic. Certe constat, in Ecclesia catholica semper fuisse malos, et quidem incipiendo a tempore Apostolorum ipsorum, ut epistulæ ipsorum luculenter demonstrant. Attamen primo Christus nunquam contrarium promisit sed e contra zizaniam in agro dominico et pisces malos in rete Petri prædixit ac inde in Ecclesia potestatem remittendi peccata instituit : « per hanc enim stat ecclesia quæ in terris est : per hanc non perit quod perierat et inventum est[1]. » Inde sanctitas a Christo Ecclesiæ promissa propter mala et peccata non est neganda.

Secundo protestantes peccant, considerando solummodo mala quæ sunt in Ecclesia catholica, negligendo vero bona quæ in illa facta sunt et fiunt ; dum c contra apud se tantum bona videre præsumunt. Insuper mala quæ decursu temporum in Ecclesia catholica contigerunt, exagérant, et quidem contra testimonium evidens historiæ, et iterum mala propria tegunt vel excusant. Ita defectus paucorum quorundam Romanorum Pontificum bucitant et seriem spendidam sanctorum Pontificum tacent ; vitia quorundam clericorum flagellant et innumera bona aliorum prætereunt ; tempora nubilosa Ecclesiæ sublineant et facta clarissima silentio premunt. Argumentatio igitur protestantium est iniusta el invalida.

Tertio protestantes ignorare videntur, defectus quæ in Ecclesia catholica fuerunt, inde contigisse quod homines

1. S. Augustinus, *Enchirid.,* c. lxiv.

contra doctrinam Ecclesiæegerunt, atque huiusmodi defectus ab Ecclesia semper fuisse reprobatos.

Quarto denique protestantes, vantitantes quidem « reformationem » ab ipsis introductam, reformationem veram, factam per Ecclesiam catholicam, prætereunt ; nescire se fingunt, per Ecclesiam catholicam paganos romanos et græcos ad vitam christianam fuisse reductos, populos barbaros Europæ per laborem sæcularem ad meliorem frugem reformatos, mores quandoque depravatos sive cleri sive laicorum mox emendatos, mala decursu temporum illapsa accerrime semper impugnata. Ita Ecclesia tanquam societas ex hominibus constituta sortem quoque humanam subiit, deficiendo quandoque in quibusdam membris suis, tamen ex vi sua sanctifica huiusmodi mala nunquam approbavit, mox impugnavit, data occasione correxit. Atque in hoc præcise vis et efficacia sanctifica Ecclesiæ elucet : tempora quandoque erant periculosa et depravatio morum nimium progressa, at Ecclesia contra omnia pericula sanctitatis mediantibus mediis suis sanctificis populos iterum ad sanctitatem reduxit, etiam maiorem priore, ut præcipue tempore et occasione pseudoreformationis protestanticæ.

Ob. 2. doctrinas varias catholicæ Ecclesiæ tanquam alienas a spiritu et sanctitate Christiana impugnat, sc. doctrinam a) de sacramentorum efficacia ex opere operato, Λ) de confessione auriculari, c) de sacrificio missæ, *d)* de indulgentiis, *d)* de invocatione sanctorum et specialiter de cultu B. Mariæ Virginis.

Hesp. Omnes huiusmodi doctrinæ impugnari possunt et debent prout a protestanticis finguntur ; prout vero in Ecclesia catholica tenentur et in praxim deducuntur, manifeste sanctitatem continent et promovent.

ïïxplic. a) Protestantes Ecclesiæ catholicæ supponunt sententiam, sacramenta per virtutem quandam ab Ecclesia ipsa communicatam homines sanctificare, absque ulla cooperatione hominis. Ecclesia vero catholica docet et ' redit, sacramenta sanctificare ex virtute passionis Christi qua· hominibus per sacramenta rite administrata applicat ur, ita ut homini gratia quidem per ipsum sacramentum tanquam instrumentum conferatur, tamen præsuppositis

quibusdam conditionibus ex parte recipientis, ut (si agitur de adulto) præsupposita fide et dolore de peccatis. Huiusmodi vero doctrina minime aliquid contra sanctitatem sapit, sed e contra ad tramitem doctrinae vere christianæ remissionem peccatorum, gratiæ collationem et salutem Deo et. Christo tanquam causæ effectivæ attribuit. E contra autem doctrina protestantica de iustificatione per solam fidem vel fiduciam, conditiones sanctitatis turn Dei tum hominum negligit.

b) Quantum ad institutum *confessionis,* protestantes (ex incredibili negligentia in inquirenda doctrina catholica) censent, secundum catholicos absolutionem sacerdotalem esse exclusive actum iurisdictionis ecclesiastic®, actum pure iuridicum, ac insuper nullam requiri dispositionem in homine absolvendo. Ecclesia autem catholica tenet absolutionem fieri non posse nisi virtute potestatis a Christo accept® adeoque in virtute passionis Christi et Dei, insuper in pcenitente supponit detestationem peccati cum proposito emendationis et multa alia concomitantia. Certe in toto instituto pœnitentiæ, prout est in Ecclesia catholica, nihil sanctitatem offendit sed omnia illam promovent ac augent. E contra doctrina protestantica de iustificatione vel de salute per solam fidem sanctitatem non promovet, sed impedit.

c) Sanctissimum *misses sacrificium* secundum protestantes censetur habere vim ac valorem ex auctoritate humana sacerdotum vel saltem Ecclesiæ : unde dicunt, in Ecclesia catholica sacrificio Christi in cruce suppleri opus humanum, tanquam causam salutis. Doctrina autem catholica est : sacrificium missa- est renovatio incruenta sacrificii Christi cruenti, ita ut Christus ipse sit sacerdos et hostia, in finem applicationis fructuum mortis Christi et in memoriam ipsius. Quid in hac re habetur non sanctum ? E contra protestantes, tenentes sufficientiam mortis Christi, hoc sensu quasi homini nil faciendum relinquatur, omne studium sanctitatis propri® tollunt.

d) Idem dicendum de *indulgentiis.* Nam Ecclesia in concessione indulgentiarum non remittit peccatum, ut protestantes putant, sed pænam temporalem peccatorum iam remissorum ; et huiusmodi pænam remittit sub conditione

quorundam bonorum operum quæ communiter plures actus virtutum supponunt, et nonnisi applicando merita passionis Christi et corporis eius mystici. Poterant contingere abusus in indulgentiis concedendis et lucrandis, sed institutum ipsum est sanctum et sanctificum.

e) Impugnatio *cultus el invocationis sanctorum,* specialiter B. Mariæ V., proprie defectum spiritus sanctitatis apud protestantes demonstrat. Nam sancti proprie ob reverentiam sanctitatis coluntur, et B. Maria V. proprie ob reverentiam Filii sui divini colitur. Certe protestantes etiam in hac re Ecclesiæ catholicæ doctrinam imputant quæ alienissima est a mente ipsius, ut quod B. Maria V. adoretur, quod sancti aliter quam per intercessionem apud Deum nobis auxiliari possint, et similia.

Itaque generaliter loquendo difficultates protestantium unum tantum probant, sc. per systema et institutum protestantismi media sanctifica a Christo instituta impugnari, per Ecclesiam vero catholicam applicari et ad effectum deduci.

Oh. 3. Historia dogmatum et religionum ostendit, plurima quæ ad cultum catholicum pertinent, ex cultu pagano esse desumpta, ut præcipue in administrandis sacramentis.

Cultus igitur catholicus non est. christianus, sed paganus ; ergo non sanctus.

Hesp. Quædam cæremoniæ, usus liturgici, consuetudines practicæ, imo quædam principia moralia et ascetica et religiosa sunt cultui pagano et catholico communia : materialiter quidem, non vero formaliter.

Explic. Cum Ecclesia Catholica cultum suum instituere inceperit eumque cæremoniis variis exornare, Ecclesia m-l essitate quadam morali usus quosdam iam existentes ad cultum proprium accomodavit : ita basilicas in ecclesias adaptavit, vestimenta sacerdotum paganorum in liturgia adhibuit, cæremonias quasdam usitatas in mysteriis paganis celebrandis transsumpsit, principia quædam paganorum in confirmationem doctrinæ propriæ adduxit ac m praxim deduxit. Id quod ab Ecclesia tum sapienter tum uinctc facium est : sapienter quia sapientis est bonis iam cxislentibus uti, sancte quia in ædificationem populi et ad augendam devotionem factum est. Attamen Ecclesja

in huiusmodi accornodatione res quidem quasdam ct consuetudines paganorum materialiter in proprium usum convertit, sensu autem et significatione et intentione formaliter omnino diversa : ita pagani vestimentis sollemnibus ad cultum falsorum deorum utebantur, Ecclesia vero in honorem unius Dei veri et vivi ; omnino diversa est significatio cæremoniarum in administrandis sacramentis ac in mysteriis paganis ; usus quidam religiosi aliam et aliam rationem habent apud paganos et apud christianos. Deinde huiusmodi res vel consuetudines non proprie ad cultum *paganum* pertinent, sed potius ad religionem naturalem, ut quod Deus vestibus sollemnibus honoretur, quod sacrificium in eius honorem offeratur et alia huiusmodi : religio autem supernaturalis religionem naturalem non tollit, sed supponit et perficit, dum protestantes et increduli vel religionem naturalem negant ac negligunt.

Ob. 4. Populi catholici nationibus protestanticis in honestate morum sunt inferiores ; ergo in catholicisme vis sanctifica deficit.

Resp. Hæc obiectio iuremerito simpliciter est neganda. Forsitan enim quidam populi protestantici divitiores sunt quibusdam populis catholicis, forsitan maiorem habent instructionem civilem, technicam vel litterariam, forsitan potestate civili praecellunt et alia huiusmodi præhabent ; in honestate tamen morum non eminent, praecipue quantum ad ea quæ ad religionem pertinent. Id quod saltem christiano constare debet. Nam inter populos protestanticos vel fides in Christum, immo in Deum deficit ; exercitium virtutum Christianarum languescit ; plura præcepta vel decalogi expresse negantur ; sub velamine honestatis civilis et urbanitatis vitia publica et privata grassantur. Populi vero catholici ad minus fidem Christianam tenent, virtutes Christianas exercent et mandata Domini observant ; vitia' et peccata quæ forsitan committuntur, saltem ut vitia deflenda agnoscuntur et accusantur. Loquor tamen de populis et hominibus qui catholici *sunt* et non tantum vocantur. De reliquo mihi videtur, præiudicium de inferioritate populorum catholicorum post bellum europæum vim suam amisisse.

In confirmationem quædam computationes *statistical*

adducuntur : quæ tamen in nostra quæstione nil probant. Forsitan ostenditur, aliquod peccatum determinatum frequentius committi in una regione quam in alia ; non vero ostenditur, homines illius regionis esse simpliciter peiores.

Præter peccata publica quorum numerus facilius computari potest, sunt peccata et vitia occulta quæ statisticam quidem effugiunt, tamen forsitan frequentius committuntur et homines peiores reddunt. Ita in aliqua terra plures filii illegitime nati numerantur quam in alia ; tamen in alia regione alia peccata contra castitatem et sanctitatem matrimonii committuntur. Et sic in reliquis. Itaque deplorandum quidem est quod etiam inter populos catholicos quaedam vitia grassentur, sicut vel inter discipulos Domini fuit ludas, fur et traditor, tamen generaliter loquendo populi catholici alios præcellunt, fide sc., cultu Dei et vita Christiana, ut supra ostendimus. Ecclesia deniquem vim suam sanctificam etiam in his defectibus ostendit, inculcando viam virtutis et sanctitatis,increpando peccata et vitia, adducendo peccatores ad pænitentiam agendam, reformando denique mores depravatos. Cum Christo enim dicit : « Non necesse habent sani medico, sed qui male habent : non enim veni vocare iustos sed peccatores » (Mc., ii, 17).

ARTICULUS VIGESIMUS QUINTUS

Thesis : Nota catholicitatis Ecclesiæ romano catholicæ competit

I. Prob. 1. Nola catholicitatis hoc importat ut aliqua Ecclesia una existens ; a) sit ubique, *b)* conspicue numerosa, c) mandatum Domini, docendi omnes gentes, exequatur, *il)* vi expansiva polleat. Atqui haec omnia in Ecclesia Romano-catholica manifeste reperiuntur. Ergo.

Maior est ipsa definitio notæ catholicitatis.

Minor proh, per partes.

a) Ecclesia romano-eatholica, *una* existens, est *ubique diffusa :* constat per modum facti obvii, publici, quod rationabiliter negari nequit.

b) Ecclesia romano-eatholica *conspicue numerosa* ubique esi diffusa : iterum de facto obvio et publico ac indubitabili agitur.

Numerusl præsenscalholicorumqui in unione cum Ecclesia Romana vivunt, est evidenter vere conspicuus : circiter 270.000.000. Huiusmodi numerus esi conspicuus *absolute* loquendo inquantum sc. demonstrat Ecclesiam romanam vera quadam et magna maiestate in mundo esse diffusam. Simul est *relative* conspicuus. Primo relative ad alias religiones non Christianas. Nam Judæi sunt 11.037.000, Mohametani 202.048.000. cultus India· veteris 12.113.000, Buddhistæ 120.250.000, Confutiani 235.000.000, Taotistie 32.000.0(H), Schintoistæ 17.000.000, Fetischistæ et alii édntolatræ 141.700.000. Ita religio catholica omnes alias religiones numero superat ac regnum Christi convenienter repræsentat. Similiter Ecclesia Romana in comparatione ad alias ecclesias Christianas præeminentiam numeri habet : nam quasi dimidiam partem omnium Christianorum

I. Computationes sunt approxiinatione. Cf. II. A. Krose St. M. L., 1903. — Ita v. g. photiani secundum Krose essent i In.ono.OOO, secundum R. Jaxin, *Les Eglises orientales* (Paris, 1922) essent 146.000.000.

continet : 270.000.000 ex 550.000.000, dum variæ ecclesiæ schismaticæ simul sumptæ tantum 110.000.000 asseclas habent, illi 150 circiter coetus protestantici autem 167.000.000. Simul Ecclesia Romana in omnibus partibus terræ conspicue est constituta : ut patet ex facto quod fere omnes nationes, etiam illæ quæ adhuc ex maiore parte ad fidem Christi non pervenerunt, per legatos apud S. Sedem repraesentantur. Immo vel in ipsis regionibus in quibus aliquando protestansimus quasi dominabatur, numerus catholicorum in dies crescit : ita in Britannia maiori, in Germania, in HolIandia, in Helvetia.

c) *In Ecclesia romana mandatum Domini* : « Euntes docete omnes gentes, docete eos servare omnia quæcumque mandavi vobis » (Mt ., xxviii, 19 s.) *digne, sancte* et *fructuose* peragitur : quamplures ordines et congregationes religiosæ; societates missionum (circa 450) numerum præclarum missionariorum ad gentes diversas mittunt, ipsi missionales zelum vere infatigabilem explicant et labores quasi incredibiles sustinent, Ecclesia ipsa per Congregationem « *De Propaganda fide* » totum opus sapientissime dirigit, fructus, non obstantibus difficultatibus summis et variis, benedictionem evidentem Dei demonstrant, non raro vel miraculis comprobatam1.

d) Ecclesia catholica-rornana vi expansiva pollet. — Ex historia constat, Ecclesiam catholicam inde a temporibus Apostolorum vi expansiva mirabili mox per totum imperium Romanum fuisse diffusam, transiisse ad populos barbaros, insurgentibus hæresibus conservasse primatum numericum, in medio ævo occupasse quasi totam Europam, deficientibus populis diversis per schisma orientale et per hæresim protestantismi salvasse fidem maioris partis Europæ, mox in America latissime extendisse nomen et regnum Christi, in quasi omnibus nationibus cum fructu vario sed evidenti munus propagationis fidei exercere : eu vis expansiva et vitalis Ecclesiæ romanæ !

I. Cl'. Herder's Konversations lexikon, vi3, v. *Missiondit· Kath. Mission* (ibi eliam de missionibus protestanticis). Calendario délié missioni cattoliche, Roma, 1925 (Esposizione missionaria Vaticana).

2. Huiusmodi catholicitas romana est :

a) Formalis quia una eademque ecclesia ubique diffusa est, in identitate fidei, cultus et regiminis, ita ut proprie Ecclesia Christi ubique diffusa appareat ;

b) Consequitur ex ipsa constilutione Ecclesiæ catholicæ, quippe quæ ex natura sua ad nullum populum determinaluni, ad nullum tempus particulare, ad nullam conditionem hominum limitatur, et simul quæ per media et auxilia, sibi propria semper latius sese extendit.

c) Est *effectus supernaturalis* et iniraculosus, uti patet ex iis quæ de unitate et sanctitate Ecclesiæ catholicæ diximus : quo maior enim est diffusio Ecclesiæ catholicæ, eo maius miraculum est unitas, et quo latior patet Ecclesia catholica, eo copiosior operatio gratiæ divinæ supponitur.

Merito igitur Concilium Vaticanum Ecclesiæ roinanæ « admirabilem propagationem » et « catholicam unitatem » tanquam motivum credibilitatis et testimonium divinæ institutionis irrefragibile adducit (S. III, c. m, Denz., 1794).

II. Obiectiones. — *Prima* obiectio ex defectionibus procedit quæ temporibus succedentibus in Ecclesia Romana contigerunt. Iain in antiquo tempore plures ecclesiæ ob varias hæreses ab unitate Ecclesiæ defecerunt (Arianismus, Nestorianismus, Monophysitismus), per schisma orientale magna pars Christianorum ab Ecclesia romana separata est, per mahometanismum quasi tota Asia minor et alia partes ecclesiæ interierunt, per protestantismum quasi periculum existentiæ creabatur, tempore schismatis occidentalis exigua tantum pars vero romano Pontifice adhæsit, cæteris excommunicatis adeoque extra Ecclesiam constitutis, per incredulitatem et indifferentismum modernum multi qui catholici esse videntur, revera ab fide defecerunt.

Besp. Cunctæ huiusmodi defectiones catholicitatem Ecclesiæ catholicæ minuere quidem aliquo modo, non tamen solvere potuerunt. Defectio enim quorundam sive singulorum sive populorum decursu temporum est omnino naturalis (cum homines facile inspirationi gratiæ et obligationibus religionis non satisfaciant ac inde deficiant).

Huiusmodi defectiones diffusionem quidem Ecclesiæ

minuunt, catholicitatem tamen non tollunt nec ei opponuntur, dummodo Ecclesia, non obstantibus defectionibus, retineat diffusionem generalem, proportionatam sc. ad conditiones illius periodi : ita enim vel maxime eius vis resistiva ac vitalis ostenditur, maxime si partes deperditas novis incrementis compleat. Atque ita factum est in Ecclesia catholica : in summis defectionibus maiestaticum semper numerum consérvavit, immo incrementa nova et uberiora accepit. Inde defectiones quæ in Ecclesia temporibus succedentibus contigerunt, unum tantum probant, sc. Ecclesiam tanquam societatem ex hominibus constitutam, sortem societatis humanæ quoque subiisse, incolumi tamen remanente promissione divina : « portæ inferi non prævalebunt adversus eam ».

In particulari sequentia sunt notanda. Cum per schisma orientale magna pars Christianorum ab Ecclesia separaretur, multi populi Europæ ad fidem catholicam conversi sunt ; cum protestai!tismus clades faceret, Ecclesia catholica in America dilatata est ; cum sub influxu protestantismi et philosophiæ modernæ incredulitas et indifferentismus incresceret, Ecclesia tamen catholica in variis terris aucta et dilatata est. Quantum vero ad tempus schismatis occidentalis, constat, omnes fideles utriusque obædientiæ corde et animo, mente et merito Ecclesiæ catholicæ fuisse filios[1]. Certe nulla obædientia ecclesiam separatam constituit, separatam sc. ab Ecclesia catholica : unde difficultas cessat.

Altera obiectio ex proprietate Ecclesiæ romanæ procedit. Opponitur : Ecclesia romana ex eo quod est romana, habet limitationem catholicitati oppositam; simul Ecclesia romana culturam spiritualem quandam determinatam repriesental, sc. græco-romanam antiquam, culturam mediævidem, scientiam scholasticam, theologiam thomistieam, linguam latinam etc. : quæ omnia determinationem quandiim important et catholicitatem ex natura rei excludunt.

//{es//. Haie omnia demonstrant, Ecclesiam catholicam

[1] Confirmatur per factum quod in ulraque obedientia magni üimi'li oxttterunt, sicut in obedientia romana S. Catharina Sen. et in uſiu S, Vincentius Kerr.

successu temporum formas concretas et historicas induisse ; simpliciter tamen negandum est, huiusmodi formas ad catholicitatem oppositionem habere.

Explic. Ecclesia catholica dicitur romana, non quasi ad solam urbem Romam sit limitata sed quia Roma est ecclesia principalis et sedes capitis Ecclesiæ : id quod certe diffusionem Ecclesiæ per orbem terrarum non excludit.

Quantum ad culturam antiquam et mediævalem dicendum est, omnem culturam veram ac bonam esse compatibilem cum Ecclesia catholica, et in hoc præcise characterem universalem Ecclesiæ apparere. Optimo tamen consilio ducta et insuper necessitate quadam coacta, Ecclesia temporibus antiquis eam formam culturæ accepit quæ erat in illo tempore dominans et excellens : qualis fuit cultura græco-latina ; iisdem ex rationibus in medio ævo novas formas vitæ socialis amplexa est ; tamen etiam culturæ modern» multis in rebus sese accomodavit. Idem dicendum est quantum ad scientiam aristotelicam-scholasticam-thomislicam : quam sc. Ecclesia tanquam veram et aptam quoad sententias et formam approbavit.

Ob. 3. Moderni communiter catholicitatem Ecclesiæ romano-catholicæ ob id negant quod sit *exlusiva,* i. e. quod plures doctrinas aliorum Christianorum excludat, quod « spiritum » multorum populorum, ut c. g. germanicorum, negligat ac « spiritum » populorum tantum latinorum sequatur, quod minime causam omnium sed unius vel alterius tantum partis agat, quod denique discrepantes voluntates temporis præsentis in unum colligere amplius non valeat[1].

Resp. Hæc obiectio conceptum omnino falsum catholicitatis supponit. Ecclesia enim catholica vel universalis dicitur inquantum una existons ubique diffunditur, tum de iure tum de facto, non vero ac si universas doctrinas voluntatesque hominum et nationum materna quadam cæcitate in sinu suo complectatur. Talis conceptus catholicitatis non tantum non est verus sed manifeste ideæ fundamentali Ecclesiæ eiusque fini, voluntati expressæ

1. Ita præsertim in Germania opponunt, ut Foerster, Heiler el alii.

Christi ac denique sanæ rationi contradicit. Ecclesia non est instituta ut sit mater et patrona erroris et peccati, neque ut sit magistra secundum desideria hominum « pruriens auribus » sed ut doctrinam sanam proponat *(// Tim.,* iv, 3).

Ob. 4 ex analogia cum sorte aliarum religionum procedit. Sunt enim qui dicunt : sicut olim religio pagana in imperio romano religioni christianæ resistere non potuit, ita religio catholica inclinationi modernæ quae ad positivismum, naturalismum et atheismurn tendit, aliquando cedere oportet. In argumentum adducunt defectionem classium superiorum, statuum modernorum, scientiæ et literaturæ. Inde concludunt, religionem catholicam sicut olim religionem ethnicam *ad quendam statum, paganismi,* sc. ad agricolas vel quosdam simplices, reduci.

Resp. Concedimus, immo affirmamus, summa pericula pro fide Christiana conservanda imminere. Ipse Dominus prædixit : « Surgent pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi » (Mt., xxiv, 24; cf. Lc., xvin, 8). Et Apostolus scribit : « Spiritus manifeste dicit quia in novissimis temporibus discedent quidam a ficle, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum » (/ *Tim.,* iv, 1). At similiter indefectibilitas Ecclesiæ promissa est usque ad finem mundi (cf. supra art. 31). Licet igitur multi defecturi sint a fide et ab Ecclesia, ipsa tamen stabit conspicue diffusa per orbem terrarum, sicut el in præcedentibus periculis et calamitatibus : « spes autem impiorum peribit » *{Prov.,* x, 28).

ARTICULUS VIGESIMUS SEXTUS

Thesis : Nota apostolicitatis Ecclesiæ catholicæ competit

I. Argumenta. — *Prob.* 1. Nota apostolicitatis alicuius Ecclesiæ identitatem illius Ecclesiæ cum Ecclesia Apostolorum, et quidem per publicam, legitimam et ininterruptam successionem pastorum importat.

Atqui huiusmodi identitas et successio Ecclesiæ catholicæ competit. Ergo.

Minor probatur.

a) Ex historia constat, Ecclesiam catholicam esse *continuationem* publicam, historicam, pacificam atque legitimam Ecclesiæ Apostolorum. Quodsi enim, incipiendo a nostro tempore, in historia recedimus, in unaquaque periodo Ecclesiam catholicam reperimus tanquam continuationem ecclesiæ præcedentis, usque ad tempus Apostolorum ; similiter, incipiendo a tempore Apostolorum, subsequens Ecclesia catholica tanquam continuatio et successio legitima Ecclesiæ Apostolorum apparet et admittitur. Ita Didache Ecclesiam tanquam ecclesiam Apostolorum supponit (per totum) ; Clemens Romanus expresse Ecclesiam tum roinanam tum Corinthiorum tamquam continuationem legitimam Ecclesiæ Apostolorum tradit (c. x l ii, 44) ; Tertullianus et Irenæus ex apostolicitate Ecclesiæ catholicæ tanquam ex concesso contra gnosticos argumentantur[1]. S. Augustinus agnoscit Ecclesiam « quæ ab illorum (i. e. Apostolorum) temporibus per episcoporum successiones certissimas usque ad nostra tempora perseverat[2] ». Certissime in tota antiquitate Ecclesia catholica tanquam continuatio et successio Ecclesiæ Apostolorum agnoscebatur, tum ab ipsis catholicis, tum ab hæreticis tum vel a paganis : ad modum sicut nos e. g. Italiam anni

1. *De præscripl., c.* xxi, ss. ; *Adv. hær.,* in, l ss.
2. C. *adv. leg.,* l. I, c. xx, 39.

1925 tanquam continuationem et successionem legitimam Italiæ anni 1870 admittimus èt recognoscimus.

b Veler.es, ut Tertullianus, Cyprianus, Augustinus (l. c.) maxime in successione certissima *episcoporum* a tempore Apostolorum instant : quale factum per historiam tum singularum Ecclesiarum tum variorum schismatum tum per catalogos episcoporum, tum maxime per consensum fidelium comprobatur : nullus enim episcopus admittebatur nisi ratione successionis legitimae.

c) Principale argumentum stat in successione certa *episcoporum Ecclesiæ urbis romanæ.* Hegesippus testatur : « Romam cum venissem, episcoporum catalogum confeci usque ad Anicetum. Post obitum deinde Aniceti successit Soter quem excepit Eleutherus[1] ». Irenaeus expresse seriem episcoporum romanorum (xn) usque ad Eleutherum exhibet[2]. »

Ita facillime series romanorum Pontificum usque ad Pium XI feliciter regnantem texitur. Huiusmodi factum quam maxime continuationem legitimam et ininterruptam Ecclesiæ Apostolorum in Ecclesia catholica ostendit, cum romanus Pontifex sit caput totius Ecclesiæ et illi soli episcopi tanquam legitimi agnoscantur qui in communione cum ipso vivunt (de qua re in tractatu de romano Pontifice). Unde iam Augustinus dicit : « Tenet me in Ecclesia, ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsenten episcopatum successio sacerdotum » (C. ep. fund. 4).

Itaque triplici facto generali constat Ecclesiam Apostolorum continuari in Ecclesia Romana. Et notandum est, huiusmodi continuationem Ecclesiæ et successionem episcoporum, præcipue romanorum Pontificum, constare non tantum ex documentis historicis scriptis sed quam maxime ex consensu totius Ecclesiæ et quidem ex consensu per obædientiam, immo per totam vitam çhristianorum comprobato.

Prob. 2. *Per argumenlum ex præscriplione. — Prænolamen.* — Apostolicitas identitatem cum Ecclesia Aposto-

1. *Apud Eusebium, Hist, ecci.,* iv, 22, 3.
Adu. Hær., m, 3, 3.

lorum importat, tum materialem tum formalem. Identitas *formalis* proprie per successionem legitimam probatur, quia per eam potestas qua hodie Ecclesia regitur ct administrantur sacramenta, est numerice identica cum potestate Apostolorum. Identitas vero *materialis* Ecclesiæ nostri temporis cum Ecclesia Apostolorum triplici via probari potest.

Primo quidem identitas materialis iam *ex successione legitima* patet : nam quidquid potestas legitima in Ecclesia determinaverit, ex ipso mandato et promissione Christi erit legitimum atque voluntati Christi et institutionibus Apostolorum consonans. Ita in societate civili decreta potestatis legitimæ, licet quasdam mutationes inducant, tamen naturam et. proprietatem societatis non tollunt ; similiter manente anima in corpore, mutationes contingentes in corpore vel in anima, identitatem personæ et corporis non mutant :ita manente in Ecclesia potestate legitima, i. e. apostolica, ex constitutione Ecclesiæ et institutione Christi identitas quoque materialis Ecclesiæ servatur et constat.

Secundo identitas materialis probari potest in particulari et directe. Consideranti enim doctrinam Apostolorum et Ecclesiæ temporis præsentis vel præteriti facile constabit identitas, saltem in principalibus principiis, ut e. g. circa existentiam Dei creatoris, circa divinitatem Christi et salutem per eius passionem, circa finem hominis et varia media ad eum consequendum. Tamen hac via procedendo, vix in argumento ex notis stamus, eum huiusmodi identitas in particulari non sit factum obvium, præsertim quantum ad quæstiones vel differentias difficiliores, dc quibus inter diversas ecclesias disputatur.

Tertio optime tamen identitas materialis generaliter comprobatur *per argumentum praescriptionis.* Vocamus autem argumentum præscriptionis non tam illud quod ex longa possessione ducitur (ut fit in quæstionibus possessionum), sed argumentum quod mediante principio quodam generali et communi conficitur quo sc. aliqua res indirecte probatur. lamvero hoc modo procedendo identitas quoque materialis, i. e. in doctrina, cultu et forma regiminis, facile et obvie constat.

Arg. Probari nequit, Apostolorum doctrinam, cultum et regimen in Ecclesia catholica fuisse mutatam. Ecclesia igitur certa possessione veritatis et doctrinæ apostolicæ gaudet.

Ubi *nola :* Mutatio doctrinæ, cultus et formæ regiminis apostolici in Ecclesia catholica probari non potest, non tantum propter defectum *negativum* argumentorum vel documentorum, sed maxime quia facta et documenta historica, simul tamen tota vita publica Ecclesiæ, huiusmodi probationem excludunt. Quodsi autem mutatio in doctrina, cultu et regimine Ecclesiæ contigisset, ea in documentis historicis et in vita publica Ecclesiæ manifeste appareret et stricte probari posset : ita mutationes vel potius defectiones a doctrina apostolica quæ in arianismo, nestorianismo, in schismate græco vel in reformatione protestantica acciderunt, manifeste in historia Ecclesiæ apparent et facilime probantur. Immo vel novimus quæstiones quasi omnes circa doctrinam, cultum et formam regiminis.

Protestantes quidem summo cum studio et ope totius scientiæ historicæ hypot heses varias statuerunt ad probandam « originem Ecclesia* catholicæ », sc. evolutionem et mutationem qua mediante ex ecclesia apostolica orta esset Ecclesia « catholica ». Tamen vel huiusmodi hypotheses indirecte apostolicitatem Ecclesiæ catholicæ comprobant. Nam *primo* sunt maxime inconstantes. Olim protestantes affirmabant, Ecclesiam ctholicam in medio ævo fuisse corruptam, sc. per aristotelismum et S. Thomam ; modo necessitate coacti hanc sententiam reliquerunt et dicunt communiter, Ecclesiam catholicam ortam esse decurrente sæculo secundo ; alii tamen vel Apostolos de corruptione doctrinæ evangelic® accusant. *Secundo* diversæ sententiæ inter se discrepant : unusquisque enim historicus aliam et aliam evolutionem statuit. Harnack enim putat Ecclesiam catholicam ortam esse ex influxu philosophiæ græcæ et rx mutatione officii oeconomorum in munus hierarchicum ; Seeberg hierarchiam ex ludæismo introductam censet, hoofs et alii originem paganum docent, Modernistæ necessitates psychologicas adduccunt et alii aliter et aliter rem explicant. *Tertio* denique omnes huiusmodi hypotheses evidenter contra documenta historica peccant, invertendo

sc. eorum sensum genuinum et negando facta a testibus tide dignis asserta et testificata : nec aliam denique invenies rationem quam hanc : res non potuit ita se habere sicut catholici et sicut documenta exhibent. Hypotheses igitur protestanticæ de origine Ecclesiæ catholicæ nullius sunt valoris : relicta veritate de origine apostoloica Ecclesiæ catholicæ in vanum eius originem alio modo explicare conantur1.

Confirmatio argumenti ex præscriptione. — a) Ecclesiæ antiquæ, ab Ecclesia catholica dissidentes, ut præsertim ecclesia schismatica græca, in sua constitutipne generaliter cum Ecclesia catholica consentit, specialiter quoad ea quæ a protestanticis tanquam effectus evolutionis historic» statuuntur, ut quoad hierarchiam, sacramenta, etc.

b) In omnibus Ecclesiis quæ successu temporum ab Ecclesia catholica sese separaverunt, ratio seccessionis et mutatio sive doctrinæ sive praxis traditæ facile constat; ita ut Ecclesia catholica ut prior et tanquam in possessione appareat.

Itaque Ecclesia catholica vi totius suæ historiæ se tanquam apostolicam exhibet : sicut aliæ ecclesiæ vi suæ historiæ defectionem propriam ab Ecclesia Apostolorum comprobant.

Prob. 3. Huiusmodi *apostolicilas Ecclesiæ catholicæ in ipsa eius constitutione fundatur,* ita sit vera eius proprietas. Nam doctrina maxime fundamentalis Ecclesiæ catholicæ statuit, nullam potestatem in Ecclesia esse admittendam nisi earn quæ a Christo Domino Apostolis fuerit collata, nullam doctrinam esse credendam nisi quæ per Christum et Apostolos tanquam revelata fuerit edocta, nihil esse immutandum circa cultum et formam regiminis ab Apostolis institutam : inde enim in Ecclesia catholica tanto studio et cura successio legitima observabatur et doctrina tradita custodiebatur.

Prob. 4. *Catholicilas Ecclesiæ calholicæ est proprie effectus supernaluralis.* Secundun enim conditionem pure humanam fieri non potuit quin decursu tanti temporis, in tot diversis nationibus, sub tot diversis culturis et conditionibus tem-

1. Cf. quæ supra, a. 5-10 exposuimus.

porum, occurentibus tot difficultatibus, Ecclesia catholica identitatem fidei, cultus et regiminis, simul ac successionem ininterruptam ac legitimam servasset. Unde Cone. Vaticanum merito ad « invicatam stabilitatem » Ecclesiæ catholicæ appellat.

IL Obiectiones. — Argumenta adversariorum contra apostolicitatem Ecclesiæ catholicæ ad sequentia reduci possunt.

1. Quoad *fidem :* Ecclesia catholica plura tenet dogmata quæ ab Apostolis non edocentur.

2. Quoad *callum :* si cultum et praxim christianam primi temporis cum cultu et praxi temporis præsentis comparas, maximam invenies differentiam.

3. Quoad formam *regiminis :* Ecclesia Apostolorum habet formam regiminis familiarem vel patriarchalem, dum in Ecclesia catholica hierarchia dominatur.

4. Quoad *successionem :* in Ecclesia catholica multæ, immo quasi omnes ecclesiæ particulares vel non sunt originis apostolicæ vel successione ininterrupta carent.

5. Quoad immutabilitatem : nihil probat *mutationes plurimas insensibililer* non accidisse.

6. *Generaliter :* tota forma Ecclesiæ catholicæ præsentis speciem alterius Ecclesiæ quam apostolicæ menti ingerit, immo decursu temporum Ecclesia catholica alias et alias formas induerat.

Hesp. a) *Generaliter :* Omnes huiusmodi obiectiones falsum conceptum apostolicitatis supponunt : sc. quandam immutabilitatem absolutam quæ omnem profectum, omnem evolutionem, omnem maiorem perfectionem excludit, ita ut Ecclesia ut sit apostolica, omnes formas Ecclesiæ Apostolorum conservare debeat. Id quod est contra sanam rationem apostolicitatis et contra naturam Ecclesiæ ipsius. Apostolicitas enim identitatem quidem fidei, cultus et regiminis importat : profectus tamen in cognitione fidei, in explicatione cultus, in evolutione sociali Ecclesiæ non excluditur, dummodo eadem fides, idem cultus et eadem forma regiminis servetur. Obiectio adversariorum eo minus intelligi potest quo ipsi magis in necessitate progressus insistunt. Similiter obiectiones contra naturam vel

rationem Ecclesiæ peccant. Nam Ecclesia ut societas veri nominis vi naturæ suæ latissimum progressum, explicationem, evolutionem admittit, salva identitate tum formali tum materiali. Tta omnes societates, præsertim tamen maiores, ut societates civiles, multifariam evolutionem ostendunt, manente tamen identitate societatis ; similiter idem homo quam plurimas mutationes subire potest, manente identitate personæ. Obiectiones igitur adversariorum unum tantum probant, Ecclesiam sc. catholicam non esse institutum quoddam mortuum, sed e contra organismum vitalem, atque decursu temporum mirifice progressam esse atque sese explicasse, manente tamen identitate, : ex quo apostolicitas eius maiore luce splendet.

In *particulari* respondetur :

1. *Quoad fidem :* Ecclesia succedentibus temporibus nova dogmata definivit quæ tamen ab Apostolis docentur, sive explicite sive implicite, sive per sacram Scripturam sive per traditionem : ita Ecclesia suis definitionibus tantum doctrinam apostolicam successive proposuit, explicavit et determinavit[1].

2. *Quoad cultum :* cultus et praxis vitæ christianæ a tempore Apostolorum usque ad nos incrementa mirabilia accepit, illuminante gratia Dei et coopérante pietate et zelo tum pastorum tum fidelium ; præsentim exercitia pietatis valde multplicata sunt : totus tamen progressus in iisdem fidei principiis fundatur et eadem media salutis tenet ac cultus in Ecclesia Apostolorum, tantummodo applicata ad consequentias, e. g. in cultu sanctorum.

3. *Quoad formam regiminis :* certe in primitiva Ecclesia quædam familiaritas inter christianos vigebat quæ cum incremento communitatum ex parte cessavit ; tamen etiam Apostoli ex potestate hierarchica Ecclesiam regebant (cf. supra a. 7-9; 13-15) nec hierarchia nostri temporis in Ecclesia proprie dominatur, sed potius utendo sua potestate fidelibus et Deo servit.

4. *Quoad successionem :* Maior quidem pars ecclesiarum particularium hodie existentium vel non est originis apostolicæ, in sensu historico, vel habet successionem ali-

1. Cf. infra a. 68 et R. Schultes, *Introductio in historiam dogmatum.*

quando interruptam ; apostolicitas autem illa quæ est nota, est primario et proprie attributum Ecclesiæ *universalis;* ecclesiæ vero particulares in illo attributo participant inquantum eum Ecclesia universali vel cum eius capite communicant. Unde nihil obstat quin aliqua Ecclesia particularis aliquando ab Ecclesia apostolica defecerit et postmodum iterum ad illam pertineat. Ita etiam in societatibus civilibus aliqua provincia aliquando ad aliquod regnum pertinebat, postmodum ad aliud regnum et iterum ad primum regnum : sicut Alsatia primo ad imperium germanicum pertinuit, postmodum ad regnum Gaïliæ, deinde ad novum imperium germanicum et nunc iterum ad républicain Galliæ. Sola ecclesia urbis Romæ inter ecclesias particulares habet promissionem successionis ininterruptæ.

5. *Quoad mutationes insensibiles :* absque omni dubio mutationes insensibiles in Ecclesia quotidie contingunt ; attamen mutatio fidei, cultus et regiminis non potest contingere insensibilité!· : ita in corpore humano quotidie mutationes insensibiles contingunt, tamen homo non potest incidere in morbum gravum vel mortem subire quin id sentiatur. Ita etiam in Ecclesia omnes mutationes cuiuscumque momenti maxime sensibiles erant, ut historia Ecclesiæ et historia dogmatum comprobant.

6. *Generaliter :* certe Ecclesia catholica succedentibus temporibus alias et alias formas induit-sufficit considerare diversorum temporum theologiam, cultum, vitam et leges ; attamen huiusmodi variationes ipsam Christi et Apostolorum fidem, cultum, et regimen explicant, applicant et exequuntur. Atque hoc proprie naturæ et officio Ecclesiæ convenit, ut sc. per modum organismi vitalis sese evolvat, conditionibus temporum et hominum se accomodet, omnibus omnia fiat. Immo hæc est proprie laus et gloria Ecclesiæ catholicæ quod summæ varietati temporum, nationum, hominum, conditionum materialium et spiritualium mirifice satisfecit, seipsam magnifice explicavit, progressum enormeindiabuit, tamen intra limites fidei, cultus et regiminis : atque hæc omnia virtus Christi, Apostolis collata, operabatur[1].

1. Id iarn Newman, adhuc protestanticus, postmodum tamen S. R. E. Cardinalis, sentiebat et exponebat in opere : *An Essay of développement of Christian doctrine,* London, 1845.

SECTIO QUINTA

De Ecclesiis in quibus notæ Ecclesiæ Christi deficiunt

Postquam ostendimus, notas verae Ecclesiæ Christi convenire Ecclesiæ catholico-romanæ, et quidem manifeste et formaliter, quæritur qua ratione cæteris ecclesiis quæ se tanquam ecclesias Christi gerunt, non conveniant. Quasdam quidem ecclesias nominasse sufficit, quippe in quibus notæ Ecclesiæ veræ manifeste deficiunt. Huiusmodi sunt sectæ orientales antiquæ : *Nesloriani* qui in montibus Kurdistan ecclesiam chaldæam constituunt (c. 150,000), *Eutychiani* seu *Monophysiiæ* in Syria (Jacobitæ), *Coplæ* in Ægypto, *Abyssinii* et *Armeni* (simule. 8.000.000). Restat igitur quæstio de ecclesiis photianis et protestanticis.

ARTICULUS VIGESIMUS SEPTIMUS

De defectu notarum in ecclesiis photianis

A. Prænotamina. — Quæstio de ecclesiis photianis proprie et formaliter ratione schismatis agitur, quippe cum illæ Ecclesiæ ab Ecclesia catholica separatæ sunt, quia « subesse renuunt Summo Pontifici et membris Ecclesiæ ei subiectis communicare recusant[1]. ».

Ecclesiæ photianæ nomen acceperunt a Photio, patriarcha constantinopolitano, qui a. 880 schisma instituit, sub patriarcha Cærulario a. 1054 conummatum. Ad illas pertinent[2], tanquam ecclesiæ distinctæ et independentes, cum patriarcha, metropolita vel synodo tanquam capite : i. 1. Ecclesia constantinopolitana, 2. alexandrina, 3. antio-

1. S. Thomas, IIa IIae, q. xxxix, a. 1.
2. Cf. A. Hudal, *Die serbisch-orlhodoxe Nalionalkirche,* Graz, 1922, p. 21-98.

chena, 4. Hierosolymitana, 5. insulæ Cypriæ, 6. russica[1], 7. montis Sinai, 8. hellenica, 9. serbiæ[2], 10. roumeniæ[3], 11. bulgariæ (independens ab a. 1872), 12. georgiæ (ab 1918), 13. ukrainiæ (a. 1918). 14. estonica (1. 1920).

Numerus membrorum omnium istrum ecclesiarum est c. 110.000.000 quorum c. 80.000.000 in Russia.

B. Conclusiones.

I. In Ecclesiis photianis deest nota unitatis. — *Prob.*

1. Ecclesiæ schismaticæ *non* sunt *una* ecclesia, sed *plures* (14) *ecclesiæ* independentes vel autocephalæ, quas supra enumeravimus[4].

2. Deest *principium efficax unitatis* : nam ex ipsa constitutione ecclesiarum schismaticarum deest auctoritas cui omnes subesse teneantur. Ecclesiæ enim schismaticæ solum Christum ut caput Ecclesiæ universalis admittunt : unde deest in illis auctoritas socialis et visibilis cui omnes subesse teneantur[5]. Patriarcha eonstantinopolitanis habet

1. Ecclesiæ russicæ simul *raskolniki* adnumerabantur, qui tamen separati fuerunt ab Ecclesia imperiali et iterum in plures sectas dividuntur. De statu præsenti ecclesiæ russicæ mox infra.

2. Ecclesiæ serbicæ nunc coniunguntur metropolis *Carlowitz,* ecclesia *Monlenegrina* et ecclesia *Bosniæ et Herzegovinæ* : quæ, usque ad tempus belli europæi fuerunt independentes.

3. Ecclesiæ Rumæniæ post bellum coniunctæ sunt metropolis *Sibiu* (Hermannstadt) in Transsylvania et metropolis *Czernoviz.*

4. Ecclesiæ photianæ vel, ut seipsas vocant, « separatæ », sese quidem ut unam ecclesiam considerant et singulas ecclesias ut « sorores ». At, licet omnes habeant eandem originem, eandem constitutionem, eadem symbola fidei, tamen nullo modo unam *societatem* ecclesiasticam, unam *Ecclesiam,* unum *regnum* Christi constituunt. Optime d'IlERBiGNY : « divcrsæ illæ ecclesiæ nec subordinantur nec proprie coordinanlur, sed solum iuxlaponuntur » (De *Ecclesia,* u, 9).

Unde defectus unitatis per modum facti publici et notorii constat : habentur enim plures Ecclesiæ autocephalæ sicut in «entente » plures status independentes.

5. Separati quidem præcise ex unitate capitis quod est Christus, sibi unitatem vindicant. At immerito. Nam *primo* caput invisibile unitatem societatis humanæ constituere nequit : secus omnes illi qui Christum tanquam caput admittunt, immo omnes homines qui Deum admittunt, unam societatem constituerent. *Secundo* nota veræ Ecclesiæ importat proprietatem quæ in rerum factis

quidem eminentiam quandam honoris et tanquam repraesentans omnium ecclesiarum consideratur, non tamen est proprie caput illarum nec iurisdictionem propre dictam super alias ecclesias habet. Similiter nec patriarch® simul collecti vel synodi generales auctoritatem super omnes ecclesias habent, tum propter independentiam singularum ecclesiarum, tum quia in ipsa synodo desideratur auctoritas uniens et quæ decretorum vim et executionem urgere possit. Quodsi denique quædam species unitatis apparet, est unitas proveniens a principiis ecclesiæ extrinsecis, utpote a potestate civili (ut in Russia) vel a natione. Inde de facto tot iam sunt ecclesiæ diversæ quot nationes et ultra. Neque novæ divisioni aliquid obstat. Ita in Russia præter « ecclesiam orthodoxam » constitutæ sunt « ecclesia viva », « ecclesia apostolica » et « Renovatio ecclesiastica » et « ecclesia libera operariorum ».

3. *Unita? quæ in ecclesiis photianis adhuc superest, non est effectus supernaturalis neque veram Christi Ecclesiam nolifical. Causa* schismatis fuit aversio nationalis græcorum contra latinos, et maxime contra romanos. *Unitas ecclesiarum singularum* quæ adhuc habetur, est vel mere *nationalis* — unde quasi tot ecclesiæ autocephalæ, quot nationes diversæ, — vel a *poleslate civili* conservatur, ut olim in Russia ; de reliquo signa manifesta decompositionis crescentis apparent, ita ut secundum mutationes politicas variæ etiam novæ ecclesiæ surgant (ut in vetere Russia ecclesiæ Georgiæ, Estoniæ et Ucrainiæ) vel fusiones fiant (ut in nova Rumania et Serbia).

Unitas symbolorum, sacramentorum et formæ regiminis (sc. episcopalis) est unitas quam Ecclesiæ photianæ Ecclesiæ universali debent a qua constitutionem acceperunt ; tamen vel ista unitas est potius statistica, mechanica, exterior. Etenim unitas symbolorum neque apertam incredulitatem membrorum neque varias sectas impedit ; constitutio episcopalis ecclesiarum, quæ ex natura sua ad

apparet, et quidem per modum facti obvii et publici ; iamvero minime constat, ecclesias separatas Christum habere pro capite, i. e. regi a Christo, esse « regnum Christi ». Tota igitur separatorum sententia est petitio principii. Cf. M. d'Herbigny, *L'unité dans le Christ,* Roma, 1923.

unam ecclesiam ordinatur, apud schismaticos facta est occasio et causa divisionis in plures ecclesias.

Itaque in ecclesiis photianis deficit illa « catholica unitas » quæ motivum credibilitatis esse potest.

II. In Ecclesiis schismaticis deest nota sanctitatis. — Ecclesiæ schismaticæ multa quidem media sanctifica ex tempore unionis cum Ecclesia universali retinuerunt, ut symbola fidei, baptismum, Eucharistiam cum sacrificio missæ, liturgiam, sacerdotium, vitam monasticam et alia huiusmodi ; nihilominus *vis el efficacia sanctifica* quæ proprie notam sanctitatis constituit, manifeste desideratur.

1. *Nullum opus speciale* Deus per ecclesias schismaticas operatus est : novi populi ad fidem et vitam christianam per schismaticos non sunt conversi ; sanctitas christiana efficaciter non fuit defensa.

Obicitur quidem quod ecclesiæ schismaticæ mahometanismo et protestantisme restiterunt, quod quædam saltem præcepta ut e. g. ieiunia stricte observantur, quod liturgia magna ‹ uni devotione celebratur et similia. Attamen neque in his manus Dei apparet. Nam mahometanismus proprie ex motivis nationalitatis conservandæ impugnabatur et similiter protestantismus ; præcepta ecclesiastica modo quodam mechanico observantur quin simul fructus observationis appareant ; liturgia quidem sollemniter celebratur atque magna pars populi assistit, at sive in celebranda missa sive in sacramentis administrandis et recipiendis præparatio cordis debita desideratur adeoque fructus proportionatus.

2. Desunt *sancti el opera sanctitatis heroicæ.* Nulla ecclesia schismatica sanctum veri nominis habuit. Illi qui a schismaticis tanquam sancti coluntur, vel ad tempus unionis cum ecclesia catholica pertinent, ut sancti ante schisma vel temporis unionis temporaneæ, vel non sunt vere sancti[1]. Præcipue de sancto Gyrillo et Methodio qui

1. Plures quidem « sancti » in ecclesiis orientalibus vel a populo venerantur vel etiam canonizabantur. At criteria applicata sunt manifeste insufficientia. Nam *primo :* per plura sæcula incorruptio corporis tanquam signum sanctitatis sufficiebat. *Secundo :* non requiruntur vel non existunt miracula ad intercessionem canoni-

a schismaticis in medium adducuntur, constat., eos in unione cum Romano Pontifice vixisse. Coelibatus non habetur in clero saeculari; status monachorum languescit; martyrium deest ; miracula in testimonium sanctitatis non fiunt1.

3. Generaliter per schisma conditio Ecclesiæ et religionis non est meliorata, sed *peiorala :* Ecclesia in institutum Cæsaropapismi vel nationale deflexit, religio ad quasdam functiones liturgicas est reducta, immo ad formas quasdam exteriores ; vis et efficacia sanctifica doctrinæ, sacramentorum et regiminis ecclesiastici deficit. loco vitalitatis fructiferae et sanctificæ status quidam cadaverinis successit, populi slaviei, schismati addicti, licet naturaliter indolis horne, spiritualiter languescunt. Certe influxus schismatis non est talis qui effectum supernaturalem indicet.

4. Si conditio ecclesiarum græcarum ante et post schisma comparatur, manifeste apparet, commutationem pessimam intervenisse : ante schisma ecclesiæ græcæ scientia, virtutibus et sanctis excelluerunt, post schisma stagnatio et sterilitas spiritualis et religiosa. Spiritus Dei in ecclesiis photianis posl, separationem a vera Ecclesia Christi amplius non operatur, nisi forsitan in quibusdam individuis

zati patrata. *Tertio :* pluries aliquis canonizatus deleri debuit, vita eius melius cognita. Cf. Goloubinsky, *Historia canonizationis sanctorum in Russica Eccl.* ; P. Peetebs, *La canonisation des saints dans l'Eglise Russe* in *Anal. Boli.,* xxxm4, p. 406.

1. Sicut iam supra, art. 20, insinuavimus, miracula in ecclesiis separatis non penitus excluduntur. Non quidem fieri possunt in confirmationem veritatis et sanctitatis ecclesiæ soparatæ : fieri tamen possunt quandoque », ut ait angelicus Doctor, » ad commendationem nominis Christi quod invocant » (11, 11, q. clxxviii, a. 2 ad 3) « et in virtute sacramentorum quæ exhibent ». Itaque in ecclesiis separatis miracula quandoque fieri possunt in confirmationem doctrinæ veræ quam confitentur, ut existentiæ Dei, Trinitatis, Eucharistiæ, vel per virtutem baptismatis, Eucharistiæ, extremæ unctionis, vel ad invocationem B. M. Virginis, ss. Angelorum vel sanctorum catholicorum.

Quidquid est de realitate talium miraculorum, in ecclesiis separatio manifeste deficiunt miracula in testimonium veritatis et sanctitatis ecclesiæ separatæ, dum e contra in Ecclesia catholica miracula quæ fiunt, quasi regulariter vel exclusive in testimonium veritatis Ecclesiæ et sanctitatis membrorum Ecclesiæ fiunt.

bonæ fidei. Facillime enim admitti potest, plures vel multos inter schismaticos esse bonæ fidei adeoque ratione baptismi, Eucharistiæ, sacrificii missæ, invocationis B. Mariæ V. et per media similia gratias obtinere indeque sanctificari. Veritas tamen schismatis inde non comprobatur, ut patet[1].

III. Ecclesiis photianis deest nota catholicitatis. — « Græci » quidem quam maxime catholicitatem prætendunt, secundum illud s. Augustini : « omnes hæreticos se catholicos dici velle » (C. ep. fundam., c. iv) : tamen defectus huius notæ manifeste patet.

1. Ipsæ ecclesiæ schismaticæ, etiamsi simul sumptæ, non sunt per orbem terrarum diffusæ, neque physice neque moraliter. Possunt quidem quasi ubique existere quidam schismatici, sed ipsa ecclesia schismatica non est' ubique constituta : ita extra Russiam, Balcanum et quasdam partes Asiæ paucæ tantum extant ecclesiæ schismatic®.

2. Ecclesiæ schismaticæ non sunt *una* ecclesia : unde substratum catholicitatis deficit; ex singulis vero ecclesiis schismaticis nulla est universaliter diffusa.

3. Ecclesiæ schismaticæ intrinsece carent catholicitate, et quidem iam ab origine. Patriarchalus enim constantinopolitanus nunquam fuit ecclesia universalis, sed, ut vel nomen indicat, pars ecclesiæ universalis : unde etiam postmodum nunquam *de iure* poterat fieri universalis. Quodsi patriarcha Cpt. : « œcumenicus » vocabatur, erat titulus et honor ipsi concessus vel ab ipso potius arrogatus. Ecclesiæ vero postmodum constitutæ omnes manifeste et ex vi constitutionis sunt nationales, ut ecclesia serbica, roumena, græca, bulgara.

4. Denique manifeste deest vis expansiva, i. e. deest manifeste *charisma* fidei christianæ diliïundendæ. Omnes ecclesiæ schismaticæ, excepta forsitan ecclesia russica, hodie idem territorium occupant ac in initio schismatis. Russi autem primitus ad fidem conversi sunt per missionaries catholicos et nonnisi sæculo xiii definitive ad

1. Cf. Hud\l, l. c., 98-120; A. Palmieri, λα *chiesa russa;* A.Harnack, *Der Geisl der morgenliindischcn Kirche.*

schisma transierunt : posterior autem diffusio vel propagatio ecclesiæ russicæ non est effectus charismatis divini, sed potestatis, immo tyrannidis politicæ.

IV. In ecclesiis photianis deest nota apostolicitatis. — Ecclesiæ schismaticæ identitatem quidem materialem cum ecclesia Apostolorum in plurimis conservaverunt adeoque cum Ecclesia catholica conveniunt : ita quoad symbola, sacramenta, liturgiam, constitutionem hierarchicam et episcopalem Ecclesiæ ; deest tamen identitas formalis vel *successio legitima,* quæ proprie apostolicitatem constituit.

1. Manifeste constat, schisma photianum fuisse *secessionem* ab Ecclesiae universali : etenim ante schisma ecclesia cpolitana cum aliis ecclesiis communicaverat et proprie *pars* ecclesiæ universalis fuerat. Neque ulla sana ratione opponi potest, alias ecclesias ab ecclesia cpolitana sese separasse : nam aliæ ecclesiæ nunquam ecclesiæ epolitanæ subordinatæ vel pars illius fuerant.

2. Secessio schismatica facta est *contra ius et contra propriam constitutionem* ecclesiæ cptanæ : primo enim ecclesia cpolitana semper admiserat necessitatem communicandi cum cæteris ecclesiis, quippe quia ipsa se tanquam partem Ecclesiæ universalis considerabat ; secundo ecclesia cpolitana sive factis concludentibus sive sententia expressa auctoritatem supremam romani Pontificis et necessitatem communicationis cum eo tenuerat. Utrumque maxime constat ex Conciliis generalibus ante schisma celebratis, quæ sc. sunt concilia Ecclesiæ universalis et in quibus romanus Pontifex ut'caput interveniebat et tanquam caput agnoscebatur, ut præsertim in concilio ephesino, chalcedonensi et epolitano III (680). Id quod græci post schisma etiam admiserunt, sc. in concilio lugdunensi (1274), florentino (1439). De qua re fusius in tractatu de romano Pontifice. Denique tota historia ecclesiæ epolitanæ necessitatem unionis cum Ecclesia Romana vel cum romano Pontifice edocet, ut præsertim tractationes diversæ episcoporum et imperatorum byzantinorum cum romanis Pontificibus. Itaque, quidquid est de natura et ratione auctoritatis romani Pontificis, certe ecclesia epotana secundum ius proprium unionem cum romano Pontifice tanquam necessariam ad

legitimam successionem admisit et per consequens per schisma abrupit atque successionem interrupit1.

3. Inde simul constat, in ecclesiis schismaticis, saltem post schisma, etiam mutationem circa constitutionem ccclesiæ contigisse, inquantum sc. auctoritas romani Pontificis super ecclesiam universam simpliciter negatur et non nisi Christus tanquam caput Ecclesiæ, sc. ut caput invisibile, admittitur. Vix enim fieri potuit quin separatio a romano Pontifice ad negationem auctoritatis eius transiret. Præterea aliae mutationes, ut negatio processionis Spiritus S. ex Patre *Filioque,* negatio purgatorii, doctrina de consecratione per epiclesim successerunt.

4. Denique in tôta quæstione separationis ab Ecclesia romana nil sancti, *nullum vestigium operationis divinrn,* nullum charisma apparet, e contra tota ratio fuit superbia nationalis, repugnantia contra auctoritatem doctrinalem romani Pontificis et ambitio byzantinorum, præsertim Photii et Cærularii. Idem apparet in decursu schismatis : tentamina varia unionis cum Ecclesia Romana non fuerunt sincera, immo græci jugum turearum romanæ tiaræ præferebant. Atque nostris diebus quæstio penitus sub rationibus nationalibus et politicis absolvitur2.

Itaque in ecclesiis schismaticis, propter defectum successionis legitimæ, virtus et assistentia divina Apostolis a Christo promissa amplius non operatur : inde deest vigor apostolicus, vis catholica, efficacia sanctifica et unitas ecclesiastica.

C. De unione ecclesiarum orientalium cum Ecclesia Romana. — Ecclesiæ igitur photianæ non sunt vera Ecclesia Christi, non sunt illud regnum de quo Evangelia loquuntur, sed proprie ecclesiæ separatæ a vera Christi Ecclesia. Atque sancta mater, Romana Ecclesia, nunquam

]. Immerito aliquis auctor gerrnanicus opponit, auctoritatem romani Pontificis nondum fuisse *de fide.* Gerte enim nondum facta fuit aliqua definitio *solemnis·,* præsertim ratio et vis auctoritatis romani Pontificis nondum fuit solemniter determinata ; attamen ex magisterio ecclesiæ *communi uel ordinario* et ex praxi sæculari necessitas communionis et subiectionis erga romanum Pontificem tanquam ad constitutionem divinam Ecclesiæ pertinens tenebatur.

2. Cf. Schanz, *Apologie,* IIIs, p. 197 ss.

desiit invitare separatos ut ad matrem redirent, at hucusque obex aderat et adest.

Ecclesia photiana in orationibus quidem liturgicis votum unionis ecclesiarum separatarum graviter exprimit ; at hominum rerumque conditio spem minuit. Rationes principales sunt sequentes, *a)* Ecclesiæ photianæ sunt ecclesiæ nationales, quorum historia intime connexa est cum historia nationis, *b)* Spiritus rector ecclesiarum orientalium est mens byzantins cum suis ideis historicis et tendentiis politicis. c) Præter quæstiones dogmaticas simul differentia iuris et gubernationis magnam difficultatem præbcnt. *d)* Denique evolutio historica plurium sæculorum ecclesias photianas quasi in immensum ab Ecclesia catholica alienavit et dissociavit[1]. At, quod impossibile est hominibus, possibile est Deo. Optimum forsitan medium erit Concilium cecumenicum[2].

1. A. Hudal, Die serbisch-orthodoxe Nationalhirche, 115-120. Idem refert verba periodici *Bogoslovsky Glasnik,* 7 (1908), p. 120: « Desideria unionis remanebunt tantum pia desideria quousque non liniatur impedimentum praecipuum unionis, ædificium superbum papatus » (l. c., p. 117). Aliud periodicum (Slovenski narod, Nov. 1920) post bellum europæum scripsit : « Novum regnum lugoslaviæ victoriam orthodoxiæ super Romam significat. Abiit ultima spes vana curiæ romanæ : unio sc. orthodoxorum » (l. c.).

2. Idem auctor commendat studia et opera historica et comparativa de theologia, de historia, de iure et de liturgia Ecclesiæ catholicæ et orthodoxæ, in hunc sc. finem ut utraque pars ad minus alteram cognoscat. Cf. Theoph. Spacil, *Conceptus et doctrina de Ecclesia iuxta theologiam Orientis separati* (Orientalia christ. 1924) ; M. d'Herbigny, *L'âme religieuse des Busses d'après leurs plus récentes publications,* Roma, 1924 ; *Idem, L'anglicanisme et l'orthodoxie gréco-slave,* Paris, Bloud, 19,22.

ARTICULUS VIGESIMUS OCTAVUS

De defectu notarum in protestantisme

Protestantismus cum teneat Christum nullam Ecclesiam visibilem tanquam societatem veri nominis instituisse, stricte loquendo est extra quæstionem notarum ; cum tamen protestantes tum veteres tum recentiores, licet per inconsequentiam, affirment, se habere veram Ecclesiam Christi, quæstio de notis etiam cum protestanticis agitur. Ecquidem non cum omnibus : multi enim divinitatem Christi negant, immo vel existentiam Dei creatoris : unde cum illis alio modo procedendum est, ut supra notavimus.

Thesis : Notæ veræ Ecclesiæ Christi in protestantismo deficiunt.

1. In protestantismo deest nota unitatis. — 1. Manifeste constat, protestantismum non esse *imam* ecclesiam. Etenim in unaquaque republica alia et alia est ecclesia, immo in una eadeinque republica iterum diversæ sunt ecclesiæ, ad invicem independentes, cum iure, constitutione et capite proprio. Præterea sectæ innumeratæ contra ecclesias publice constitutas se erigunt.

2. Decst *imitas fidei.* Distinguuntur enim lutherani, calvinistæ, zwingliani et sic deinceps quasi in infinitum. Immo in singulis ecclesiis nulla est unitas fidei, etiamsi admittantur quidam articuli fundamentales, quia unusquisque fidem suam sibi ipsi determinat. Denique in singulis ecclesiis vel increduli publici, immo aperti atheistæ tanquam membra legitima admittuntur.

3. Deest *principium* unitatis, sc. auctoritas quæ quæstiones fidei determinare possit. Protestantes quidem ad articulos fundamentales et ad S. Scripturam appellant. At immerito. Nam primo, his non obstantibus, de facto unitas deest, immo articuli fundamentales et S. Scriptura causa sunt divisionis. Secundo articuli fundamentales et

S. Scriptura non possunt esse principium unitatis nisi supposita auctoritate quæ sensum Scripturæ authentice interpretari valeat, ut est in Ecclesia catholica. Denique multi protestantes neque inspirationem neque veritatem Scripturæ admittunt.

3. Principium protestantismi ex natura sua unitatem impossibilem reddit. Principium enim fundamentale est quod unusquisque secundum iudicium proprium vel privatum sibi fidem determinet, sive secundum quod Spiritus S. unicuique suggesserit (veteres Protestantes) sive secundum iudicium scientificum sive secundum iudicium proprie personale (moderni). Hoc principio supposito unitas evidenter impossibilis redditur, sicut et de facto ex hoc principio divisio protestantismi oritur.

4. Unitas illa quæ in protestantisme adhuc repetitur est pure *negativa,* i. e. negatio fidei catholicæ, neque hæc unitas talis est quam Christus expresse promittere et a Patre suo exorare debuit : est enim communis hæreticis, schismaticis, iudæis, incredulis nec non paganis.

II. In protestantismo deest nota sanctitatis. — *Prob.* 1. Nota sanctitatis vim et efficaciam sanctificam alicuius Ecclesiæ importat. Atqui protestantismus, generaliter consideratus, manifeste nec fuit nec. est principium regenerativum vel sanctificativum, sed c contra principium defectus vitæ et religionis christianæ. Ergo protestantismus nota sanctitatis caret.

a) Idque apparet principaliter in ipsis *auctoribus proieslanlismi,* ut in Luthero1, Calvino, Zwinglio et Henrico VIII nec non in aliis protagonistis : qui sc. secundum testimonium historiæ minime ut sancti censendi sunt neque per secessionem ab Ecclesia meliores effecti sunt. Id quod adhuc magis apparet, quodsi auctores « reformationis » comparantur cum sanctis qui reformationi sese opposuerunt, ut e. g. S. Franciscus Salesius.

b) Sicut in auctoribus, ita et in populis qui reformationem acceperunt protestanticam, ut in Germania, Anglia,

1. H. S. Denifle, *Luther und Luthertum*2, 2 vol. ; H. Grisar, *Luther,* 3 vol. ; A. Weiss, *Lulherpsychologic.*

Gallia, incredibilis quædam *degeneratio* vitæ et religionis christianæ consecuta est, concomitantibus seditionibus et bellis quæ magnam Europæ partem per duo sæcula devastaverunt.

c) Sicut in tempore præterito, ita nostris diebus protestantismus *vitam ac religionem Christianam* minime tuetur, sed e contra *diminuit ac destruit.* Protestantismus non tantum fidem, vitam ac religionem in nullo alio populo propagavit, convertendo sc. populos ethnicos, sed e contra inter suos et alios fidem in Christum, immo in Deum labefactavit. Id quod nostris temporibus quam maxime manifestum est. Dum Ecclesia catholica ubique terrarum fidem in Deum, in Christum, in S. Scripturam, vitam ac religionem christianam strenue et efficaciter propagat, tuetur ac defendit, protestantismus e contra fidem supernaturalem quasi penitus relinquit, negat vel existentiam Dei creatoris, divinitatem Christi, immo vel existentiam historicam Christi, ac denique totam religionem christianam quasi ad nihilum reduxit, ita ut David Strauss ad quæstionem : « Num adhuc christiani simus? » merito negative responderit. Totum iam stat in naturalismo, subiectivismo, monismo.

Atque huiusmodi defectus et conditio lamentabilis rei christianæ manifeste « reformationi » tanquam causæ attribuendum est, ita ut protestantismus merito tanquam unum ex summis periculis fidei et religionis christianæ censeatur.

d) Protestantes quidem effectus tristes « reformationis », praçsertim primi temporis, tanquam effectum vel residuum ævi catholici accusant. At per hoc certe vim sanctificam protestantismi minime probant ; e contra inefficacia protestantismi in moribus reformandis manifeste apparet. De reliquo « reformatio » vitia populi, inclinationes nationales pravas ac generaliter declinationem moralem et religiosam antecedentem non tantum non minuebat, sed e contra doctrina sua et auctoritate excusavit, approbavit, ita ut protestantismus proprie medii ævi exeuntis cursum inclinatum ad exitium plenum deduxisse videretur[1].

1. Ita merito H. Denifle, O. P., *Luther und Luthertum* I2, 19, 22 ss., 756.

ul>ie Reformation istnicht eine sittliche Reaktion, sondern wie

c) Denique protestantismus nomine quidem « *reformationis* » gloriatur, at immerito. Neque enim fidem reformavit, sed destruxit ; neque spem in Deum erexit, sed speciem quandam fiduciæ blasphemæ induxit ; neque caritatem inflammavit, neque erga Deum neque erga proximum, sed Deum vel dereliquit vel negavit et loco dilectionis proximi propter Deum amorem humanitarium vel socialem prædicat ; neque S. Scripturam vindicavit, sed principales istius doctrinas ac characterem inspiratum negat ; neque Ecclesiam reformavit, sed in varias communitates humanas dissolvit ; neque denique mores melioravit sed peccata dissimulavit, excusavit ac permisit : quæ cuncta manifesta sunt, videntibus sc. et volentibus.

Prob. 2. Nota sanctitatis comprobationem sanctitatis per signum divinum importat, ad quæ charismata (miracula et prophctiæ), fructus sanctitatis heroicæ ac quædam specialis Dei providentia pertinent. Atqui huiusmodi in protestantisme deficiunt. Ergo.

a) In protestantisme *charismata* supernaturalia, ut praesertim miracula et prophetiæ, penitus desunt. Contra hoc argumentum iam Calvinus non aliter respondere valebat quam : « Quod miracula a nobis postulant, improbe faciunt[1]. »

b) In protestantisme deest *sanctitas eximia et heroica.* Non negamus, inter protestantes multos vitam honestam ducere, munera sua conscientiose implere ac Deum quærere : at huiusmodi bonitas et honestas morum potius effectus sunt animæ naturaliter christianæ, sicut et de facto motiva et media sunt ordinis mere naturalis. Insuper concedendum est, plures protestantes vitam supernaturalem ducere

schon der Name sagi, dor Abschluss des theologischen und Kirchlichen Reformkampfes. Sie ist das Ende eines anderhalbhundertjàhrigen Auflôsungsprozesses » I2, p. 6s. » Die Reformation ist in ihrem wahren Wesen keine Sittenverbesserung, sondern eine Aenderung im Glauben » (l. c. xvi). « *Das Luthertum ist das Vollmass der niedergehenden Strômung das Mittelalters* », l. c. 756*.

1. *Institut.,* præfat. — Similiter Luther et moderni : cf. H. Denifle, *Luther in rationalistischer und christlicher Beleuchtung.* Prinzipielle Auseinandersetzung mit A. Harnack und R. Seeberg. Mainz, 1904.

ac virtutes vere Christianas exercere : ut præsertim constare videtur apud plurimos qui postmodum ad fidem catholicam convertuntur. Attamen in huiusmodi fidelibus duo sunt consideranda, sc. quod sunt bonæ fidei et quod proprie contra principia protestantismi agunt. Denique tamen nulla apparent in protestantismo signa sanctitatis superioris et heroicae, in sensu sc. christiano ; similiter deficit martyrium[1], sc. in sensu christiano[2].

c) Denique in tota historia protestantismi *nullum signum specialis providentiæ et operationis divinae* apparet. Tota res agitur et explicatur per influxum humanismi, per errores theologiae antecedentis, per passiones humanas, per ingerentiam potestatis civilis, per aversionem historicam contra Romam.

Neque valet instantia, per reformationem protestanticam simul ipsam Ecclesiam catholicam fuisse reformatam. Certe enim Deus reformationem non nisi in bonum Ecclesiæ permisit ac Ecclesia, Deo disponente, plura ex reformatione consecuta est emolumenta. Id quod tamen nec protestantismo est attribuendum neque Deus *per* protestantismum Ecclesiam reformasse dicendus est. E contra Deus per « reformationem » Ecclesiam prius visitavit ac castigavit, deinde tamen Ecclesiam catholicam illuminavit ac confortavit ut defectus tum proprios tum aliorum vitaret ac emendaret et in maiorem gloriam ascenderet.

Prob. 3. Ad notam sanctitatis pertinet quod aliqua ecclesia nec media sanctitatis a Christo instituta respuat

1. Quæ de duobus martyribus in Uganda referuntur, facile explicantur : quippe cum ilii proprie pro fide in unum Deum et in Christum martyrium subierunt, non vero pro protestantismo ut tali.

2. Plures quidem protestantes propter fidem suam plura pertulerunt, quidam etiam mortem obierunt, quin tamen signa *veri* martyrii apparerent. Nam a) illi qui passi sunt, communiter non lautum ob fidei professionem, sed simul ob *alias causas* passi sunt, ut ob rebellionem contra auctoritatem publicam, ob vim per arma illatam, ob sermones pacem perturbantes et ad vitia excitantes, ut ex historia facile constat ; *b)* passio vel mors suscepta est in testimonium iudicii vel convictionis propriæ, non vero in testimonium lidai, *ob auctoritatem Dei revelantis ; c)* denique deficiunt communiter conditiones concomitantes verum martyrium, ut oral io, humilitas, caritas.

nec talia inducat quæ sanctitati a Christo intentæ contrariantur. Atqui utrumque fit in protestantismo. *Prob, per paries.*

) *Quoad doctrinam :* protestantismus plura reicit quæ Christus docuerat, ut ieiunium et alia opera mortificationis, virginitatem, consilia evangelica ; permittit quæ Christus prohibuit : divortium ; negat fundamenta doctrinæ et vitæ christianæ, præsertim per doctrinam de servo arbitrio, de inutilitate operum bonorum, de inamissibilitate iustitiæ. Maxime vero principium de iustificatione per solam fidem totam vitam Christianam subvertit. Denique vix est aliqua doctrina Evangelii quæ in protestantismo succedente tempore non fuerit diminuta, defigurata, perversa : idque præcipue quia protestantismus pravis inclinationibus hominum facile cedit[1].

) *Quoad cultum* : protestantismus plura sacramenta a Christo instituta reiecit ; ea quæ retinuit vi sua destituit, ut baptismum et eucharistiam ; liturgiam qua mens hominum mediantibus caeremoniis sensibilibus ad invisibila erigeretur, vix non totaliter abolevit.

c) *Quoad regimen :* ministri protestantici quasi omni potestate et auctoritate sociali sunt destituti — id quod ne in minima quidem societate accidit, — nulla præparatione speciali ad ministerium divinorum præparantur, per abrogationem coelibatus curis et distractionibus sæculi implicantur[2]. Denique, ut optime notat Van Noort, leges disciplinares ad cultum Dei regulandum sat paucæ habentur, ad fovendam pænitentiam et mortificationem quasi nullæ[3].

Prob. 4. *Defectus* efficaciæ sanctificæ est protestantismo *intrinsecus :* fundatur enim in principio de iustificatione per solam fidem. Per huiusmodi principium totus ordo supernaturalis subvertitur, media sanctitatis a Christo instituta removentur, subiectivismo aditus patet ac denique

1. Balmes, *Protest.,* c. XXV.

2. Non pauci quidem protestantes reformationem extollunt ea ratione quod ministris ecclesiæ coniugium reddiderit (« Das protestantische Pfarrhaus ») : at certe Christus non ad hoc de cœlo in terram descendit ut ministri Dei uxores ducere possent.

3. *De Ecclesia Christi,* n. 143.

religio Christiana positiva tanquam indifferens declaratur. Inde protestantismus hodiernus homines cuiuscunque sententiæ admittit, etiam tanquam ministros, exceptis tantum catholicis.

III. In protestantismo nota catholicitatis deficit.

Protestantismus si collective accipitur, numerum quidem conspicuum asseclarum habet;at nihilominus minime nota catholicitatis potitur.

1. Protestantes non constituunt *unam Ecclesiam* quæ ubique diffundatur ; singulæ veræ ecclesiæ vel communitates protestanticæ ad regionem determinatam restringuntur. Valet hic dictum S. Augustini : « Non omnes hæretici per totam faciem terræ,sed tamen hæretici per totam faciem terræ : alii hic, alii ibi, nusquam tamen desunt... Alia secta in Africa, alia hæresis in oriente, alia in Ægypto, alia in Mesopotamia verbi gratia : diversis locis sunt diversæ[1]. »

2. Deest *vis expansiva.* — Nullus populus paganus adhuc per protestanticos ad fidem christianam est conversa, ita ut manifeste deficiat *charisma* catholicitatis. Per tria quasi sæcula institutum missionum inter protestantes simpliciter defuit. Ab aliquibus quidem decenniis multi mittuntur missionales, non deficit copia subsidiorum, qualis tamen est fructus ? Aliqui desinunt esse pagani quin tamen fiant christiani. Quænam differentia inter missiones catholicas et protestanticas, vel ab ipsis protestanticis recognita[2].

3. Defectus catholicitatis in protestantismo *ex eius natura* consequitur. Doctrina enim protestantica fundamentalis negat auctoritam religiosam ac totam religionem subiectivismo tradit : absque tamen auctoritate visibili societas universalis ne quidem cogitari potest.

4. Denique ipse *numerus* protestanticorum nullum signum effectus supernaturalis exhibet : est enim numerus hominum dissidentium tum ab Ecclesia catholica tum inter se ; neque talis confusio et divisio inter Christianos effectus orationis Christi esse potest.

1. *Serm.* XLVI, 8, 10.
2. Kammerstein, *Das katholische Ordenswesen* (1896), p. 145-158.

IV. In protestantisme deest nota apostolicitatis.

Prob. 1. Nota apostolicitatis proprie *continuationem* ecclesiæ Apostolorum in identitate constitutionis importat (identitas materialis). lamvero huiusmodi continuatio, in protestantismo manifeste deficit.

a) Protestantismus *in sua origine* non fuit continuatio religionis praecedentis, sed *mutatio essentialis;* unde ad summum posset esse quædam resuscitatio ecclesiæ apostolicæ quæ interdum periisset : quod est contra notam apostolicitatis.

b) Protestantismus succedentibus temporibus doctrinam suam pluribus vicibus mutavit[1].

c) Ecclesiæ protestanticæ diversæ inter se discrepant.

d) In una eademque ecclesia unicuique liberum est determinare sibi credenda.

e) Plures protestantici moderni vel veritatem doctrinæ Apostolorum negant.

Inde manifeste constat religionem protestanticam non esse continuationem Ecclesiæ apostolicæ, quæ ex promissione Christi una existons sine interruptione per omnia sæcula in identitate continuabitur.

Quantum ad anglicanos qui saltem formam hierarchicam conservabant, recole ea quæ de ecclesiis schismaticis diximus. Atque manifeste ecclesia anglicana non est *continuatio* legitima ecclesiæ antecedentis, sed intercessit mutatio substantialis.

Prob. 2. Nota apostolicitatis *successionem* legitimam et non interrupi am potestatis vel pastorum importat (identitas formalis). lamvero in protestantismo huiusmodi successio penitus deest.

a) Auctores reformationis, pastores protestantici et tota constitutio iuridica protestantismi *nullum* vel *vestigium successionis légitimée* exhibet, sed e contra rebellionis et defectionis a potestate Ecclesiæ catholicæ. Optime de protestantismo valet dictum celebre : « Nemini succedens a seipso ortus est. » Id quod æqualiter de ecclesiis diversis postmodum ortis valet, quippe quæ vel auctoritate propria vel auctoritate potestatis civilis constitutæ sunt.

1. Cf. Bossuet, *Variations,* et libros historiæ dogmatum protestanticorum.

Nec habetur *missio extraordinaria,* i. e. immediate a Deo facta. Supposito quod Deus Lutherum vel alios ad reformandam Ecclesiam suam excitasset, intra limites Ecclesiæ hoc fecisset (sicut in aliis veris reformatoribus), signis evidentibus ipsum illustrasset ac denique opus totum sub directione auctoritatis legitimæ perfecisset. Lutherusvero et alii reformatores nullum signum missionis divinæ exhibent (nisi in contrarium), ecclesiam non reformaverunt sed destruere conati sunt, auctoritati legitimæ se non submiserunt sed eam impugnaverunt.

Prob. 3. Protestantismus vi doctrinæ suæ successionem Apostolorum negat cum vel in Apostolis nullam potestatem hierarchicam admittat vel saltem continuationem potestatis apostolicæ neget.

Prob. 4. Dum in Ecclesia catholica mirabilis Dei providentia in conservanda successione ininterrupta et legitima apparet, in constitutione et successione ecclesiarum protestanticarum nil mirabile offendit sed e contra sors nimis humana.

Conclusio. — Duo igitur constant : primo, Ecclesiæ catholicæ omnes notas vere Ecclesiæ Christi manifeste competere, secundo easdem notas in aliis ecclesiis non minus manifeste deficere. Itaque Ecclesia catholica eaque sola est vera Ecclesia Christi.

« *Ad solam catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia quæ ad evidentem fidei christianæ credibilitatem tam mulla et tam mira divinitus sunl disposital.* »

1. Conc. Vatic., sess. III, c. ni, D 1794

CAPUT IV

De perfectione ac dotibus Ecclesiæ

Per considerationem notarum Ecclesiæ Christi, simul natura ac conditio Ecclesiæ magis a nobis cognita est : sc* quod et quo sensu sit una, sancta, catholica et apostolica. Quam naturam ac conditionem Ecclesiæ adhuc magis cognoscemus, considerando alias proprietates Ecclesiæ quæ non simul sunt notæ. Inter quas sunt duæ quæ proprie perfectionem Ecclesiæ ut est societas determinant, sc. quod sit societas independens (vel perfecta) et necessaria ; aliæ duæ proprietates proprie charismata vel doles supernaturales Ecclesiæ important, sc. quod sit indefectibilis et infallibilis. Inde tractabimus :

1. De Ecclesia ut societate *perfecta* (art. 29).
2. De Ecclesia ut societate *necessaria* (art. 30).
3. De *indefeclibililale* (ari. 31) et
4. De *infallibililale Ecclesiæ* (art. 32-38).

ABTICULUS VIGESIMUS NONUS

De Ecclesia ut societate perfecta

I. Notio societatis perfectae. — Aliqua societas diversa ratione perfecta dici potest : vel quia habet perfectam constitutionem vel quia leges in illa pgrfecte observantur vel quia membra eius sunt perfecta vel quia in ratione societatis est perfecta et completa. In hoc ultimo sensu nobis quæstio est de Ecclesia ut societate perfecta.

Dicitur autem aliqua societas termino technico perfecta secundum analogiam ad organismum. Sunt enim aliqui organismi qui sunt in se completi et sibi ad finem sum suili-

cientes, ut e. g. quilibet homo ; alii organismi sunt incompleti, utpote partes alicuius organismi perfecti, ut e. g. manus hominis; alii organismi sunt quidem aliquo modo completi et independentes, tamen vivere non possunt nisi in coniunctione cum altero organismo, ut foetus in utero matris. Ita similiter aliqua societas est pars alterius societatis, ut e. g. provincia quædam ; alia societas quidem secundum se existit, tamen in dependentia ab alia superiore, ut colonia (dominions in regno anglico) ; alia vero societas independenter existit et constituitur et sibi sufficit. Notandum tamen est, independentiam et sufficientiam intelligendam esse non materialiter sed formaliter ; sicut enim corpus humanum licet sit organismus perfectus, tamen sole, aëre, cibo et aliis indiget, ita aliqua societas perfecta materialiter aliis societatibus indigere potest ; sicut tamen corpus propria activitate et secundum leges proprias rebus sibi necessariis utitur, ita etiam societas perfecta proprio iure sibi necessaria procurat. Ita in ordine naturali status civilis est societas perfecta. Itaque quæritur, utrum Ecclesia sit societas perfecta, in ordine societatis completa, sibi sufficiens et independens a quacumque alia societate.

II. Doctrina Ecclesiæ. — Doctrinam Ecclesiæ egregie enuntiat *Cone. Vatic.* Sess. IV, c. m : « Quoniam divino Apostolici primatus iure Romanus Pontifex universæ Ecclesiæ præest, docemus etiam et declaramus, eum esse iudicem supremum fidelium et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri. Sedis vero apostolicæ, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum... » (D. 1830). Unde definit : « Romanum Pontificem habere... plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam » (D. 1831). Cum independentia alicuius societatis maxime in eius capite appareat, hac definitione saltem indirecte vel implicite independentia Ecclesiæ definitur.

Similiter iam antea Pius *IX* hanc damnaverat propositionem : « Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed 'civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesiæ iura ac limites, intra quos eadem

iura exercere queat » (Syll. prop. XIX[1]). Post Gone. Vatie. *Leo XIII* doctrinam Ecclesiæ sic exprimit : « Distinguitur (Ecclesia) et differt a societate civili : et, quod plurimum est, societas est genere et iure perfecta, cum adiumenta ad incollumilatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat (Encycl. « Immortale Dei »). Denique in *C. I. C.* pæna excommunicationis infligitur impedientibus directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiastic» vel leges, mandata et decreta contra libertatem et iura Ecclesiæ ferentibus (can 2333-2334). De reliquo tota praxis Ecclesiæ libertatem clamitat.

III. Sententiæ acatholicæ. — Iam ab initio Ecclesiæ non defuerunt qui Ecclesiæ independentiam negarent. Iam ludæi Apostolis, « præcipientes præceperunt ne in nomine Jesu docerent» *(Aci.,* v, 28). Imperatores Romani sancierunt : « Non licet esse vos ».

Imperatores Græci, ut maxime Constantinus II et lustinianus Ecclesiam sibi subjicere conati sunt. In medio ævo quidam imperatores superioritatem imperii super Ecclesiam saltem practice statuerunt ac defensores theologicos repetunt, ut Ludovicus Bavarus Marsilium Patavinum*. Protestantes quasi ubique summum regimen Ecclesiæ potestati civili tradiderunt. Post reformationem, sub influxu idearum protestanticarum, systema gallicanismi, præeunte Richer, potestati civili sub variis prætextibus, influxum amplum in res ecclesiasticas vindicavit ; febronianismus et iosephinismus hoc idem systema, quibusdam mutatis, in Germaniam, Austrian! et Italiam introduxit. Nec minus iansenismus independent!» Romanorum Pontificum infensus fuit. Sæculo elapso liberalismus fere nullum ius independens Ecclesiæ intactum reliquit[2]. Nostris diebus plurimi iuristæ, sequendo doctrinam hegelianam, nullum

1. Cf. prop. 20, 28, 39.

2. Cf. Denz., 497, 499.

3. Pius IX in Encycl. « *Quanta cura* » notat : « Ipsos minime pudet affirmare Ecclesiæ leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate... Dictitant enim ecclesiasticam potestatem non esse iure divino distinctam et independenlem

admittunt ius independens a potestate civili, secundum adagium : omnis iurisdictio in nomine Cæsaris exercetur. Uti patet, omnes rationalist® et increduli Ecclesiæ independentiam funditus negant. Inde simul momentum huius quæstionis patet.

IV. Thesis : Ecclesia est societas perfecta. — *Prob.* 1. *Ex verbis ipsius Christi.* — Christus Ecclesiam instituit independenter a potestate civili, contulit ipsi potestatem independentem a potestate civili, immo ordinavit ut potestas accepta etiam contra voluntatem cuiuscumque alterius potestatis humanæ exerceretur, adeoque Ecclesiam ut societatem independentem instituit.

Christus maxime ante ascensionem in cælum Ecclesiæ potestatem contulit. Iamvero in hoc actu (Mt., xxviii, 18-20) : primo sese refert ad potestatem sibi propriam, non ab hominibus sed immediate a Deo acceptam, dicens : « Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra ». Ex hac potestate propria et personali, independenter a quacumque alia potestate, Apostolis potestatem confert, dicens : « Euntes ergo docete... ». Huiusmodi potestatem collatam nullo modo alteri societati subordinat sed tantum sibi ipsi : soli Christo obædientes Apostoli gentes docebunt, baptizabunt et gubernabunt. Consequenter etiam contra voluntatem alterius potestatis : id quod Christus Apostolis iam antea imposuerat dicens : « Tradent vos in conciliis et in synagogis vapulabitis et ante præsides et reges stabitis propter me, in testimonium illis » Mc. xm, 9 ; cf. Lc., xxi, 12 ss.).

Quapropter Christus etiam media ad finem Ecclesiæ necessaria solis Apostolis contulit, ut potestatem docendi, gubernandi et sanctificandi, ut ex supra dictis patet (cf. art. 11).

Prob. 2. *Ex doctrina et modo agendi Apostolorum.* — Apostoli independenter a quacumque alia societate et ex potestate propria, a Christo accepta, et contra voluntatem potestatis tunc existentis regnum Dei annuntiaverunt,

a potestate civili neque eiusmodi distinctionem et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia iura potestatis civilis » (Denz., 1697 s.).

ecclesias constituerunt ac fideles gubernaverunt et hoc ni Deo obædirent. Ita Apostoli iam lerosolymis sacerdotibus ludæorum dixerunt : « Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum indicate » *{Aci.,* iv, 19). « Obædire oportet Deo magis quam hominibus » *{Act.,* v, 29). Inde independenter a synagoga et postea independenter ab imperio Romano, immo contra utriusque expressam voluntatem prædicaverunt et christianos gubernaverunt : id quod legitime facere non potuissent nisi in hoc ex voluntate Christi omnino independentes fuissent. Denique Apostoli independentiam vel proprio sanguine probaverunt, in testimonium fidelibus.

Proh. 3. *Ex praxi et doctrina veleris Ecclesiæ.* — Ante omnia extat factum publicum quod Ecclesia per tria sæcula independenter ab imperio Romano, contra eius leges, immo maximis sub persecutionibus, fuit constituta, propagata, et gubernata, in signum et in testimonium omnimodæ independent!» a potestate civili. Neque minus constat factum quod Ecclesia etiam sub imperatoribus christianis libertatem et independentiam strenuo sibi vindicavit.

Factis concordat doctrina. Recole totum tenorem « Doctrinae Apostolorum », ep. Clementis, Ignatii Antiocheni, Irenæi et aliorum : omnes proclamant Ecclesiam sibi ipsi sufficere et solo iurc divino ac potestate a Deo accepta gubernari. Primum imperatorem christianum, Constantinum, Hosius episcopus sic alloquitur : « Ne te rebus misceas ecclesiasticis, neu nobis his de rebus præcepta mandes, sed a nobis potius hæc ediscas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concrediditl. »

Contra allegantes : imperatori licere omnia, in potestate eius esse omnia, ipsius esse universa, *Ambrosius* respondet « ea quæ sunt divina, imperatori» potestati non esse subiecta » et dicit : « Ecclesia Dei est, Cæsari utique non debet addici ; quia ius Cæsaris esse non potest Dei templum1 ». Egregie *Nicolaus I* (858-867) immunitatem et independentiam Ecclesiæ contra Michælem imperatorem defendit,

1. Ατιιαν., *Hist. Arian,* η. 44 ; M. G., 25, 746.
2. *Ep.* XX, χνιιι ; *Sermo* c. *Auxent.,* n. 35 ; ML., xvi, 1018.

statuendo, « Prima sedes non indicabitur a quoquam » et rogando imperatorem : « Nolite præiudicium Dei Ecclesiæ irrogare », « Nolite quæ sua sunt usurpare ». *Bonifalius VIII* edicit : « Si deviat terrena potestas, indicabitur a potestate spirituali; sed si deviat spiritualis, minor a suo superiore i si vero suprema, a solo Deo non ab homine poterit iudicari » (Denz., 469).

Prob. 4. Ex fine, constitutione et institutione Ecclesiae. — Ecclesia ex natura sua est independens a quacumque alia societate. Nam finis ipsius est supremus, salus sc. supernaturalis — unde nulli societati ut inferior subiecta esse potest; finis Ecclesiæ similiter est universalissimus, sc. salus omnium hominum — inde non potest esse pars alterius societatis, cum nulla societas alia ad omnes homines se extendat. Deinde constitutio Ecclesiæ est hierarchica, per collationem sc. potestatis divinæ et supernaturalis : est autem contra naturam rerum, divina et supernaturalia potestati humanæ et naturali subiicere. Denique Ecclesia est immediate a Christo instituta : nefas autem est « regnum Christi » potestati humanæ subicere.

V. Obiectiones. — *Obiect.* 1a. luristæ moderni obiiciunt : Societas perfecta habet territorium. Atque Ecclesia non habet territorium. Ergo.

Besp. Ecclesiæ territorium est tota terra, ipsi concessa per ipsum Christum Dominum dicentem : « Docete omnes gentes. » Huiusmodi territorium Ecclesia pro maxima parte iam actualiter occupavit. Itaque ubicumque dioeceses et parochiæ sunt constitutæ, territorium Ecclesiæ patet. *Insistunt.* Unum ac idem territorium non potest esse duarum societatum perfectarum. lamvero tota terra occupata est per potestatem civilem. Ergo Ecclesiæ iam nullum restat territorium.

Besp. Unum ac idem territorium non potest esse duarum societatum perfectarum sub eadem ratione, optime tamen sub ratione diversa. Atque potestas civilis terram occupat sub ratione potestatis civilis, Ecclesia vero sub ratione potestatis spiritualis et sacræ ; illa ad finem boni temporalis, hæc vero ad finem sanctitatis et salutis æternæ'.

Ob. 2a. Ecclesia indiget rebus status ad finem suum consequendum, adeoque non est sibi sufficiens.

Hesp. Patet quidem Ecclesiam indigere rebus materialibus quæ sunt status. Non enim sacramenta conficere potest absque aqua, pane, olio ; similiter Ecclesia indiget templis, sacris vestimentis et aliis quæ ex materia potestati civili subiecta construuntur ; denique vel homines quæ Ecclesiæ sunt membra et rectores, ad potestatem civilem pertinent. At huiusmodi rebus Ecclesia utitur *ture proprio :* et in hoc eius independentia apparet.

Argumentum adductum enim nimis probat. Nam nulla est societas civilis quæ non indigeat rebus alterius societatis, ita ut neque societas civilis esset societas perfecta. Nam nullus est status qui sibi materialiter penitus sufficiat. Neque ad rationem societatis perfectæ requiritur ut nequidem *materialiter* vel in ordine physico bonis alterius indigeat. Ita organismus humanus licet sit organismus perfectus et competus, indiget cibo et aliis, tamen omnia huiusmodi viribus propriis sibi acquirit. Similiter ad rationem societatis perfectæ hoc tantum requiritur ut sibi necessaria *auctoritate propria* acquirere et iure proprio de iis diponere possit. Ecclesia autem vi suæ institutionis divinæ auctoritatem habet ut res materiales sibi necessarias a suis fidelibus exigat et iure proprie de iis disponat. (Cf. Denz., 596, 1726).

Ob. 3a. Ecclesia non habet potestatem efficacem vindicandi ius proprium vel tuendæ libertatis. Ergo.

Hesp. Ecclesia non habet potestatem materialem, ut status civilis habet exercitus et similia, transeat ; Ecclesia non habet potestatem spiritualem sufficientem, nego. Ecquidem ius Ecclesiæ a multis negligitur et libertas illius valde coarctatur, tamen Ecclesiæ ius a fidelibus agnoscitur et Ecclesia libertatem suam semper efficaciter vindicavit : non obstantibus persecutionibus et oppressionibus gravissimis Ecclesia usque in hodiernum diem subsistit, doctrinam evangelicam diffundit ac prædicat, sacramenta administrat, fideles gubernat : in quo sufficientia sua apparet. Ecquidem maior perfectiorque libertas Ecclesiæ desideratur atque ipsi de iure competit ; sed quinam status præsertim nostris diebus-perfecta libertate gaudet ? Et tamen nullus dicet, status europæos non esse societates perfectas ! E contra, præsertim nostro tempore, Ecclesia, licet

quasi omnibus auxiliis temporalibus sit privata et omni ex parte ab adversariis impetita et oppressa, vim tamen suam magnifice et miro modo expandit ac manifestat-uti societati perfectæ convenit.

VI. Corollaria. — Ex dictis sequitur :

1. Ecclesia, a Deo tamquam societas perfecta instituta, vi legis divinæ et de iure divino ubique existera ac ubique libere, actionem suam exercere potest ac debet (societas ubique legalis).

2. Leges contra libertatem Ecclesiæ latæ sunt iniustæ ac obiective invaiidæ. Nulla enim lex humana contra legem divinam praevalere potest : etenim « obædire oportet Deo magis quam hominibus » (Ac/., v, 29).

3. A principibus catholicis vel ab aliis viris catholb is, potestatem legislativam habentibus, Ecclesia etiam per legem positivam status tamquam societas legalis comprobanda ac sancienda est.

4. Principes vel legesferentes acatholici nullam habent rationem sufficientem vel legitimam quin Ecclesiam tamquam societatem liberam ac independentem admittant ; multo minus legitime libertatem Ecclesiæ legibus impediunt. Licet enim ius divinum Ecclesiæ acatholicos lateat, ius tamen humanum agnoscendum est, praesertim cum Ecclesia ius potestatis civilis tueatur ac in nullo ipsi obsistat. De facto quoque persecutiones et oppressiones Ecclesiæ semper ex falso principio procedebant, ut : Cæsaris esse omnia, vel : nullum existera ius independens a potestate civili.

5. Denique utilitas maxima quam Ecclesia statui affert, ut cultus literaturæ et scientiæ, probitas morum, observatio conscientiosa legum, pax et tranquillitas vitæ socialis et alia, vel ipsis acatholicis maxime suadent ut Ecclesiam catholicam favore legis amplectantur[1].

Reliqua infra, art. 77 ubi de relatione inter statum et Ecclesiam, tractabuntur.

1. Cf. ep. Leonis XIII ad imperatores Sinarum et Japoniæ, a. 1885.

ARTICULUS TRIGESIMUS

De Ecclesia ut societate necessaria[1]

I. Status quœstionis. — 1, Non quæritur, utrum institutio Ecclesiæ necessaria fuerit, sed utrum Ecclesia a Christo instituta, homini sit necessaria ad salutem consequendam, ita ut homo sub periculo salutis membrum Ecclesiæ fieri debeat. 2. Quæritur proprie de necessitate pertinendi *ad corpus Eçclesiæ visibilis.* Etenim quod nullus in vitam æternam ingredi possit quin habeat fidem supernaturalem et caritatem et sic ad animam Ecclesiæ pertineat, hic præsupponitur. 3. Necessitas distinguitur duplex : una præcepti, alia medii. Necessitas *præcepli* oritur proprie ex præcepto divino quo homo moraliter ad aliquid obligatur, sub .periculo salutis æternæ amittendæ : ab huiusmodi præcepti transgressione homo per ignorantiam invincibilem excusatur ; necessitas *medii* oritur ex eo quod aliquid est medium necessarium ad salutem acquirendam, sive ex natura (necessitas intrinseca) sive ex positiva Dei institutione (necessitas extrinseca vel hypothetica). De utraque ne< essitate Ecclesiæ hic quæritur[2]. 4. Dupliciter aliquis Ecclesiæ visibili adhaerere potest, sive *re* — ut cum aliquis actualiter est membrum Ecclesiæ catholicæ, — sive *volo* tantum cum sc. habet desiderium vel voluntatem adhærendi veræ Ecclesiæ Christi licet de facto extra illam

1. Cf. E. Hugon, O. P., *Hors de ΓÉglise point de salut;* J. V. Bainvel, *Hors de l'Église point de salut.*

2. Distinctio inter necessitatem præcepti et necessitatem medii i(idei) a Vega, M. Cano et Dom. Bannez introducta fuit, et quidem ad determinandam necessitatem fidei in Christum, resp. ad explicandam doctrinam Conc. Trid., sess. VI, c. vi. Posteriores tamen theologi distinctionem diversimode interpretabantur. Cf. R. Martin, *De necessitate credendi et credendorum,* 1906.

versetur[1]. Illi qui voto tantum veræ Ecclesiæ adhærent, ab aliis invisibiliter Ecclesiæ adhærere dicuntur[2].

II. Sententiæ erroneæ. — *Protestantes* (saltem recentiores), negantes institutionem divinam Ecclesiæ visibilis vel ut societatis veræ, consequenter negant necessitatem tum præcepti tum medii Ecclesiæ visibilis ; admittunt tamen necessitatem Ecclesiæ invisibilis. Necessitatem utramque similiter negat *indi(ferentismus* et *liberalismus.* Fundamentum negationis est distinctio inter religionem et confessionem : ac si sc. confessio, ut fides et praxis catholica, sit aliquid pure extrinsecum et accidentale pro religione, elementum tantum humanum vel historicum quod absque detrimento religionis abesse vel mutari possit. Inde *systema interconfessionalismi.* Huc spectant prop. 16 Syll. Pii IX : « Homines in cuiusvis religionis cultu viam æternæ salutis reperire æternamque salutem assequi possunt » ; et prop, 17: « Saltem bene sperandum est de æterna illorum omnium salute qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur » ; el. prop. 18 : Protestantismus non aliud est quam diversa veræ eiusdem christianæ religionis forma in qua æque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est ». Idem denique *Rationalistes et Modernistes* tenent, utpote negantes ordinem et revelationem supernaturalem.

III. Doctrina catholica. — Hanc breviter Pius IX. enuntiat his verbis : « Notissimum est *catholicum dogma* neminem extra catholicam Ecclesiam posse salvari et contumaces adversus eiusdem Ecclesiæ auctoritatem, definitiones et ab ipsius Ecclesiæ unitate atque a Petri successore Romano Pontifice... pertinaciter divisos æternam non posse obtinere salutem » (Denz., 1677). Adiungit tamen :

1. Distinctio est S. Thomæ circa necessitatem baptismi III, q. i.xvm, a. 2), circa necessitatem Eucharistiæ (III, q. 1 x x iii, a. .3) ; comprobata est (circa necessitatem baptismi) a Conc. Trid., sess. VI, c. iv.

2. Turrecremata, *De Ecclesia,* l. I, c. ix ad 8 dicit eos qui fidem, spem et caritatem habent, ad Ecclesiam pertinere, « mentaliter », « merito », « animo », licet non « numero ».

« Notum... est eos qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant quique naturalem legem eiusque praecepta... sedulo servantes ac Deo obædire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse, divinae lucis et gratiæ operante virtute, æternam consequi vitam, cum Deus... minime patiatur quempiam æternis puniri suppliciis qui voluntarie culpæ reatum non habeat » (l. c.). Cf. Denz., 1647.

Definitiones Ecclesiæ (extra Ecclesiam nulla salus) vide : Denz., 246, 423, 430, 468, 469, 714, 1000, 1302.

Concilio Vaticano propositum fuerat definire de novo necessitatem Ecclesiæ tum præcepti tum medii, at propter turbines temporum fuit impeditum quin circa hanc rem indicium definitivum ferret. Attamen definivit, ea quæ ab Ecclesia tamquam divinitus revelata credenda proponuntur, fide divina et catholica esse credenda » (Denz., 1792) : adeoque fidem catholicam esse de necessitate salutis. Breviter Leo XIII doctrinam Ecclesiæ his verbis exprimit : « Quicumque· seorsum (i. e. ab Ecclesia) eant, aberrant a voluntate et præscriptione Christi Domini (necessitas præcepti) relictoque salutis itinere. ad interitum digrediuntur » (necess. medii). Encycl. *Satis cognitum.* Denz., 1955.

IV. Thesis I. Ecclesia est societas necessaria necessitate præcepti, i. e. grave præceptum divinum homines obligat ut Ecclesiæ visibili coniungantur ; *ab huius tamen præcepti obligatione excusantur qui in ignorantia invincibili versantur.*

Prob. *a)* Christus instituendo Ecclesiam, eam non reliquit hominum arbitrio, sed sub periculo salutis omnes obligat ad eam amplectendam. Ideo *generaliter* dicit Apostolis : « Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me » (Lc., x, 16). In *particulari* circa fidem ab Apostolis prædicatam enuntiat : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur » xvi, 16; cf. Mt ., x, 14-15). *b)* Deinde res patet ex *fine* a Christo Ecclesiæ præstituto. Ecclesia enim a Christo instituta est ut per eam, i. e. per eius auctoritatem et per

media ipsi collata, homines sanctificarentur et ad vitam æternam adducerentur. Inde evidenter patet voluntas Christi ut omnes Ecclesiæ adiungantur, c) Denique Christus, instituendo Ecclesiam tamquam *regnum suum* , homines non tantum invitat sed obligat ut regno suo et sibi incorporentur : agit enim ut dominus et rex omnium et ex plenitudine potestatis suæ : « Data est mihi omnis potestas. »

Quod vero ignorantia invincibilis (et impotentia physica vel moralis) ab impletione huius legis excusent, ex doctrina generali de obligatione legum sequitur. Peccat igitur graviter, vel qui ex culpa seu negligentia gravi in ignorantia circa veram Ecclesiam Christi versatur, vel qui cum veram Ecclesiam cognoverit, ei non associatur. Ingressus tamen actualis in Ecclesiam potest per aliquod tempus differri sive propter impedimenta extrinseca, sive propter conditiones personales : de qua re theologos morales videas.

Thesis II. Ecclesia est societas necessaria necessitate medii, i. e. ex institutione et voluntate Christi Ecclesia visibilis est medium necessarium ad salutem consequendam : *ita tamen ut quisquis ipsi adhæreat sive re sive saltem voto.*

Prob. prior pars thesis. 1. *Ex verbis Christi.* — Christus Ecclesiam instituit tamquam regnum suum, tamquam corpus suum mysticum, ipsi doctrinam suam, ipsi media sanctifica, ut baptismum, Eucharistiam, potestatem remittendi peccata et alia demandavit, per Ecclesiam tamquam medium vel instrumentum missionem suam sanctificam continuat, denique hunc in finem Ecclesiam instituit ut per eam homines sanctificarentur. Atqui his omnibus Ecclesia tamquam medium necessarium salutis a Christo statuitur. *Min. prob. per paries.* Certe nullus non pertinens ad regnum Christi, ad regnum Dei, vel cœlorum, salvabitur. Similiter esse membrum corporis Christi est medium necessarium ad hoc ut aliquis ad gloriam Christi perveniat. Si Christus Ecclesiæ media sanctifica contulit, evidenter Ecclesiam ita instituit ut omnes ipsa tamquam medio uti deberent. Idem patet ex eo quod Christus per Ecclesiam continuat missionem suam sanctificam et Ecclesiam in hunc finem instituit ut *per eam* homines sanctificaret.

Prob. 2. *Ex doctrina et praxi veteris Ecclesiæ.* — Veteres

non tantum necessitatem præcepti adhaerendi Ecclesiæ inculcant, sed quam maxime Ecclesiam tamquam unicam viam vel necessarium medium perveniendi ad salutem proclamant. Inde adagium : « Extra Ecclesiam nulla salus ». Quantum ad praxim iam Apostoli conversos ad fidem simul Ecclesiæ incorporaverunt, sine dubio hoc sensu quod illi extra Ecclesiam media salutis non haberent. Eodem modo Ecclesia subsequens Christifideles ad Ecclesiam adigebat atque, separatos ab Ecclesia, sive per infidelitatem sive per hæresim sive per schisma, tanquam extra viam salutis constitutos considerabat.

Ita S. *Ignatius* Antioch, declarat, sola membra Ecclesiæ esse Dei et in Deo participare. « Quotquot enim, ait, Dei et lesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo ; et quotquot pænitentia ducti redierint ad unitatem Ecclesiæ, et hi Dei erunt ut secundum lesum Christum vivant. Ne erretis, fratres mei : si quis schisma facientem sectatur, regni divini hæreditatem non consequitur ; si quis ambulat in aliena doctrina, cum passione (sc. Christi) non communicat » (« Ad Philad., m, 2, 3). Idem iam docuerat *Clemens, Rom.,* in ep. ad *Cor.,* testificando constitutionem hierarchicam Ecclesiæ : inde enim sequitur necessitas utendi hierarchia

S. *Irenæus* docet coniunctionem intimam inter Ecclesiam et operationem Spiritus Sancti : ita ut qui Ecclesia non utitur, auxilio Spiritus S. privetur. « In Ecclesia, ait, posuit Deus apostolos, prophetas, doctores et universam reliquam operationem Spiritus, cuius non sunt participes omnes qui non currunt ad Ecclesiam, sed semetipsos fraudant a vita... Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei ; et ubi spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia » (Adv. hær., m, 24, 1).

Formulam : extra Ecclesiam nulla salus, iam *Origenes* proposuit, dicendo : « Extra hanc domum, i. e. extra Ecclesiam, nemo salvatur ; nam si quis foras exierit, mortis suæ ipse fit reus » *(Horn, in lesu Nave,* horn. **Ill**, η. 5, MG 12, 841). Maxime S. *Cyprianus* in Ecclesia inculcanda insistit. In « De catholicæ Ecclesiæ unitate » Ecclesiam ut matrem vitæ et salutis prædicat, scribendo : « Hæc nos Deo servat, hæc filios regno quos generavit, assignat. Quisque ab Ecclesia segregatus adulteræ coniungitur, a

promissis Ecclesiæ separatur, nec perveniet ad Christi præmia qui reliquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. *Habere non polesl Deum patrem qui Ecclesia non habet matrem.* Si potuit evadere quisque extra aream Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit » (c. v).

S. *Augustinus,* adducendo hoc dictum Cypriani : « Salus extra Ecclesiam non est « notat : « Quis negat ?» (De bapt. c. Don., l. IV, c. xvii, 24). Fundamentum huius doctrinae his verbis assignat : « Ad salutem ac vitam aeternam nemo pervenit nisi qui habet *caput* Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit nisi qui in eius corpore fuerit quod est Ecclesia » (De un. eccl., xix, 49).

SS. Patres igitur docent, ex institutione Dei vel Christi Ecclesiam esse medium vel viam qua quisque uti debet ut ad salutem perveniat, adeoque necessitatem medii docent ; simul tamen necessitatem præcepti inculcant.

Prob. altera pars theseos : Quisquis necessitate medii Ecclesiæ adhærere debet sive re sive saltem in voto. — Sensus propositionis est : *a)* quisquis Ecclesiam catholicam sufficienter tanquam veram Ecclesiam Christi cognoverit necjue aliquo obstaculo sive physico sive morali (ad tempus) impeditur, non habebit a Deo alia media salutis acquirendæ nisi re et effective fiat membrum Ecclesiæ eaque tanquam medio salutis utatur, *b)* Qui vero in ignorantia invim ibili vel inculpabili versantur vel alio obstaculo sive physico sive morali (ad*tempus) ab ingressu actuali in Ecclesiam impediuntur, debent saltem habere voluntatem eamque veram et seriam ut Ecclesiæ re et facto adhæreant. Quæ voluntas potest esse expressa et explicita cum aliquis expresse habet voluntatem intrandi in Ecclesiam catholicam vel saltem adhærendi veræ Ecclesiæ Christi, vel implicitam, cum aliquis habet voluntatem observandi Dei mandata. *Minime* tamen est sensus propositionis quod quisquis *ad libitum posset* Ecclesiæ adhærere sive re sive voto tantum. Neque denique est sensus propositionis quod in casu impossibilitas *votum solum* ad salutem *sufficiat,* sed requiruntur etiam alia quæ aliunde ad salutem sunt necessaria, ut gratia, caritas, fides supernaturalis.

Inde facilis est probatio.

Prob. 1. *Christus* instituendo Ecclesiam tanquam necessarium medium salutis atque ipsi communicando præcipua media sanctificationis, evidenter intendit ut salvandi re, opere ac effectu Ecclesiæ sese associent ; similiter tamen aquum non esset, illos qui impossibilitate physica vel morali ab actuali ingressu in Ecclesiam impediuntur, excludere a salutis consecutione, dummodo habeant voluntatem promptam, associandi se Ecclesiæ dum impedimenta remota fuerint : dedecet enim Deum, hominem inculpatum mediis salutis privare et e contra Deus bonam voluntatem pro opere imputabit. Ergo unusquisque vel re vel in voto membrum Ecclesiæ esse oportet.

Prob. 2 : *ex praxi el doctrina veteris Ecclesiæ.* — Ita enim S. Patres intelligunt adagium : « extra Ecclesiam nulla salus ». Nam docent quidem, sublectionem sub Ecclesia esse viam vel medium a Deo statutum perveniendi ad salutem ; tamen tenent, illos qui iam habent voluntatem ingrediendi in Ecclesiam vel suscipiendi baptisma, salvari posse, ut patet circa catechumenos (Ambrosius, *De obitu Valent.,* c. lui ; Augustinus, *De unit. Eccl.* c. xix, 49). Quodsi Patres paganos, schismaticos et hæreticos extra viam salutis esse declarant, vel illos ut ex propria culpa ab Ecclesia separatos considerant vel religionem paganam, schisma et hæresim ipsam damnant, sc. tanquam viam contrariam salutis. Unde optime *Bellarminus* adagium interpretatur : « Respondeo quod dicitur, extra Ecclesiam nullum salvari, intelligi debere de iis qui nec reipsa neque desiderio sunt de Ecclesia » (De Eccl. mil., III, m). Ita iam antea S. Thomas de baptismo docuerat : « Pro tanto dicitur sacramentum baptismi esse de necessitate salutis quia non potest esse homini salus nisi saltem in voluntate habeatur quæ apud Deum pro facto reputatur » (S. Th. III, q. lxviii, a. 2 ad 3).

luvabit hic afferre textum integrum S. Thomæ de necessitate baptismi : qui sc. est ianua ingressus in Ecclesiam. Docet S. Doctor (III, q. lxviii, a. 2) : *Sacramentum baptismi* dupliciter potest alicui *deesse :* uno modo *et re el voto ;* quod contingit illis qui nec baptizantur nec baptizari volunt : quod manifeste ad contemptum sacramenti per-

Linet, quantum ad illos qui habent usum liberi arbitrii : et ideo hi quibus hoc modo deest baptismus, salutem consequi non possunt, quia nec sacramentaliter nec mentaliter Christo incorporantur, per quem solum est salus. Alio modo potest sacramentum baptismi alicui deesse *re sed non volo :* sicut cum aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu praevenitur morte, antequam baptismum suscipiat ; et talis sine baptismo actuali salutem consequi potest, propter desiderium baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interius hominem sanctificat ». Hæc ille. Applicatio ad necessitatem Ecclesiæ patet. Sicut tamen Patres, ita etiam S. Thomas casum ignorantiæ invincibilis non considerat.

V. Corollaria[1]. — 1. Illi qui sufficienter Ecclesiam catholicam tamquam veram Ecclesiæ Christi cognoverint, præter Ecclesiam aliud medium salutis acquirendæ non habent, recipiunt tamen a Deo pro sua misericordia gratias actuales (cf. Denz., 1295. 1379).

2. Illi qui ex ignorantia invincibili Ecclesiam Christi veram non cognoscunt, tamen habent voluntatem explicitam vel implicitam amplectendi veram Ecclesiam, possunt, si alia requisita adsint, a Deo gratiam accipere adeoque salvari. Quot et quinam sint huiusmodi, noli iudicare, si non vis errare. Etenim « quis tantum sibi aroget, ut huiusmodi ignorantiæ (invincibilis) designare limites queat iuxta populorum, regionum, ingeniorum aliarumque rerum tam multarum rationem et varietatem » (Pius IX, Denz., 1467).

3. Ecclesia visibilis est *medium ordinarium* sanctificandi et salvandi homines. Sensus est : secundum ordinationem divinam et legem ordinis gratiæ, Ecclesia est instituta ut homines *per illam el* sub eius directione veram *fidem* accipiant et remissionem peccatorum et gratiam (per sacramenta) et directionem efficacem ad exercitium virtutum. Medium vere extraordinarium salutis est immediate operatio sanctifica Dei.

4. Omnino falsa et aliena a mente Ecclesiæ est sententia

1. Alia eaque optima « scholia pro separatis et catholicis » refert M. d'Herbigny, *Theol. de Ecclesia,* p. I2, p. 134-137.

quam Protestantes Ecclesiæ inr putant, quod sc. secundum doctrinam Ecclesiæ unusquisqiue qui quocumque modo sit membrum Ecclesiæ, etiam si p ure iuridice eius auctoritati se subiciat, *eo ipso* salvus fiat.

5. Denique apparet quam i: mmerito Ecclesia de *intolerantia* accusetur. Triplex eni m distinguitur tolerantia : dogmatica, politica et privata . Tolerantiam dogmaticam Ecclesia quidem damnat, poDiticam admittit, privatam iubet ac exercet. Tolerantia quiippe *dogmatica* dicitur illa qua quis profitetur, omnes resligiones vel saltem omnes religiones Christianas esse æquialiter veras vel æqualiter ad salutem conducentes : et ha:.nc Ecclesia merito damnat. Tolerantia vero *politica* est illsi quæ religionis falsæ asseclis publicam cultus libertateim et iura civilia concedit : et hanc Ecclesia admittit, « wel propter aliquod bonum quod provenit vel propter aliqjuod malum quod vitatur » (S. Thomas, II, II, q. x a. xi), praesertim ad pacem reipublicæ servandam. Tolerantia ciivilis vel *privata* est caritas et benevolentia erga fratres eerrantes : et hanc Ecclesia iubet ac suis imponit sicut eaim et exercet (cf. Pius IX. Denz., 1678) ; dum acatholici multipliciter eam kedunt1.

Acatholici quidem ob ipsam doctrinam de necessitate Ecclesiæ ipsi crimen intolerant-iæ improbant, ac insinuant illud adagium ex cupiditate d-.ominandi teneri2. At res e contra se habet.

Principium enim nécessitai.iïs Ecclesiæ tantum culpabiles a salute excludit — id quaod est iustitiæ et veritatis,, non vero intolerantiæ ; *Ecclesia* vero principium illud inculcat et premit ne homines, sib imetipsis blandientes, in re gravissima errent ac relicta vesra ac unica via salutis, in æternum pereant — id quod est caritatis.

1. Cf. N. Paulus, *Proleslantisir-ius und Toleranz in* 16. *lahrhunderl,* 1911.

2. F. Heiler, *Der Kalholizismuss,* p. 613 s.

ARTICULUS TRIGESIMUS PRIMUS

De indefectibilitate Ecclesiæ

Transimus nunc ad duas alias proprietates Ecclesiæ quibus character specificus Ecclesiæ adhuc magis patebit : huiusmodi sunt indefectibilitas et infallibilitas Ecclesiæ. Istæ duæ proprietates proprie *dotes* vel charismata Ecclesiæ vocantur, utpote dona supernaturalia, gratuita et Ecclesiæ ad finem suum consequendum collate.

I. Notio indefectibilitatis. — *Indefectibilitas* definitur tamquam *charisma Ecclesiæ quo usque in finem mundi immutata permanet qualis a Christo instituta est.* Indefectibilitas igitur tria dicit : *primo* lactum durationis usque ad finem mundi = permanentium perennem, sine interruptione ; *secundo* immutabilitatem, nempe substantialem, quoad sc. doctrinam, media sanctifica et constitutionem, ita ut Ecclesia tamquam eadem societas specifica usque ad diem ultimum perduret — non autem excluditur mutatio accidentalis et multo minus evolutio et explicatio perfective ; *tertio* indefectibilitas non tantum factum perpetuæ durationis, sed simul impossibilitatem defectionis importat : inde indefectibilitas distinguitur a perpetuitate : nam perpetuitas dicit solum factum durationis perennis, indefectibilitas autem dicit vim et vitalitatem indeficientem intrinsecam. Non raro tamen vox indefectibilitatis et perennitatis usurpatur promiscue.

II. Adversariorum sententia. — Rationaiistæ, considerantes Ecclesiam ut opus pure humanum, eam essentialiter defectibilem, immo mox defecturam prædicant. Protestantes non quidem invisibilem, sed visibilem Ecclesiam defectibilem dicunt. Iansenistæ possibilitatem et factum status « senilis » (Quesnel) vel « generalis obscurationis super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem et quæ sunt basis fidei et moralis doctrinæ lesu

Christi' » affirmarunt. Modernistæ tenent : « Constitutio organica Ecclesiæ non est immutabilis; sed societas Christiana pcrpetuæ evolutioni æque ac societas humana est obnoxia* ».

III. Doctrina catholica. — Ecciesiam esse indefectibi-Icm, dogma est fundamentale fidei catholicæ. Huiusmodi dogma continetur (saltem implicite) iam in Symbolo apostolico, dicente : Credo... sanctam Ecclesiam; ibi enim Ecclesia ut obiectum perenne fidei proponitur. Similiter Conc. Vatie. Ecclesiam ob « invictam stabilitatem » tamquam « motivum perpetuum credibilitatis » (Denz., 1794) proponit, et declarat quod Christus « in Ecclesia sua pastores et doctores *usque ad consummationem sæculi* esse voluit » (Denz., 1821), et definit, « esse ex ipsius Christi Domini institutione ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat *perpetuos* successores » (Denz., 1825). Notandum tamen est, indefectibilitatem de Ecclesia universali, non vero de aliqua Ecclesia particulari, excepta Ecclesia proprie Romana, prædicari.

IV. Thesis : Ecclesia Christi est indefectibilis.

Prob. 1. *Ex promissione Christi.* — Christus instituendo Ecclesiam simul promissionem expressam indefectibilitatis adiungit, promittendo etiam media efficacia ad illam servandam. Ita Christus declarando voluntatem fundandi Ecclesiam, simul declarat, eam fore invincibilem : « Tu es Petrus et super hanc petram ædiflcabo Ecclesiam meam et portæ inferi non prævalebunt adversus eam » (Mt., xvi, 18) : in quo textu pro nostra quæstione parum interest utrum promissio *directe* ad Petrum vel ad Ecclesiam sese referat. Inde Christus Ecclesiæ Spiritus S. assistentiam exorat : « Et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis... » (Joa., xiv, 16 s.). Denique, Apostolis Ecclesiam tradendo, promittit : « Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi » (Mτ., χχνιιι,

1. Prop. I, Synodi Pistoriensis, D., 1501, damnata ut haeretica.
2. *Decret. Lament.,* Prop. 53.

20). In testimonium promissionis mittit Spiritum S. in die Pentecostes. Ita Apostoli docebunt « omnes gentes ». Idem significatur per parabolas, ut agri, cuius « messis consummatio sæculi est » (Mt ., x iii, 24-30 ; 38-41) et sagenæ quæ bonos et malos capit usque ad consummationem sæculi (Mτ., x iii, 47-50).

Id quod iam in V. T. promissum erat, inquantum regnum messianicum tamquam perpetuum repræsentatur (Is., ix, 7 ; Dan., ii, 44) ; unde et angelus B. Mariæ V. annuntiat : « Paries filium... et regnabit in domo Jacob in æternum et regni eius non erit finis » (Lc., i, 31 s.).

Prob. 2. *Apostoli* Ecclesiam usque ad adventum Christi duraturam edocent ; inde Ecclesia usque ad finem temporis permanbit. Ita Paulus Corinthiis scribit :« Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis, *donec veniat »(/Cor.,* xi, 26) L In ep. ad Heb. (x ii, 28) Ecclesia vocatur « regnum immobile » in oppositione ad synagogam mobilem et translatam (v. 27). Eodem sensu in Didache oratio proponitur : « Recordare Domine, Ecclesiæ tuæ, ut eam liberes ab omni malo eamque perficias in caritate tua et collige eam a quatuor ventis in regnum tuum quod ei parasti » (x, 5).

De reliquo sententia Apostolorum apparet ex doctrina qua Ecclesia tanquam domus, templum, civitas Dei, tanquam corpus et sponsa Christi proponitur : qua doctrina simul causa et ratio ihdefectibilitatis Ecclesiæ assignatur.

Prob. 3. *Patres* indefectibilitatem Ecclesiæ maxime intimæ coniunctioni inter Ecclesiam et Christum (et Spiritum S.) adscribunt. Iam S. Ignatius incorruptionem vel potius incorruptibilitatem prædicat quam Christus Ecclesiæ inspiravit *[Ad Eph.,* xvn, 1). Irenæus similiter Spiritum S. tanquam « arrham incorruptelæ » Ecclesiæ adducit *{Adv. Hær.,* m, 24, 1) et « charisma veritatis certum » in successione apostolica » secundum beneplacitum Patris » (I. c. iv, 26, 2) : « huic enim (Ecclesiæ) creditum est lumen Dei... et est lucerna Christi, bajulans lumen » (1.c.,v, 20, 1). Præsertim S. Augustinus indefectibilitatem Ecclesiæ de-

1. Gf. *I Thess.,* iv, 12 ss. ; ***II*** *Thess.,* π ; *Tit.,* n, 13 ; *Jac.,* v, 7 , *// Pel.,* m, 12.

fendit, sc. contra Donatistas affirmantes Ecclesiam periisse el tantum adhuc in Africa remansisse. » Nemo, ait, delet de rœlo constitutionem Dei, nemo delet de terra Ecclesiam Dei ; ille totum orbem promisit, ista totum orbem replevit » (Ep. 43, c. xvn, 45). « (Ecclesia) pugnare potest, expugnari non potest » (De Symb. ad catech., Serm. I, ‹I. vi, 14). Rationes quas S. Doctor adducit, præcipuæ sunt. : a) Ecclesia quia coniuncta cum Christo tanquam capite, in eius incorruptibilitate participat ; *b)* matrimonium spirituale Christi et Ecclesiæ est indissolubile.

Prob. 4. *Ex ipsa natura Ecclesiæ.* — Ecclesia est institutum Filii Dei incarnati, post redemptionem iàm factam, ad salutem hominum, ad opus redemptionis continuandum. Atqui nulla ratio assignari potest ob quam huiusmodi institutum vel simpliciter cessare vel alteri instituto cedere debeat. Ergo Ecclesia usque ad finem mundi persistere oportet.

Quicumque fundator aliuius societatis opus suum perenne statuere intendit, nisi rationes contrariæ adsint : ita fundatores regnorum terrestrium vel ordinum religiosorum. lamvero Christo neque scientia neque potestas necessaria ad Ecclesiam definitivam instituendam deerat. Post redemptionem factam novus status humanitatis non sequitur : inde differentia inter synagogam et Ecclesiam. Ecquidem etiam synagoga; promissio perpetuitatis facta est divinitus *{Exod.,* xn, 14), sed synagoga essentialiter fuit præparatio ad regnum messianicum cui cedere deberet : unde sensus promissionis est ut aliquando in regnum Christi perpetuum transeat. Deinde conditio hominum quantum ad salutem acquirendam omni tempore essentialiter eadem est neque in constitutione Ecclesiæ aliquid est quod hominibus cuiuscunque temporis vel conditionis non conveniat. In præsenti igitur ordine gratiæ Ecclesia semel instituta necessario perennis erit. Unde Cone. Vatie, docet, Christum Ecclesiam instituisse, « ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet » (Denz., 1821).

V. Corollaria. — 1. Fundamentum vei ratio indefec-

tibilitatis Ecclesiæ non est vis naturalis Ecclesiæ, imo nequideni virtus, zelus vel sapientia membrorum vel præsidum Ecclesiæ, sed proprie et formaliter assistentia Dei promissa. Deus tamen ad Ecclesiam semper conservandam operatione hominum utitur. Vanæ igitur sunt cogitationes hominum timidorum vel inimicorum qui putant Ecclesiam, ob pessimas conditiones mundi, mox vel aliquando, ut e. g. in tempore Antichristi, defecturam esse.

2. Indefeetibilitas Ecclesiæ proprie est obiectum fidei, credenda propter promissionem Christi ; invicta tamen stabilitas Ecclesiæ in summis difficultatibus et periculis et persecutionibus merito a Cone. Vatie, tanquam magnum et perpetuum motivum credibilitatis huius promissionis adducitur (Denz.. 1794).

3. Quia Ecclesia inter omnes institutiones huius mundi est opus a Deo principaliter intentum et omnibus aliis præeminens, homines eorumque fata factaque ita providentia divina disponuntur ut Ecclesia nascere, crescere et conservari, immo florere possit. Historia Ecclesiæ est centrum historiæ humanitatis.

4. Indefeetibilitas Ecclesiæ simul infallibilitatem comprehendit : Ecclesia enim si a fide vera, sive in credendo sive in docendo, deficere posset, simul vera Ecclesia Christi esse desineret. De infallibilitate tamen specialiter art. seq. tractabimus.

5. Indefeetibilitas Ecclesiæ immutabilitatem quidem essentialem importat, minimo vero excludit ut Ecclesia successione temporum accidentaliter perficiatur. Ad rem optime S. Thomas, I, Tl, q. evi , a. 4 : Utrum lex nova sit duratura usque ad finem mundi. Respondet S. Doctor : « Status mundi variari potest dupliciter. Uno modo *secundum diversitatem legis :* et sic huic statui novæ legis nullus alius status succedet. Successit enim status novæ legis statui veteris legis, tanquam perfectior imperfectiori : nullus autem status præsentis vitæ potest esse perfectior quam status novæ legis...

Alio modo status hominum variari potest *secundum quod homines diversimode se habent ad eandem legem, vel perfectius vel minus perfecte :* et sic status veteris legis frequenter fuit mutatus, cum quandoque leges optime custodirentur,

quandoque autem omnino praetermitterentur ; sic etiam et, status novæ legis diversificatur secundum diversa loca el tempora et personas, inquantum gratia Spiritus Sancti perfectius vel minus perfecte ab aliquibus habetur. Non tamen est expectandum quod sit aliquis status futurus in quo perfectius gratia Spiritus Sancti habeatur quam hactenus habita fuerit, et maximo ab Apostolis, qui primitias Spiritus acceperunt, idest et tempore prius et cæteris abundantius. »

ARTICULUS TRIGESIMUS SECUNDUS

De infallibilitate Ecclesiæ

Circa infallibilitatem Ecclesiæ tractabimus :

1. De *nolione et existentia* infallibilitatis Ecclesiæ (a. 32).
2. De *obiecto* infallibilitatis in genere (art. 33).
3. De quibusdam obiectis *in particulari* (art. 34-38).

I. Doctrina catholica. — Ecclesiæ infallibilitatem Conc. Vatie, hic verbis enuntiat : « Neque enim fidei doctrina quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi sponsæ tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda[1]. » Atque infallibilitatem romani Pontificis definiendo eam sic defininit : Romanum Pontificem « ea infallibilitate pollere qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit[2] ». His verbis Concilium infallibilitatem Ecclesiæ in rebus fidei et morum tanquam dogma iam antea recognitum statuit. Atque revera est dogma de quo intra Ecclesiam nunquam fuit disputatio, dogma quod denique tandem iam in symbolo, saltem implicite, continetur, inquantum sc. Ecclesia sancta et apostolica esse creditur, id quod fidem immaculatam et immutatam involvit.

II. Adversarii. — *Protestantes* distinguunt inter ecclesiam invisibilem et visibilem : invisibilem tanquam infallibilem admittunt, visibilem tamen maxime fallibilem statuunt ; immo infallibilitatem maxime adhorrent, utpote contrariam spiritui privato et « libertati evangelic»' ». *\nglicani* (Puseytæ) tanquam subiectum infallibilitatis ponunt ecclesiam universalem, ex ecclesia romana. græca

I. Sees. III, c. iv; Denz., 1800.
?.. Sess. IV, c. iv ; Denz., 1839.

et anglican» constitutam. » Verum hæc ecclesia universalis, in 1res communitates divisa, cum testificandæ fidei impar sit, eo ducit ut infallibilis ecclesia in concreto nulla conspiciatur1. » *Modernistæ,* uti patet, infallibilitaten deridenti2. *Guenlherus* (1783-1836) infallibilitatem Ecclesiæ verbotenus quidem tenet, re vera autem negat. Secundum enim Guenther Ecclesia quidem infallibiliter indicat quænam ex diversis interpretationibus doctrinæ revelatæ sit aptissima, i. e. magis vera et magis conformis scientiæ alicuius periodi, veritatem autem absolutam determinare nequit ; unde definitiones Ecclesiæ continent quidem *aliquam* veritatem, non tamen veritatem simpliciter. Contra hanc theoriam Conc. Vatie, declaravit : « Sacrorum dogmatum is sensus est perpetuo retinendus quem semel declaravit sancta mater Ecclesia nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiæ specie et nomine recedendum (est) »3.

Denique dogma infallibilitatis Ecclesiæ una ex parte maxime spirit ui moderno contrariatur quippe qui independentiam absolutam rationis humanæ a quacunque auctoritate, principaliter infallibili, proclamat, altera ex parte culmen missionis divina' Ecclesiæ importat4.

III. Definitio infallibilitatis. — Infallibilitas est charisma Ecclesiæ quo per assistentiam Spiritus S. in rebus fidei et morum errare non potest.

Explic. a) Infallibilitas per oppositionem ad errorem dicitur : unde infallibilitas errorem excludit et veritatem iudicfi importat5. Error autem vel tantum de facto excluditur vel etiam possibilitas erroris excluditur : inde distinguitur inerrantia ab infallibilitate proprie dicta6. Ita

1. Groot, *De Ecclesia,* q. vm, a. 3, 6.
2. Cf. *Decrel. I.amenl.,* prop. 59 ss. et *Encyclic. Pascendi,* passim.
3. Sess. 111, c. iv ; Denz., 1800.
4. Hergenrother, *Apol.,* p. 560.
5. Veritas enim sicut et error proprie et formaliter tantum in indicio intellectus vel rationis habetur : unde infallioilitas proprie, rectitudinem iudicii, et quidem definitivi dicit. S. Thomas, I, q. xvi, a. 2.
6. Non raro tamen inerrantia ac infallibilitas promiscue dicuntur.

infallibilitas dicit *impossibilitatem errandi.* Minime vero infallibilitas peccatum vel possibilitatem peccandi excludit.

b) Impossibilitas errandi vel rectitudo iudicii Ecclesiæ tanquam *charisma,* i. e. tanquam donum Dei gratuitum et supernaturale, attribuitur. Deus enim est infallibilis per suam essentiam increatam (infallibilitas essentialis et imparticipata), creaturæ autem infallibiles esse nequeunt nisi per participationem a Deo (inf. participata)". Quæ participatio fieri potest vel per ipsam naturam vel per donum supernaturale : ita intellectus creatus, participando per naturam suam in lumine intellectivo divino, errare non potest circa prima principia, ut talia1; Ecclesiæ vero infallibilitas neque est naturalis, neque sequitur ex indole naturali membrorum vel pastorum Ecclesiæ, sed *proprie el unice ex dono Dei supernalurali,* Ecclesiæ a Christo promisso. Inde infallibilitas proprie est *charisma* Ecclesiæ : donum divinum, supernaturale, in utilitatem Ecclesiæ et fidelium collatum : gratia gratis data[2].

Huiusmodi charisma est proprie *Ecclesiæ,* i. e. in bonum Ecclesiæ confertur et competit diversis personis ut sunt membra vel organa Ecclesiæ, non vero ut sunt personæ privatæ : ita v. g. infallibilitas romano Pontifici competit, non ut est persona privata neque quia est sanctus vel doctus, sed quia est caput Ecclesiæ.

c) Ecclesia donum infallibilitatis consequitur *per assislenliam Dei* vel (per appropriationem) Spiritus Sancti, i. e. *per operationem* specialem providentiæ divinæ, qua sc. Ecclesia ab errore præservatur. Assistentia duplex *officium* habet : unum *negativum* = *impedire* ne Ecclesia erret vel in errorem inducat, aliud *positivum* = *illuminare* Ecclesiam ut veritatem cognoscat et fideles recte instruat. Huiusmodi illuminatio non fit, *neque per revelationem* : « neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promis-

1. S. Thomas, I, q. lxxxv, a. 6.

2. « Huiusmodi donum vocatur gratia gratis data quia supra facultatem naturæ et supra meritum personæ homini conceditur : himl <|ilia non datur ad hoc ut homo ipse per eam iusliilcelur, sed potius ut ad justificationem alterius coeperetur, ideo non vocatur liratum faciens (= sanctificans). » S. Thomas, i, ii, q. exi, a. 1.

sus est *ut* eo revelante *novam doctrinam patefacerent,* sed ut eo assistente ...fidei depositum saticte custodirent et fideliter exponerent[1] » ; *neque per inspirationem,* sc. eam qua auctores S. Scripturae a Deo ad scribendum moventur, ita ut Deus ipse sit auctor (principalis) S. Scripturæ, sed exclusive *per auxilium speciale Dei* — Deo adiutore », dicit Concil. Vatie., — quale auxilium quidem varia media comprehendit[2]. Assistentia vero, illuminatio vel auxilium Dei non excludit propriam operationem subiecti infallibilitatis, sed e contra eam subaudit, dirigit et causât : tantum *ratio* infallibilitatis exclusive est auxilium divinitus promissum[3].

d) Obieclum infallibilitatis determinatur per particulam : « res *fidei et morum* », i. e. revelata doctrina fidei vel depositum fidei[4] : id quod in seq. art. explicabitur.

e) Denique *infallibilitas activa et passiva* distinguitur : *activa* dicitur infallibilitas *in docendo, passiva* vero in *credendo.*

IV. Thesis : Ecclesia Christi est infallibilis in rebus fidei et morum.

Prob. 1. *Ex parte Christi.* — Christus infallibilitatem Ecclesiæ quadruplici modo edocet : 1. *declarat se* velle

1. *Concil. Val.,* sess. IV, c. iv ; Denz., 1836.

2. Inde habes distinctionem inter revelationem, inspirationem et assistentiam divinam vel infallibilitatem. *Revelatio* enim divina *novam inani/eslalionem* veritatis ex parte Dei importat ; *inspiratio* Scripturæ Sacræ *motionem* divinam ad scribendum dicit, et quidem talem ,ut ipse Deus sit auctor S. Scripturæ et ipsa proprio sil verbum vel opus Dei ; *assistentia* vero solum *auxilium* speciale ac supernal orale Dei involvit quo sc. Ecclesia ab errore præservatur. Linde revelatio est exclusive actio Dei ; inspiratio est quidem actio Dei, qui tamen hagiographo tanquam instrumento utitur ; assistentia est actio Dei qua ad actionem hominis auxiliando concurrit. Revelatio igitur est solius Dei, S. Scriptura vero est opus tum Dei tum hagiographi, infallibilitas proprie est Ecclesiæ, Romani Pontificis, licet « Deo adiutore ».

3. *Modus auxilii* divini quo Ecclesia eiusque organa certissimo infallibiles redduntur, *per doctrinam thomislicam* de præmotione physica, vel generaliter per doctrinam de influxu Dei in opera,tiones humanas, *optime explicatur ;* ut sc. tum infallibility auxilii divini tum libertas hominis servetur.

4. *Concil. Valic. :* Denz., 1800, 1839.

fundare Ecclesiam infallibilem ; 2. *exoral* Ecclesiæ infallibilitatem ; 3. Apostolos in doctores infallibiles *insliluil ;* 3. *Spiritum Sanctum mittit* tanquam pignus infallibilitatis.

1. *Christus declarat se velle fundare Ecclesiam infallibilem* adeoque infallibilitatem promittit. In prima enim declaj ratione voluntatis suæ de Ecclesia fundanda Christus promittit : « Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam et portæ inferi non prævalebunt adversus eam » (Mt., xvi› 18). His verbis Christus declarat, se Velle fundare Ecclesiam super firmum fundamentum constitutam, (per metaphoram petræ), ita ut sit inexpugnabilis, contra quam sc. portæ inferi, i. e. potestas adversa, prævalere non possint. Ecclesia igitur Christi permanebit talis qualis a Christo fundabitur. Unde Ecclesia Christi semper fidem et doctrinam Christi tenebit, i. e. neque errabit neque errare poterit in rebus fidei.

2. *Christus exoral Ecclesiæ infallibililatem, exorando missionem Spiritus Sancti eiusque adventum promittendo :* « Et ego rogabo Patrem (en orationem) et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere quia non videt eum nec scit eum : vos autem cognoscetis eum quia apud vos manebit et in vobis erit » (en promissionem) (Joa., xiv, 16, 17). Christus igitur loco præsentiæ suæ corporalis et visibilis Spiritum Sanctum exorat et promittit, Spiritum veritatis, qui cum venerit, « docebit omnem veritatem » (Joa., xvi, 13) et « docebit omnia et suggeret omnia » quæcumque Christus dixerit (Joa., xiv, 26) : huiusmodi Spiritum veritatis immediate quidem Apostolis promittit, tamen ut « maneat in æternum », sc. in Ecclesia Apostolorum, in Apostolis et eius successoribus. Itaque Ecclesia ‹ '.hristi Spiritum Sanctum habebit, tanquam pignus et ' ausam effectricem infallibilitatis.

3. *Christus Apostolos et eius successores in doclores et pastores infallibiles instituit.* Μτ.,Χχνιιι, 18-20 Christus Apostolis dicit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo el in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos..., docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis : et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. » His verbis Christus a) Apostolis

officium et potestatem commitit, prædicandi et docendi doctrinam et mandata sua, in virtute potestatis adeoque cum auctoritate ipsius Christi ; *b)* promittit quod res ita erit, i. e. quod Apostoli de facto evangelium Christi totum et integrum, immutatum omnes gentes docebunt ; c) in cuius signum et pignus assistentiam suam promittit; *d)* non pro aliquo tempore tantum, sed usque ad consummationem sæculi, i. e. usque ad finem mundi. Apostoli igitur, sive ipsi sive successores eorum, semper totam doctrinam Christi docebunt et apud eos qui Apostolos sequuntur, semper evangelium Christi credetur, adeoque doctrina et fides Ecclesiæ Christi semper erit identica cum doctrina Christi = absque errore = infallibilis[1].

4. *In signum et testimonium orationis exauditae et promissionis impletae et simul ad effectum infallibilitatis consequendae, Christus in die Pentecostes Spiritum sanctum effective mittit in discipulos,* ut sc. maneat in æternum *{Act.*. π, 1-4).

Itaque Christus, licet verbo infallibilitatis non utatur, rem tamen infallibilitatis aperte promittit, sc. quod Apostoli neque aliam doctrinam neque aliam fidem quam doctrinam et fidem evangelii prædicabunt et quod gentes hanc fidem tenebunt : infallibilitatem Ecclesiæ verbis non quidem abstractis sed concretis enuntiat, non tam docendo quam promittendo : Ecclesia mea erit infallibilis.

Prob. 2. *Ex parte Apostoli Pauli.* — Apud Apostolum Pauluin infallilulitas iam in idea Ecclesiæ exprimitur. Ecclesia enim ipsi est corpus Christi mysticum (Eph., v, 23 ss. ; */ Cor.,* xn, 12 ss.), cuius Christus est caput, est domus Dei (*/ Tim.,* m, 15), templum Dei *{Eph.,* n, 21) ;

1. Verba : *ego vohiscum sum,* et similia, quibus Deus promittit, se cum aliquo fore in opere peragendo vel in munere fungendo, in S. Scriptura significant, opus illud fore certo perficiendum et cum effectu. Cf. *Exod.,* m, 11, 12 : « *Dixit Moyses ad Deum : Quis sum ego, ut vadam ml Pharaonem et educam filios Israel de Ægyplo 2 Qui dixit ei : Ego ero tecum.* » Ita'QLpostoli, accepto mandato docendi omnes gentes, quærere poterant : qui sumus nos ad tantum mandatum implendum ? Quibus proinde Christus promittit : Ite, ego ero vobiscum, adimplebitis opus meum et gentes quæ docueritis, credent. Cf. *Gen.,* xxvi, 3, 28 ; *Deui.,* xxxi, 8; Jerem., xxx, 10 s. ; *Aci,* xvm, 9 s. ; Groot, q. vm, a. 3, p. 287.

ita in Ecclesia, ex virtute Christi, semper lex Christi et Dei, veritas Evangelii Christi regnabit neque Ecclesia per fidem falsam Christo et Deo aversa esse poterit. Inde Apostolus Timotheo scribit ut sciat « quomodo oporteat *in domo Dei* conversari *quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis* » *(1 Tim.,* m, 15)[1]. Ex eadem ratione Apostolus simpliciter fidem in doctrinam Ecclesiæ exigit, et in proprium Evangelium *(Gal.,* i, 8), ac, si virtutem fidei extollit, non aliam fidem novit nisi fidem Ecclesiæ. Itaque Apostolus Paulus doctrinam fidei Ecclesiæ simpliciter tanquam veram adeoque infallibilem considerat ac prædicat.

Prob. 3. SS. *Patres* infallibilitatem Ecclesiæ sequentibus principiis enuntiant : 1. Fides Ecclesiæ est simpliciter vera adeoque necessitate salutis tenenda. 2. Ecclesiæ fides est regula fidei ac remedium contra omnes errores. 3. Qui ab Ecclesiæ fide deficiunt, eo ipso a via veritatis aberrant. 4. Ecclesia habet Spiritum Sanctum et Christum tanquam caput:ex quo in fide illuminatur et confirmatur. 5. Ecclesia est indefectibilis. 6. Omnes PP. doctrinam Ecclesiæ tanquam veritatem divinitus revelatam credunt : in his omnibus infallibilitas Ecclesiæ in fide manifeste docetur.

Ita S. *Ignatius* Ant. in suis epistulis unionem cum episcopo et clero tanquam remedium certum contra hæreses inculcat, quia doctrina Ecclesiæ est doctrina incorrupta Christi. Etenim « ob id Dominus in capite suo accepit unguentum ut Ecclesiæ inspiret *incorruptionem.* Ne unguamini tetro odore doctrinæ principis huius sæculi[1] » Inde « quotquot Dei et lesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo ; et quotquot pænitentia ducti redierint ad unitatem Ecclesiæ, et hi Dei erunt, ut secundum lesum Christum vivant[3] ».

Irenæus apertissime docet : « In Ecclesia posuit Deus apostolos, prophetas, doctores et universam reliquam ope-

1. Quidam protestantes absque ullo fundamento verba « *columna et firmamentum veritatis* » referre voluerunt vel ad Timotheum vel ad mysterium Christi, legendo sc. : ... ecclesia Dei vivi. Columna et firmamentum veritatis et manifeste magnum est pietatis sacramentum quod manifestatum est in carne... »

2. *Eph., ni,* 16 s.

3. *Philad.,* in, 2.

rationem Spiritus, cuius non sunt participes omnes qui non currunt ad Ecclesiam, sed seipsos fraudant a vita. Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei ; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia ; *Spiritus autem veritas*[1] ». Inde concludit : « Iis qui in Ecclesia sunt presbyteris obædire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis..., qui cum episcopatus successione *charisma veritatis certum* secundum placitum Patris acceperunt[2]. » Ratio est quia in Ecclesia « disposita est communicatio Christi, i. e. Spiritus Sancti, *arrha incorruptelæ et confirmatio fidei noslræ* et scala ascensionis ad Deum[3] ». Quapropter « qui non participant eum (sc. Spiritum S.) neque a mamillis matris nutriuntur in vitam neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem : sed effodiunt sibi lacus detritos de fossis terrenis et de cœno putidam bibunt aquam, effugientes fidem Ecclesiæ ne traducantur, reicientes vero Spiritum ut non erudiantur[4] ».

Tertullianus irridendo contra gnosticos argumentatur : « Age nunc, omnes (ecclesiæ) erraverint; ...nullam respexerit spiritus sanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de patre ut esset doctor veritatis ; neglexerit officium dei villicus, Christi vicarius, sinens ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere quod ipse per Apostolos prædicabat[5]. »

S. *Athanasius* : « Sufficit his dumtaxat verbis ad illa (Arianorum paradoxa) respondere : Hæc catholicæ Ecclesiæ non sunt*. »

Et S. *Hieronymus* ; « Poteram omnes propositionum (falsarum) rivulos uno Ecclesiæ sole siccare'. »

Pra-serlim S. *Augustinus* infallibilitatem Ecclesiæ inculcat.

Primo Ecclesia esi indefeetibilis ; inde Ecclesia catholica « contra oinnes hæreses pugnans, pugnare potest, expu-

1. *Adv. Hær.,* in, 24,].
2. l. c., iv, 26, 2.
3. l. c., m, 24, 1.
4. I. c.
5. *De præscriptone,* c. x x v iii, ed. Rauschen.
6. *Epistl. ad Epici.,* m.
7. *Dial. c. Lucifer.,* x x v iii.

gnari non potest[1]. » Secundo Ecclesia » universaliter perfecta est et in nullo claudicat[2]. » Unde Ecclesia est « regula veritatis[3] » et « quisquis ab hoc ventre Ecclesiæ separatus fuerit, necesse est falsa loquatur[4] ». Ratio huius infallibilitatis est quia Christus est caput Ecclesiæ : « caput positum in ccelis gubernat corpus suum[5] ». Itaque « non sequitur Christum qui non secundum veram fidem et catholicam disciplinam Christianus vocatur[6] ». Alloquitur Ecclesiam : Hanc« (sc. veritatem) tu sola habes[7] ».

Prob. 4. *Esc natura Ecclesiæ.* Infallibilitas Ecclesiæ in fide non est aliquid accessorium, sed est proprietas ad eius constitutionem necessario consequens. Etenim :

1. Ecclesia est *regnum Christi,* in quo lex Christi, i. e. Evangelium Christi, valebit.

2. Ecclesia est *indefeclibilis :* deficeret autem et corrumperetur, si a vera fide Christi declinaret, sicut ecclesiæ hæreticæ.

3. *Finis* Ecclesiæ est *sanctificatio* hominum : ad quem finem consequendum vera fides supponitur.

4. Ecclesia Christi erit *una, sancta, catholica el aposlolica :* id quod esse nequit absque vera fide. Etenim unitas fidei non potest sic intelligi quod tota Ecclesia a vera fide deficeret, sed quod tota in vera fide Christi sit una ; similiter et catholicitas ; sanctitas Ecclesiæ immediate veram fidem involvit et hæresim excludit ; apostolicitas denique continuationem immutatam fidei Apostolorum importat.

Antiquitas itaque, profitendo Ecclesiam tanquam regnum Christi indefectibile, tanquam institutum salutis, tanquam Ecclesiam unam, sanctam, catholicam et apostolicam, simul implicite saltem et æquivalenter, Ecclesiam infallibilem professa est : inde Ecclesia semper suam doctrinam tanquam doctrinam fidei proposuit et imposuit et fideles eam tanquam verbum Dei credebant.

1. *De symbolo ad calech., Serm.* I, 6.
2. *De gen. ad Ut.,* i, 4.
3. *Ennarrat, in psalm.* xxx, n. 8.
4. *Ennarrat. in psalm,* 1 v ii, n. 6. ,
5. *De nupl. el concupiscentia,* i, 20, 22.
6. *De serm. in monte,* i, 5, 14.
7. C. Faust., l. 15, c. m.

V. Obiectiones. — *Obiectio'* 1a. Sicut Ecclesia Christi ita et synagoga habuit promissionem divinam ; synagoga autem non erat infallibilis.

Besp. Nego paritatem. Synagoga habuit promissionem utnunquam totaliter credentes deficerent (cf. ***III Beg.,*** xix, 10, 18), non autem habuit proprie promissionem infallibilitatis ; unde sub lege veritas fidei non per principes synagogae, sed per prophetas conservata est, i. e. non per assistentiam ad conservandam fidem, sed *per novas et iteratas revelationes.*

Ob. 2a. Ex textibus quibus infallibili!,as Ecclesiæ probatur, similiter impeccabilitas Ecclesiæ deduci potest.

Besp. Nequaquam. Christus enim promisit quidem, ut *Ecclesia* non deficeret, nunquam autem promisit ut *singuli fideles* nunquam deficerent sive per hæresim sive per peccatum ; e contra prædixit, in Ecclesia fore peccatores.

Ob. 3a. Ad promissiones Christi implendas indefectibilitas quoad articulos fundamentales sufficit.

Besp. Minime : Christus enim Apostolis præcepit ut gentes docerent « *omnia* » quæcunque dixerat eis, et promisit Spiritum Sanctum ut doceret « *omnem veritatem* ». De reliquo cf. quæ supra art. 19 de articulis fundamentalibus diximus.

Ob. 4a. Infallibilitas est contra naturam humanam, nam u) libertatem tolleret sive in credentibus sive in docentibus, *b)* impediret omne st udium et omnem progressum in doctrina revelata investiganda, c) iuguin insupportabile fidelibus imponeret.

Besp. Infallibilit as prout a protestanticis et rationalistis intclligitur, est contra nat uram humanam, transeat ; prout ab Ecclesia catholica docetur, nego.

Explic. Adversarii sicut alia dogmata catholica ita et dogma infallibilitatis pervertunt : intelligunt enim infallibilitatem vel ut donum naturale vel ut facultatem pure iuridicam vel ut effectam per quandam motionem mechanicam, immo magicam Dei, absque ulla cooperatione hominum libera; quæ omnia sunt maxime aliena a sententia Ecclesiæ catholicæ. Simul in obiectione principium ratio-

nalismi latet quod tenet, rationem humanam esse ita independentem ut fides ei a Deo imperari non possit[1].

Infallibilitas vero prout ab Ecclesia catholica docetur et tenetur, minime est contra naturam humanam : minime enim est contra conditionem et inclinationem hominis ut a Deo per revelationem edoceatur et ab errore per assistentiam et illuminationem specialem præservetur.

In particulari a) *libertas* hominum minime laeditur : ita enim Deus Ecclesiæ assistit, ita illam illuminat ut ab ipso detur fidelibus et pastoribus Ecclesiæ ut ipsi credant et veram fidei doctrinam intelligent[2], et ita Deus voluntahominum dirigit ut det illis propriam inclinationem, sc. Deus illuminando et movendo efficit ut ipsi homines credere et veram doctrinam tenere velint, ut cuiusque fidelis propria experientia testificatur[3].

b) *Studium* in investiganda doctrina revelata per infallibilitatem Ecclesiæ minime impeditur sed e contra excitatur et fovetur. Cum enim infallibilitas neque per revelationem neque per inspirationem sed per solam assistentiam habeatur, hominum est, Deo adjuvante, veritatem per inquisitionem propriam invenire ; indicii infallibilitas tantum certitudinem absolutam addit : cuius assequendæ spes studium excitat et quæ habita ad novas inquisitiones impellit. De facto quoque in Ecclesia summum studium veritatis inquirendæ viget et profectus verus obtinetur, dum extra Ecclesiam homines sunt « semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes » *{II Tim.,* m, 7).

c) Auctoritas infallibilis Ecclesiæ est quidem *iugum* quoddam inquantum homo ad accipiendam sententiam Ecclesiæ obligatur : id quod homini superbo et corrupto non est facile; —ex altera parte tamen infallibilitas Ecclesiæ fideli est ratio gaudii et pacis : quid enim homo magis desiderare potest quam habere certitudinem veritatis ?

1. *Cone. Vatic., de fide,* can. 1 ; Denz., 1810.

2. S. Thomas, , q. cui, a. 3 ad 1 : « Ab ipso enim datur intelll't'iili quod intelligcre possit. »

3. S. Thomas, l. c., a. 4 ad 1 : « Deus, movendo voluntatem, dat <l eius propriam inclinationem. »

VI. Corollaria[1]. — 1. *Ecclesiæ fides deficere non potest.* « Si in æternum Ecclesia Christi manu sustinetur, Christi præsidio armatur, Christi virtute fulcitur, Christi sapientia regitur, fides profecto in ea permanebit, sine qua regnum Christi in terris nullum est[2] ».

2. *Ecclesia in credendo errare non potest,* non solum Ecclesia antiqua, sed nec Ecclesia quæ nunc est quæve futura est usque ad consummationem sæculi. Id quod sic accipiendum est, « ut quidquid Ecclesia tanquam fidei dogma tenet, verum sit, nec quidquam falsum quod illa aut credit aut docet esse credendum[3][4] ».

3. « *Non solum Ecclesia universalis, i. e. collectio omnium fidelium, hunc veritatis spiritum habet, sed eundem habent etiam Ecclesiæ principes et pastores* »,*i.* e. *non tantum Ecclesia credens* (l. c. n. 8), *sed etiam Ecclesia docens est infallibilis.*

Singuli quidem pastores (episcopi) errare possunt ; si autem tota Ecclesia docens in fide errare posset, tunc etiam tota Ecclesia credens erraret : quia sequitur docentem et ad id obligatur[5].

4. *Ecclesia credens est subieclum infallibilitalis passivæ, Ecclesia vero docens est subieclum infallibilitalis activæ : ita tamen ut Ecclesia docens sil causa et medium infdllibililatis Ecclesiæ credentis; adeoque infallibililas prius el immediate Ecclesiæ docenti est promissa eique competit.*

Ecclesia *credens* dicitur collectio omniin fidelium (romani Poid ilicis, episcoporum, clericorum et laicoruip),non quidem prout sunt numerus quidam fidelium, sed inquantum Ecclesiam constituunt : infallibililas enim non certo numero fidelium, sed Ecclesiæ, ut ecclesiæ, promissa est ; ita Ecclesia universalis est subieclum infallibilitalis passivæ i. e. in credendo (coroll. 2).

Ecclesia docens ex iis constuitur quibus vi muneris ius et officium competit, doçendi cum auctoritate fideles :

1. Cf. Canus, *De locis Iheologicis,* l. IV, c. iv.
2. l. c., n. 2.
3. l. c., n. 4 ; videsis ibi planiorem explicationem.
4. l. c., n. 8.
5. *Canus,* l. c., n. 9 notat optime : « Multo melius Ecclesiæ est nullos (pastores) habere quam errantes. »

huiusmodi sunt romanus Pontifex et episcopi (sive per orbem dispersi sive in concilio generali simul cum rornano Pontifice collecti).

Richeriani el Pistorienses[2] docuerunt, potestatem regendi et docendi prius et immediate fidelium universitati esse collatam, adeoque infallibilitatem prius et immediate universitati fidelium competere et ab ea in pastores Ecclesiæ tanquam in ministros fidelium transire[1]. E contra vero Christus et Paulus et PP. docent tum potestatem tum infallibilitatem prius et immediatius Apostolis et eorum successoribus adeoque Ecclesiæ docenti competere : *Apostolis* enim promissum est ut per eos omnes gentes in fidei veritate edocerentur ; Apostolis Spiritus S. promissus est ; per continuationem potestatis Apostolis concessæ Ecclesia in unitate fidei sancta et catholica conservatur. Id quod infra similiter quantum ad romanum Pontificem patebit, ex cuius sc. infallibilitate Ecclesia tum credens tum docens infallibilis redditur.

1. Cf. Consi. « *Auctorem fidei,* prop. 2 et 9-11 ; Denz., 1502, 1509-11.

2. Consequenter ad falsam doctrinam de infallibilitate Ecclesiæ, Pistorienses postulaverant ut ad determinandam veram doctrinam fidei consensus omnium fidelium vel saltem sacerdotum exquireretur. Quibus iam in antecessum *Canus* responderat, scribendo : « Veritas fidei... non est a populo quærenda : tum quoniam id esset operis infiniti ut ad quæstionem unamquamlibet decernendam omnium sententia fidelium rogaretur ; tum etiam quoniam, ut fieri id commodissime posset, non deceret tamen aut cerdonum aut muliercularum singillatim inquirere et expextare iudicium. Sive enim unumquemque seorsum interroges de quæstione quæ in dubium venit, seu universos velis in concilium cogere, ridicula sane futura sit huius generis inquisitio. Ita per Ecclesiæ auctoritatem nulla penitus controversia finiretur, si ad eam finiendam totius consensum plebis requirere deberemus. Addendum eodem est, quædam ad doctrinam fidemque Ecclesiæ pertinere quæ populares prorsus ignorant, ut Patrem et Filium esse unum principium Spiritus Sancti... aliaque similia, in quibus sententiam populi requirere tam est absurdum ut non in sapientium modo animos, sed ne in stultorum quidem casurum sit ; nec enim placere cuipiam potest tantas reo imperiti VLlgi calculis iudicari » l. c. n. 9.

ARTICULUS TRIGESIMUS TERTIUS

De oblecto infallibilitatis Ecclesiæ in generali

Probata existentia infallibilitatis Ecclesiæ, quaeritur de obiecto vel de extensione huius infallibilitatis. P. de *Groot* ad quæstionem optime notat : « Præclara dos infallibilitatis quantam lucem et pacem hominum animis afferat, nemo satis intelliget nisi comperto quam late promissa divinitus assistentia pateat. Qui promissionem ultra quam Christo placuit, temere aut inscienter extendit, ridiculam facit inerrantiam ; qui arroganter coarctat, ordinationi divinæ resistit[1] ».

I. Doctrina catholica. — Doctrina Ecclesiæ catholicæ circa obiectum infallibilitatis Ecclesiæ (et Romani Pontificis) his propositionibus continetur :

1. *Dogma esi expresse ab Ecclesia propositum quod Ecclesia* (concilia generalia et romanus Pontifex) *est infallibilis in rebus fidei et morum, vel circa doctrinam divinitus revelatam vel circa depositum fidei.* Ita Conc. Vatie, definivit : « *Fidei doctrina* quam Deus *revelavit*... tanquam divinum depositum Christi sponsæ tradita (est), fideliter custodienda et infallibiliter declaranda[2] », et « Romanum Pontificem... ea infallibilitate pollere qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit[3] », et : « Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo assistente *traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum* sancto custodirent et fideliter exponerent[4] ».

2. *Dogma expresse ab Ecclesia propositum est : infallibilitatis ecclesiasticae munus circa doctrinam revelatam est*

1. *De Ecclesia,* q. ix, in capite.
2. Sess. III, c. iv ; Denz., 1800.
3. Sess. IV, c. iv ; Denz., 1839.
4. Sess. IV, c. iv ; Denz., 1836.

ut Ecclesia, Spiritu Sancio iugiter assistente, doctrinam revelatam sancte custodiret et fideliler exponeret. Etenim secundum Conc. Vatie, doctrina divinitus revelata Ecclesia tradita est ut « *fideliler custodienda* et *infallibililer declaranda* »; Spiritus Sanctus Petri successoribus promissus est, ut traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum « *sancte custodirent et fideliler exponerent* »; ad Romanos Pontifices pertinet « rectæ fidei regulam custodire », ut « salutaris Christi doctrina... sincera et pura conservetur », « fidei veritatem defendere et, si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo iudicio definire »; ita denique Ecclesia est infallibilis *in definienda* doctrina de fide et moribus[1], *damnando* sc. hæreses tanquam corruptionem fidei et *proponendo* declarationem et expositionem legitimam doctrinæ revelatæ tanquam dogmata fide divina et catholica credenda[2].

3. Est *doctrina catholica* (licet non fidei dogma) *quod Ecclesia etiam circa ea quæ cum revelatis sunt connexa, sil infallibilis.* Ad huiusmodi connexa pertinent : conclusiones theologicæ, facta dogmatica, res disciplinares ad cultum et vitam christianam spectantes, canonizatio sanctorum et approbatio ordinum religiosorum : de quibus singulis specialiter erit quæstio.

II. Quid sint res fidei et morum. — Dogma catholicum tenet, Ecclesiam esse infallibilem « in rebus fidei et morum ». Res fidei et morum vocantur *illa revelata quæ proprie et per se corpus doctrinæ chrislianæ constituunt* camque a doctrina aliarum religionum distinguunt, ut v. g. unitas Dei, Trinitas personarum,'incarnatio, sacramenta et similia — inde dicuntur res « *ad aedificationem doctrinæ christianæ perlinentes* ». — Res fidei distinguuntur a rebus morum, inquantum *res fidei* sunt revelata *credenda, non vero facienda,* ut g. unitas Dei et Trinitas personarum, *res* vero *morum* sunt *revelata credenda et simul a nobis facienda,* vel exequenda, ut e. g. doctrina de sacramentis suscipien-

1. Sess. IV, c. iv.
2. Sess. III, c. m; Denz., 1792.

dis, præcepta vitæ christianæ[1]. Nota denique : æquivalenter Ecclesia dicitur infallibilis in « *rebus* fidei et morum » et in « *doctrina* de rebus fidei et morum « : etenim Ecclesia est infallibilis *in indicando* de rebus fidei et morum et indicium de illis per modum doctrinæ fidelibus proponitur.

Veteres scholastici inter credibilia *per se* et inter credibilia *in ordine ad alia* distinguebant. Ita S. Thomas distinguit[2] : « Aliqua sunt credibilia (i. e. revelata) de quibus est fides secundum se ; aliqua vero sunt credibilia in ordine ad alia... Per se autem ad fidem pertinent illa quæ directe nos ordinant ad vitam ætemam, sicut tres personæ omnipotentis Dei, mysterium incarnationis Christi et alia huiusmodi...; quædam vero proponuntur in S. Scriptura ut credenda, non quasi principaliter intenta, sed ad prædictoruin manifestationem, sicut quod Abraham habuit duos filios... »

Beceniiores eandem doctrinam alio modo exprimunt, per se credibilia vocando doctrinam de rebus fidei et morum. Ita Concilium Trid[3] decernit, « ut in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium is pro vero sensu S. Scripturæ habendus sit quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia »; idem habet Cone. Vatie.[4][5]

III. De diversimoda revelatione. — Ecclesia dicitur infallibilis in fide vel circa revelata : « non enim fides de qua loquimur, alicui assenl.it nisi quia est a Deo revelatum[3] », quia fide « a Deo revelata vera esse credimus... propter auctoritatem Dei ievelantise ». lamvero aliqua doctrina diversimode revelata esse potest.

1. *Beoelalio naturalis el supernaturalis.* — Revelatio

1. Caveas igitur ne res morum confundas cum doctrina philosophiæ moralis ; res enim morum dicunt doctrinam moralem *revelatam* et omnia quæ in vita Christiana nobis facienda per revelationem imponuntur.

2. *Summa Iheol.,* II, II, q. i, a. 6 ad 1.

3. Sess. IV ; Denz., 786.

4. Sess. III, c. ii ; Denz., 1788:

5. S. Thomas, II, II, q. i, a. 1.

6. *Cone. Vatic.,* sess. III, c. m ; Denz., 1789.

divina est manifestatio alicuius rei vel doctrinæ a Deo facta. Deus autem quædaxn nobis manifestat per creationem mundi : « Invisibilia enim ipsius per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur » *{Rom.,* i, 20) — revelatio naturalis ; alia autem Deus nobis manifestat via supernaturalis, per Prophetas, Christum et Apostolos — revelatio supernaturalis. In nostra quæstione agitur de revelatione supernatural!.

2. *Revelatio communis et privata.* — Revelatio *communis* (quæ etiam publica dicitur) est ea quæ universæ Ecclesiæ credenda proponitur : continetur in verbo Dei scripto vel tradito ; revelatio *privata* est ea quæ alicui personæ privatæ fit, ut est persona privata, ut v. g. S. Catherinæ Senensi, S. Brigittæ, S. Margarethæ Alacoque. Cum Ecclesia dicitur esse infallibilis circa revelata, revelationes communes vel publicae intelliguntur — de infallibilitate circa revelationes privatas specialis erit quæstio.

3. *Revelatio immediata (formalis) et mediala (virtualis)*[1]. — Aliqua doctrina dicitur revelata inquantum est a Deo manifestata. Id quod dupliciter fieri potest : immediate (formaliter) vel mediate (virtualiter). *Immediate vel formaliter* revelatum dicitur quod est revelatum *in se ipso; mediate vel virtualiter* dicitur revelatum quod est revelatum *in suis causis vel principiis.* Sit e. g. quæstio de thesauro abscondito. Revelatur alicui formaliter et immediate, ubi sit thesaurus, dicendo : thesaurus est in tali determinato loco ; revelatur ipsi mediate vel virtualiter, dicendo : N.· N. scit ubi thesaurus sit absconditus et est paratus ut locum indicet. Ita propositio : Verbum caro factum est, in S. Scriptura formaliter et immediate est revelata ; factum vero quod S. Thomas sit in cœlo, tantummodo mediate vel virtualiter est revelatum, inquantum sc. revelata est infallibilitas Ecclesiæ circa canonizationem sanctorum.

1. Videsis expositionem historicam et doctrinalem huius quaestionis in opere nostro : *Introductio in historiam dogmatum,* p. 99-115; 166-179. — Alii aliter distinguunt. Mahin-Sola *(L'évolution homogène du dogme catholique,* I, 64 s.), doctrinam l'ormaliter revelatam vocat illam quam nos ex revelatione absque ratiocinio adeoque immediate cognoscimus, virtualiter vero revelatam eam quam ex revelatione mediante ratiocinio cognoscimus.

4. *Distinctio revelationis formalis vel immediate in revelationem explicitant et implicitam.* — Revelatio formalis vel immediata subdividitur inexplicitam et implicitam. Formaliter *explicite aliqua* doctrina revelata dicitur cum *ipsi termini revelationis vi proprise significationis* doctrinam manifestant vel exprimunt ; aliqua doctrina dicitur formaliter *implicite* revelata cum in fontibus revelationis tantum *terminis vel conceptibus æquivalenlibus vel æquipollenlibus exprimitur.* Ita in S. Scriptura formaliter explicite revelatum est, Christus esse ex genere David (Mτ., i), explicite revelatum est : Verbum caro factum est. Implicite vero revelatum est : Deus vult N. N. salvum fieri ; revelatum enim est explicite : Deus vult omnem hominem salvum fieri (7 *Tim.,* n, 4) ; propositio vero : Deus vult omnem hominem salvum fieri, æquipollens vel æquivalens est huic : Deus vult N. N. salvum fieri. Similiter in revelatione explicita incarnationis Dei implicite revelatur : Deus factus est animal rationale, quia ex communi significatione illi duo termini « homo » et « animal rationale » sunt æquivalentes vel æquipollentes.

5. *Modi diversi revelationis explicite, implicite el virtualis.* — Revelatio tum explicita tum implicita Lum et virtualis diversis *modis* vel formis invenitur.

Primo diversimode aliquid explicite revelari potest, secundum quod res aliqua vel doctrina diversimode in se ipsa, directe et terminis propriis significari vel manifestari potest. Res enim vel doctrina significari potest : vel termino *signato* (ut cum dico : Deus est fortis), vel termino *metaphorico* (ut cum dico : Deus est dominus exercituum)[1], *clare et distincte* vel *obscure et confuse,* secundum quod res vel conceptus magis vel minus perfecte exprimitur ; *disertis ac perspicuis verbis* vel plus minusve *indirecte et in obliquo,* et aliis similibus modis differentibus.

Secundo aliqua doctrina *diversimode implicite revelata*

1. Sensus enim proprius locutionis metaphoricæ non est figura sed id quod per figuram significatur. « Non enim, cum Scriptura nominat Dei brachium, est literalis sensus quod in Deo sit membrum huiusmodi corporale, sed id quod per hoc membrum significatur, sc. virtus operativa. » S. Thomas, I, q. i, a. 10 ad 3.

esse potest, secundum sc. quod aliqua doctrina diversomode in alia æquivalenter vel æquipolenter exprimitur. Secundum doctrinam communem theologorum sequentes modi revelationis implicitæ ponuntur : *a)* Si in fontibus revelationis *res definita* explicite continetur, implicite revelata est *definitio rei,* vel viceversa.

b) Si *totum* explicite est revelatum, implicite revelatæ sunt *partes* ipsius, sc. partes logicæ, metaphysicæ etphysicæ, saltem constitutivae et intégrales. Ita revelato quod Christus sit homo, revelatum est implicite quod sit animal rationale (partes metaphysicæ), quod habeat corpus et animam (partes physicae), quod habeat membra corporis humani (partes intégrales) ; revelato voluntate Dei salvifica universali implicite revelata est voluntas Dei salvifica respectu singulorum hominum, e. *g.* N. N. (partes logicæ).

c) Revelato uno *relativo,* revelatum est implicite *correlativum* : ita revelato explicite quod Johannes sit filius Zebedæi, implicite revelatum est quod Zebedæus sit Pater Johannis.

In his modis generalibus tamen *infiniti modi particulares* continentur ; præsertim modus implicationis definitionis in re definita (si definitio large accipiatur) quasi infinitos modos particulares comprehendit inquantum sc. res aliqua quasi infinitis modis determinari, describi, terminis æquivalentibus exprimi potest. Ita quoque de facto tum S. Scriptura tum traditio unam eandemque rem variis atque variis modis exprimit.

Tertio aliqua doctrina *diversimode virlualiler* revelata esse potest, secundum quod sc. aliquid diversimode in suis principiis vel causis vel in radice revelari potest : ita alio modo virtualiter revelatæ sunt *conclusiones Iheoloqicæ ut tales,* sc. inquantum in aliqua doctrina formaliter (sive explicite sive implicite) revelata *tanquam in principio ex quo deduci possunt,* continentur ; alio modo *iudicia infallibilia* Ecclesiæ circa connexa cum revelatis, quæ sc. virtualiter sunt revelata inquantum *infallibilitas* Ecclesiæ est *revelata.* Omnia tamen huiusmodi revelata nomine communi vocantur *connexa* cum revelatis.

IV. Res connexæ cum doctrina (formaliter) revelata. — Connexa cum revelatis dicuntur *illa quæ quidem in fontibus revelationis* (formaliter) *non continentur, tamen talem connexionem cum doctrina revelata habent ut cognitio eorum necessaria sil ad errorem circa revelata ipsa vel periculum fidei evitandum.* Huiusmodi connexa sunt vel *doctrinæ* quæ per modum sequelæ in formaliter revelatis continentur — et vocantur proprie virtualiter revelatæ — vel sunt *facta* quædam quorum cognitio ad revelata custodienda et edocenda necessaria est. Ad doctrinas connexas pertinent conclusiones theologicæ, ad facta connexa pertinent facta dogmatica.

Secundum exposita oritur quæstio, quousque infallibilitas Ecclesiæ sese extendat : primo generaliter, secundo in particulari.

V. Thesis I : Obiectum infallibilitatis primarium, proprium et per se sunt, a) doctrinae de rebus fidei et morum, *b)* sive explicite sive implicite revelatæ, et quidem, c) ut sancte custodiendae et fideliter exponendae vel declarandae.

Prob. a) Quod Ecclesia sit infallibilis circa *res fidei et morum,* ad ipsam infallibilitatem Ecclesiæ pertinet, prout art. præced. probata est. Christus enim promisit ut Ecclesia sua semper firmiter et immutabiliter in fide a Christo accepta permaneret, omnes gentes totum evangelium doceret, omnem veritatem (sc. a Christq revelatam) cognosceret, indefectibilis et infallibilis in credendo et docendo foret : atqui fides et evangelium primario, proprie et per se sunt circa res fidei et morum ; ergo huiusmodi obiectum primarium, proprium et per se infallibilitatis Ecclesiæ constituunt.

b) Non tantum doctrinæ formaliter explicite sed *etiam* formaliter *implicite revelatæ* ad obiectum primarium pertinent. — Ecclesia enim infallibilis est circa *doctrinas* de rebus fidei et morum adeoque circa *sensum* earum : doctrina vero implicite revelata, quæ sc. in aliqua doctrina explicite revelata æquivalenter exprimitur, *quoad sensum est eadem doctrina ac explicite revelata,* tantummodo alio modo expressa. Ecclesia igitur, definiendo vel exponendo doctrinam explicate revelatam, tantummodo vim, rationem et

sensum doctrinæ explicite revelatæ declarat et definit, adeoque circa utramque eodem modo est infallibilis.

Duo exempla. In verbis Domini : *Tu es Pelrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* vel in verbis : *Pasce oves meas,* implicite continetur *primatus et infallibilitas Petri et successorum eius ;* Ecclesia igitur, definiendo primatum et infallibilitatem romani pontificis, tantummodo sensum, vim et rationem illorum verborum Domini explicavit et definivit, adeoque infallibiliter. Similiter verba Domini : *Hoc est corpus meum,* et doctrina : *In Eucharistia Christus realiter et substantialiter continetur,* sunt duæ doctrinæ æquivalentes, et doctrina de praesentia reali implicite in verbis Domini continetur ; Ecclesia igitur, definiendo præsentiam realem, tantummodo verbum Domini explicavit. Implicite igitur revelata ad obiectum primarium infallibilitatis pertinent.

c) Ecclesia circa doctrinas de rebus fidei et morum est infallibilis *ut eas sancte custodiat et fideliter exponat.* Nam munus infallibilitatis est ut Ecclesia in doctrina revelata credenda, docenda et explicanda non erret : atqui hoc tum conservationem tum explicationem, interpretationem vel expositionem fidelem doctrinæ revelatæ importat, i. e. damnationem infallibilem doctrinæ oppositæ et definitionem infallibilem expositionis vel formulationis veræ circa doctrinam revelatam ipsam. Inde Ecclesia infallibilis dicitur » in *definienda* doctrina de fide et moribus ».

Thesis II : Obiectum secundarium infallibilitatis Ecclesiæ sunt iudicia de rebus connexis cum formaliter revelatis. —

Prob. 1. Res connexæ cum doctrina revelata dicuntur illæ quæ ita arcte cum revelatione connectuntur ut error vel dubitatio circa eas errorem vel saltem periculum erroris circa revelata ipsa induceret. Atqui Ecclesia circa ipsa revelata ita est infallibilis ut omnis error circa illa excludatur. Ergo necessario etiam circa connexa cum revelatis infallibilis est.

Prob. 2. Ecclesia circa formaliter revelata est infallibilis non tantum ut ea simpliciter et in se cognoscat, sed simul ul ea sancte custodiat, fideliter exponat et recte applicet : atqui ad hoc necessarium est ut etiam circa ea quæ cum

revelatis sunt connexa, infallibilis sit. *Prob. minor.* Connexa cum revelatis sunt vel *doctrinæ* quæ cum revelatis per modum sequelæ connectuntur, vel *facta* quædam quorum cognitio ad revelata edocenda et applicanda necessaria est. Atqui error circa sequelas revelatorum cum custodia et explicatione fideli ipsorum revelatorum non est compossibilis ; simul error circa *facta* connexa custodiam et expositionem infallibilem revelatorum impossibilem reddit. Ergo Ecclesia necessario etiam circa conexa est infallibilis.

Prob. 3. Ecclesia est infallibilis in determinando obiecto suæ infallibilitatis, cum infallibilitas sit veritas fonnaliter revelata : atqui Ecclesia sibi infallibilitatem etiam circa connexa cum revelatis vindicat, ut mox videbimus quoad conclusiones theologicas, facta dogmatica et alia.

Prob. 4. *Patio* infallibilitatis circa connexa est *connexio* cum revelatis : unde connexa cum revelatis in tantum sub infallibilitatis obiectum cadunt inquantum connexionem cum revelatis habent, secundum se vero considerata sunt extra orbitam infallibilitatis. Ita propositio aliqua naturalis vel factum dogmaticum, si secundum se et quasi materialiter considerantur, non sunt obiectum infallibilitatis (sicut sub hac ratione de illis neque revelatio habetur), bene tamen inquantum connexionem cum revelatis habent. Ratione enim huius connexionis quandam unitatem cum revelatis habentl et sic secundario et quasi indirecte obiectum infallibilitatis fiunt.

Thesis III : Obiectum quoddam intermedium infallibilitatis sunt ea quæ in S. Scriptura praeter res fidei et morum credenda proponuntur — credibilia in ordine ad alia.

Propositio facile patet. Huiusmodi enim res sunt obiectum fidei, utpotc in S. Scriptura enuntiatæ, ut e. g. quod Abraham habuit duos filios, et quod Paulus pennulam suam Troiade reliquit : unde quoad hoc ad obiectum primarium infallibilitatis pertinent. Quia tamen de his revelatio non est nisi in ordine ad alia, i: e. ad res fidei et morum, huiusmodi revelata etiam sub obiecto infallibilitatis cadunt

1. « Connexio importat unitatem aliquorum duorum. » S. Thomas, I, q. xxxix, a. 1.

in ordine ad illa : quasi in obliquo. Ita facta pure historica, in S. Scriptura narrata, cadunt sub obiecto infallibilitatis : formaliter inquantum in S. Scriptura inspirata enuntiantur, materialiter inquantum ad manifestationem alicuius doctrinæ de fide vel moribus ordinantur. Hac ratione Ecclesia infallibiliter iudicat de sensu et veritate S. Scripturæ etiam circa res ad historiam vel scientiam naturalem pertinentes.

VI. *Obiectiones.* 1. Obiectum infallibilitatis sunt revelata. Atqui plurima connexa cum revelatis non sunt revelata, ut præsertim facta dogmatica. Erga non omnia connexa sunt obiectum infallibilitatis.

Resp. a) Revelata sunt obiectum *primarium,* proprium et per sc infallibilitatis, conc. ; obiectum *exclusivum,* nego.

b) Revelata sunt obiectum infallibilitatis ut custodienda, explicanda et applicanda, conc. ; ut in se tantum cognoscenda, nego.

Inde connexa cum revelatis vere et proprie sunt obiectum infallibilitatis, licet secundarium, ratione sc. connexionis cum revelatis et in finem conservationis, defensionis, expositionis et applicationis infallibilis revelatorum.

Ob. 2. Connexa cum revelatis sunt infinita atque quælibct doctrina et res aliquam connexionem cum revelatis habere potest. Atque talis infallibilitas est monstruosa. Ergo.

Besp. Connexa cum revelatis sunt infinita in potentia, conc., infinita actu, n. Quælibet quidem doctrina et quasi quælibet res *potest* aliquo modo connexa fieri cum aliquo revelato (sicut v. g. quilibet vir potest fieri romanus Pontifex) : unde habetur infinitum in potentia ; de facto tamen tantum determinatæ doctrinæ et res actualem connexionem cum revelatis habent, ut v. g. determinatus tantum numerus est romanorum Pontificum. Similiter numerus indiciorum infallibilium Ecclesiæ est determinatus. Huiusmodi vero extensio infallibilitatis minime monstruosa est : ita enim vel homo quilibet infinita cognoscere vel facere potest[1].

1. De, infinito in potentia et actu, videsis. S. Thomam, I, q. vit.

De obiecto primario infallibilitatis nil speciale addendum est. At de obiecto secundario quæritur quousque sese extendat. Itaque agendum est de infallibilitate Ecclesiæ circa : *a)* Conclusiones theologicas, δ) facta dogmatica, c) res disciplinares, d) canonizationem sanctorum et *e)* approbationum ordinum religiosorum.

ARTICULUS TRIGESIMUS QUARTUS

De infallibilitate Ecclesiæ circa conclusiones theologicas

Inter connexa cum revelatis primum locum tenent conclusiones theologicæ. Quaeritur igitur, utrum et qua ratione sint obiectum infallibilitatis.

1. Doctrina catholica. — Ecclesiæ infallibilitas circa conclusiones theologicas non est dogma definitum. In Conc. Vatie, quidem infallibilitas Ecclesiæ circa « res fidei et morum » definita est et conclusiones theologicæ per consequentiam ad res fidei et morum pertinent : cum tamen concilium non expresse dixerit, etiam consequentias ad obiectum infallibilitatis pertinere, non est de fide definita, conclusiones esse obiectum infallibilitatis.

Attamen Ecclesia alio modo suam infallibilitatem circa conclusiones manifestat. 1. Ecclesia *damnai* errores conclusionibus theologicis oppositos atque exigit *assensum incondilionalum* ad huiusmodi damnationes : id quod iudicium infallibile supponit : ita e. g. in propositionibus secundæ partis luramenti contra errores Modernistarum, sc. circa methodum in historia dogmatum servandam ; similiter tamen in plurimis aliis damnationibus[1].

2. Gone. Vatie, expresse *declaravit :* « Ecclesia... ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam. Quapropter omnes Christiani fideles huiusmodi opiniones quæ fidei doctrinæ contrariæ esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatæ fuerint, pro erroribus... habere tenentur omnino[2] ». Huiusmodi vero doctrinæ plerumque conclusionibus theologicis adversantur.

1. Cf. e. g. Denz., 1530, ss. ; 1429 ss. ; 1308 ss. ; 1151 ss. ; 1001 ss.
2. Sess. III, c. iv ; Denz., 1798; cf. Denz., 1676.

3. Ecclesia approbat *doctrinam communem theologorum* de infallibilitate circa conclusiones theologicas.

II. Notio conclusionis theologicae. — 1. Conclusio theologica generaliter dicitur *propositio vel doclrina per discursum ex revelatione deducia.* Vocatur « conclusio » inquantum per discursum cognoscitur ; vocatur « theologica » inquantum ex revelatione deducitur.

Deductio fieri potest: vel ex duabus præmissis formaliter revelatis vel ex una praemissa formaliter revelata et alia naturaliter certa vel ex duabus præmissis quæ iam sunt conclusiones theologicæ vel ex una conclusione et alia præmissa naturali et sic deinceps. Communiter tamen et proprie conclusio theologica vocatur propositio vel doctrina quæ ex una præmissa formaliter revelata et altera, naturaliter certa deducitur.

2. Conclusiones theologicæ distinguuntur in conclusiones *quoad se vel illativas* et in conclusiones *quoad nos lanium vel explications.* Conclusiones *quoad se* (illativæ) vocantur doctrinæ vel propositiones quæ obiective, ex parte ipsius revelationis, virtualiter tantum sunt revelatæ, i. e. revelatum est tantum principium in quo illæ tanquam sequelæ contineantur et ex quo deduci possint ; conclusiones theologica' quoad nos tantum (explicativæ) sunt propositiones vel doctrina; quæ obiective, ex parte ipsius revelationis sunt formaliter revelatæ, saltem implicite, ex parte tamen nostra vel quoad nostrum modum cognoscendi ex revelatione per discursum cognoscuntur[1].

3. Inde *distinctio inter syllogismum proprium el improprium* sequitur. Omnis quidem conclûsio, ut conclusio,, per syllogismum habetur, aliter tamen in conclusione propria et aliter in conclusione impropria. In conclusione

1. Terminologie in hac re, non est eadem apud omnes theologos. Veteres Thomistæ conclusiones proprias vocant illas quæ sunt circa doctrinas obiective formaliter revelatas, tamen ut per deductionem habitæ. Cf. nostrum opus : *Introducito in historiam dogmatum,* p. 195.

Similter P. Marin-Sola *omnes* conclusiones metaphyoicas, ex revelatis deductas, vocat conclusiones theologicas proprias : *L'évolution homogène du dogme catholique,* I, 134 ss.

propria (vel quoad se) deducenda syllogismo utimur ad deducendam doctrinam quæ in revelatione tantum in principio continetur, in conclusione autem impropria deducenda syllogismo utimur ad determinandum sensum formalis revelationis per conceptus æquivalentes. Inde syllogismus in deducenda conclusione propria vocatur syllogismus proprius vel *illativus,* syllogismus vero in conclusione impropria deducenda vocatur syllogismus improprius vel *explicationsl.* Ita c. g. in probatione infallibilitatis Ecclesiæ ex verbis Domini (supra a. 29 n. 4) syllogismo improprio vel explicative usi sumus : ostendimus enim verba Domini adducta idem dicere ac infallibilitaterp Ecclesiæ, licet terminis æquivalentibus tantum ; extensionem vero infallibilitatis ad connexa cum revelatis per syllogismum proprium probavimus, sc. tanquam sequelam infallibilitatis vel verborum Domini[1].

4. Denique conclusio potest considerari vel ut est *conclusio* vel tantum quoad *doctrinam* quæ deducta est, sive conclusio sit propria sive impropria.

III. Inde facile patent theses sequentes :

Thesis I : Conclusiones explicativæ vel quoad nos tantum ad obiectum primarium infallibilitatis pertinent, non quidem ut sunt conclusiones, sed quoad doctrinam enuntiatam.

Prob. Conclusio explicative quoad doctrinam enuntiatam est doctrina formaliter revelata, licet forsitan implicite tantum : syllogismus enim improprius tantum doctrinam revelatam præmissæ maioris explicat, determinat, exponit. Atqui doctrinæ formaliter revelatæ ad obiectum prima-

1. Sensus igitur distinctionis non est quod in syllogismo improprio vel explicative minus vere syllogismo logico utamur, sed quod in syllogismo improprio tantummodo doctrina in se revelata exponitur, aliis conceptibus exprimitur et cognoscitur, in syllogismo vero proprio sequela doctrinæ revelatæ deducitur.

2. Salmaniicenses optime notant : (Discursus improprius) « quasi in eodem puncto persistens, tantum explicat in consequenti quod in præmissis non ita perspicue significatum habebatur. Ob idque illius consequentia non dicitur illativa et probativa sed tantum explicative. » *De fide,* disp. I, dub. iv, n. 122 ; cf. Suarez, *De fide,* disp. III, s. xi, n. 6. De tota quæstione, videsis Schultes, *Introductio in hist, dogm.,* 122. 184.

num infallibilitatis pertinent. Ergo etiam doctrina conclusionum quædicuntur explicativæ vel quoad nos tantum. Ipsa vero deductio sub infallibilitatis obiectum (saltem primarium) non cadit., quia infallibilitas Ecclesiæ concessa est, non ut processus logici valorem et vim approbet, sed ut de doctrina indicet[1].

Ita in definitione quasi omnium dogmatum, saltem solemniter definitorum, factum est. Dogmata enim, a conciliis et romanis Pontificibus postmodum definita, prius a theologis per modum conclusionis cognita fuerunt, sicut et hodie ab iisdem per modum conclusionis probantur : e. g. dogma de consubstantialitate Verbi, de unione hypostatica, de primatu et de infallibilitate Romani Pontificis[2].

Thesis II : Conclusiones illativae vel quoad se ad obiectum secundarium infallibilitatis pertinent.

Prob. 1. Ecclesia est infallibilis circa *doctrinas fidei* et morum. Atqui hæc infallibilitas deesset si Ecclesia in iudicio circa conclusiones proprias erraret. Ergo etiam circa conclusiones infallibilis est.

Minor probatur. Error circa conclusionem vel sequelam alicuius doctrinæ est simul error circa ipsum principium, licet indirecte : « Ratio enim connexi, cum concesseris superius, cogit inferius concedere ; et cum inferius negaris, superius item negare cogit[3] ».

Prob. 2. Ecclesia est infallibilis in revelatis *custodiendis et explicandis :* atqui absque infallibilitate circa conclusiones non potest revelata infallibiliter custodire et exponere, quia per conclusionem erroneam principia revelata negantur et falso exponuntur.

1. Ad rem optime *Joannes a S. Thoma:* «Ecclesia in definiendo veritates transit a discursu et disputatione qua inquirit, an hoc sit contentum in Scriptura vel revelatione Dei, ad testificationem immediatam fidei, quia, sic (inquit) visum est Spiritui Sancto, non quia discussum est. » *Cursus theil.* In I p., q. i, disp. 11, a. 4, n. 6.

2. Videsis opus nostrum : *Inlroduclio in historiam dogmatum,* a. 7 : quomodo explicite, implicite et virlualiter revelata a nobis cognoscuntur, et art. 8 : *De definitione dogmatica.*

3. Canus, *De locus theol.,* l. XII, c. v, n. 2.

Prob. 3. Infallibilitas Ecclesiæ tantum se extendit quantum ipsa revelatio obiective se extendit : atqui revelatio se extendit obiective non tantum ad veritatem in se revelatam, sed simul ad omnia quæ ex illa necessario consequuntur. Sicut igitur revelatio ex consequenti ad conclusiones se extendit (= ad virtualiter revelata), ita etiam infallibilitas.

Prob. 4. Ecclesia falli non potest in determinando suæ infallibilitatis obiecto, quia infallibilitas est formaliter revelata et possibilitas erroris circa obiectum ipsius exercitium infallibilitatis vanum redderet : atqui Ecclesia (ut vidimus) propriam infallibilitatem circa conclusiones tenet. Ergo[1].

IV. Corollaria. — 1. Ecclesia de conclusionibus theologicis iudicat aut *approbando* veram conclusionem aut *damnando* conclusionem erroneam. Tamen huiusmodi indicium non est infallibile nisi sit definitivum.

2. Doctrinæ ab Ecclesia approbatæ vel damnatæ possunt esse ordinis vel *supernaturalis* vel *naluralis :* ordinis supernaturalis sunt illæ doctrinæ quæ proprie ex revelatis ut *sequelæ* deducuntur, ordinis naturalis sunt doctrinæ quæ sunt *præsupposila* vel *præanibula* revelationis, sine quibus dogmata teneri non possunt : ita factum revelationis præsupponit possibilitatem revelationis, miracula supponunt possibilitatem miraculorum, dogma de unione hypostatica supponit veram notionem personæ vel hypostasis. Huiusmodi tamen doctrinæ naturales vel philosophic® damnantur vel approbantur, non sub lumine rationis naturalis, sed sub lumine revelationis : unde ad iudicium Ecclesiæ non requiritur demonstratio philosophica, sed sufficit cognitio certa connexionis cum revelatione.

3. Quælibet doctrina philosophica vel naturalis potest disjunctim fieri obiectum infallibilitatis Ecclesiæ, at sub certa tantum ratione, i. e. inquantum connexio cum revelatis habetur. Unde Ecclesia in hac re infallibilitate sua

1. Ex rationibus adductis infallibilitas Ecclesiæ circa conci u-dones theologicas ita evidenter patet ut plures theologi eam tanquam formaliter revelatam censeant : id quod non est improbabile.

tantum utitur cum necessitas veritatis revelatae custodiendae vel defendendae urget, sive sc. necessitas alicuius definitionis hoc exigit sive falsae doctrinæ in periculum fidei ventitantur.

4. Nullum inde præiudicum vel damnum philosophiæ vel aliis scientiis naturalibus creatur, quia inquisitio et demonstratio sub lumine naturali rationis hominibus penitus relinquitur[1].

1. Cf. Denz., 1674.

ARTICULUS TRIGESIMUS QUINTUS

De InfalLbilitate Ecclesiæ circa facta dogmatica

1. De notione facti dogmatici. — 1. Factum dogmaticum dicitur factum quod quidem in fontibus revelationis non continetur, tamen cum doctrina revelata ita nectitur ut illius facti notitia necessaria sit ad dogma edocendum et illud tuto conservandum (Mazzella).

2. Huiusmodi facta dogmatica sunt diversi generis : *a) facta* a quibus dependet auctoritas conciliorum, romanorum Pontificum vel etiam validitas ordinationis episcopalis ; ita factum legitimæ convocationis alicuius concilii, electio legitima rornani Pontificis, consecratio valida alicuius episcopi sunt facta dogmatica. Ita Ecclesia contra Vetero-catholicos tenet Cone. Vatie, fuisse legitime, convocatum et Leo XIII ordinationes anglicanas invalidas declaravit.

b) Sensus signorum quibus doctrina revelata vel exprimitur vel negatur = *textus dogmatici :* ita factum dogmaticum est sensus alicuius termini quo Ecclesia in definiendo dogmate utitur, sensus alicuius libri qui ab Ecclesia tanquam haereticus damnatur.

In definitione enim alicuius doctrinæ præsupponitur et includitur indicium de sensu terminorum definitionis sicut in damnatione alicuius libri præsupponitur et includitur indicium de sensu illius libri.

Ita Concilium Nicænum librum « Thalia » Arii tanquam haereticum damnavit, Concil. Ephesinum scripta Nestorii reprobavit et scripta Cyrilli Alex, approbavit, Cone. Consi,antinopolitanum II de « Tribus Capitulis » iudicavit, ('.one, Trid. definivit, canonem missæ non continere errores[1].

3. Casus celeberrimus est casus iansenisticus. Iansenius in libro qui « *Augustinus* » inscribitur, diversos errores tanquam doctrinam S. Augustini exposuit et defendit.

1. Sees. XXII, can. 6, cf. c. iv ; Denz., 953, 942.

Innocentius X quinque propositiones ex libro excerptas lanquam hæreticas damnavit[1]. lansenistæ per distinctionem inter quæstionem iuris et facti responderunt, admittentes infallibilitatem Ecclesiæ in quæstione iuris, utrum sc. doctrina damnata secundum se sumpta et abstractione facta a libro in quo contineretur, sit falsa, negantes vero infallibilitatem circa quæstionem facti, utrum sc. doctrina damnata in libro « Augustinus » contineretur. At Alexander VII (1656) declaravit et definivit : « quinque propositiones illas ex libro Cornelii lansenii, cui titulus est : Augustinus, excerptas ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse[2] ».

lansenistæ prætextum *silentii religiosi* adhibere coeperunt, negantes sc. necessitatem adhæsionis mentis ad decreta pontificia, admittentes tantum obligationem silentii religiosi. Inde Alexander VII anno 1664 hoc formularium submissionis lansenistis proposuit : « Ego N... quinque propositiones ex Cornelii lansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas... Sedes Apostolica damnavit, sincero animo reicio ac damno et ita iuro[3] ». Clemens XI anno 1705 declaravit necessitatem audiendi Ecclesiam « non tacendo solum, sed et interius obsequendo » et statuit « damnatum in quinque propositionibus *lansenii libri sensum* quem illarum verba præ se ferunt, ut præfertur, ab omnibus Christi fidelibus *ut haereticum,* non ore solum sed et corde reici ac damnari debere[4] ».

« *Sensus ab auctore intentus* » non est ille quem auctor forsitan *in secreto cordis* habuit et exprimere voluit, sed ille quem *verba* auctoris secundum communes et naturales regulas interpretationis *obiective exprimunt* vel præ se ferunt.

4. Ut exempla adducta ostendunt, *Ecclesia* in suis decretis *factum proprie dogmaticum* communiter *indirecte enuntiat :* ita Cone. Trid. declarando canonem Missæ esse

1. Denz., 1092.
2. Denz., 1098.
3. Denz., 1099.
4. Denz., 1350.

immunem ab erroribus, directe *veritatem doclrinæ* canonis declarat, indirecte de *sensu* canonis iudicat ; similiter concilia vel Romani Pontifices in libris approbandis vel damnandis. *Duplex* igitur *iudicium* Ecclesiæ *distinguendum* est : primum proprie dogmaticum de *veritate* doctrinæ alicuius libri, secundum de *sensu* libri — et huiusmodi secundum iudicium proprie est circa factum dogmaticum.

5. Plures quidem theologi, tum veteres tum recentiores, per factum dogmaticum intelligunt *non solum facium historicum,* quinam e. g^sit sensus alicuius libri, sed factum *tum historicum tum doctrinalel.* Secundum hunc modum accipiendi ad facta dogmatica pertinet quod canon missæ est immunis ab errore, quod liber lansenii est hæreticus, quod Vulgata continet verbum Dei. Sed melius cum aliis theologis sub nomine facti dogmatici solum factum historicum intelligimus, utique ut connexum cum doctrina : alia enim est quæstio facti, alia quæstio iuris.

II. Doctrina catholica de infallibilitate Ecclesiæ circa facta dogmatica præsertim in casu lanseniano manifeste apparet, inquantum constitutiones apostolicæ assensum internum et inconditionatum ad damnationem *libri* lansenii secundum sensum ab auctore intentum et per quinque propositiones excerptas expressum, exigunt. Idem tamen in aliis damnationibus et iudiiciis circa facta dogmalica apparet. Accedit consensus communis theologorum.

III. Thesis : Ecclesia est infallibilis circa facta dogmatica.

Prob. 1. *Ex obiecto el fine infallibilitalis.* Ecclesia est infallibilis circa revelata custodienda et exponenda. Atqui revelata infallibiter custodire et exponere non potest si circa facta dogmatica errat.

Prob. 2. *Ex natura el conditione magisterii Ecclesiæ.* — Magisterium Ecclesi docet per verba, tanquam per signa

I. Ita Cl. De Groot scribit : « Factum dogmaticum duabus rebus continetur : sc. quaestione iuris, utrum talis sententia doctrinæ l'cveltnæ conveniat an cum ea discrepet ; et quæstionem facti, ul rum talis verborum formula seu in casu lansenii talis liber huiusinodl sententiam contineat », p. 318.

Similiter P. Marin-Sola, l. c., l, 454 ss.

conceptuum et doctrinæ. Atqui error circa signa vel sensum signorum simul errorem circa doctrinam importat. Ergo Ecclesia necessario etiam circa signa doctrinæ infallibilis est.

Prob. 3. Absque infallibilitate circa facta dogmatica tota infallibilitas Ecclesiæ vana et inefficax redderetur. Ad quid definitiones dogmaticæ Conciliorum et romanorum Pontificum valerent si legitima convocatio vel electio in dubium vocari potest ? Ad quid valet ipsa definitio dogmatica si dubitatur utrum Ecclesia terminum verum ad veram doctrinam exprimendam adhibuerit ? Quis symbola credere potest si de sensu terminorum non constat ?

IV. Obiectiones. — 1. Facta dogmatica nullo modo sunt revelata, e. g. quod Pius XI sit legitime electus. Ergo omnino extra obiectum infallibilitatis sunt.

Besp. Inde facta dogmatica nullo modo ad obiectum primarium pertinent, attamen ad obiectum secundarium, quod sc. etiam connexa cum revelatis comprehendit.

Ob. 2. Ecclesia sibi aliquando in indicio circa facta dogmatica contradixit adeoque infallibilis non est : ita præserlim in quæstione de. tribus capitulis. Etenim Cone. Chalced. Theodoretum et Ibam tanquam orthodoxos declaravit, dum Cone. cpt. II, scripta Theodori Mopsvcsteni, Theodorcti et Ibæ tanquam hæretica damnavit et Vigilius Papa huiusmodi sententiam approbavit.

Besp. Concilium Chalced. *personas* Theodoreti et Ibæ orthodoxas declaravit, attamen tantum post quam illi doctrinam Nestorii anal hemal iverant ; Cone, vero cpt. II *scripta* damnavit illorum sicut et Papa Vigilius1. Unde nulla contradictio. De reliquo notandum est, in Cone. Chale. non fidem internam Theodoreti et Ibæ approbatam fuisse, sed confessionem fidei ab ipsis præstitam ; similiter Cone. cpt. II sensum obvium scriptorum Theodoreti et Ibæ damnavit, non vero sensum quem forsitam intenderunt sed non expresserunt ; immo non absque fundamento dici potest, scripta Theodoreti et epistulam Ibæ

1. Cf. Tixebont, *Histoire des dogmes,* Ill, c. m, § 2 et ch. v, §2 3.

damnata fuisse secundum sensum in quo a Nestorianis intellegebantur. Idem dicendum est quoad damnationem scriptorum Nestorii, licet sensus obvius illorum sat manifeste hæresim indicet[1].

V. De modo quo Ecclesia de factis dogmaticis iudicet. — Factum dogmaticum duplici modo considerari potest : a) secundum se et ut *merum jactum historicum* : et sic est extra ambitum infallibilitatis Ecclesiæ ; *b)* ut est *connexum* cum aliquo dogmate : et sic fit obiectum infallibilitatis.

Inde sequitur modus quo Ecclesia de facto dogmatico iudicet. Factum enim mere historicum argumentis historicis determinatur : et huiusmodi argumenta Ecclesia minime negligit ; factum vero dogmaticum ut tale, i. e. ut connexum cum iure doctrinæ, argumentis dogmaticis diiudicatur, i.,e- argumentendo et procedendo a veritate dogmatis quod est in quæstione : atque tali modo Ecclesia proprie de facto dogmatico indicat atque in tali iudicio per assistentiam Spiritus S. ab errore præservatur.

Qua ratione Rom. Pontifices propositiones ex libro Iansenii excerptas ut hæreticas damnaverunt (iudicium doctrinale) ac proinde simpliciter tenuerunt propositiones excerptas *re vera* in libro dicto contineri (iudicium de facto dogmatico).

Inde simul difficultates quorundam evanescunt.

1. Cf. R. Schultes, *Die Dewahrungslehre des Neslorius, in Kailiolik,* 1913; vol. XI, p. 233-247, et vol. XII, p. 126-134.

ARTICULUS TRIGESIMUS SEXTUS

De infallibilitate Ecclesiæ in legibus disciplinaribus ferendis

I. Notiones. — *Leges disciplinares* dicuntur *leges ecclesiasticæ ad callum vitamque Christianam dirigendam* statutae.

1. Praeter leges ab ipso Christo Domino et ab Apostolis latas succedentibus temporibus ad salutem fidelium necessario erant ab Ecclesia ipsa novæ leges ferendae, quibus sc. lex Domini applicaretur, necessitatibus fidelium sufficienter provideretur ac ordo in Ecclesia conservaretur. Potestas Ecclesiæ ad huiusmodi leges ferendas est de fide (ut infra, art. 39, ostendetur) ; quæritur autem, utrum et quousque Ecclesia in huiusmodi legibus ferendis sit infallibilis. Ad hoc distinguendum est.

2. Lex disciplinaris aut est universalis aut particularis : lex *universalis* pro universa *Ecclesia* fertur, lex vero *particularis* pro una vel aliquibus ecclesiis particularibus : inde lex aliqua potest quidem esse pro aliquo statu, e. g. pro religiosis, et tamen esse universalis, quia pro universa *Ecclesia* fertur.

3. Lex considerari potest vel *quoad substantiam* vel *quoad modum. Substantia* legis id respicit quod lex proprie ordinat, e. *g.* confessionem annualem ; ad *modum* pertinent : opportunitas legis, prudentia in lege ad circumstantias rerum et hominum accommodanda, proportio poenarum et similia ; item distinguenda est lex ipsa ab eius applicatione et exeeutione.

4. Denique attendendum est, utrum aliqua ordinatio Ecclesiæ sit tantum permissiva vel interimistica an vero definitiva ac simpliciter præceptiva : quæstio est exclusive de ordinationibus definitivis et præceptivis, quæ sc. solæ proprie *leges* dicuntur.

5. Cum igitur quæritur, utrum Ecclesia in legibus disciplinaribus ferendis sit infallibilis, quæstio est de *legibus universalibus et quoad substantiam,* utrum sc. huiusmodi

leges possint esse *contrariæ alicui doctrinæ fidei vel morum* adeoque in damnum spirituale fidelium.

II. Doctrina Ecclesiæ. — 1. Apostoli, in Conc. Hierosol. prohibendo suffocatum, sanguinem et idolothyta declaraverunt : « Visum est Spiritui sancto et nobis » *(Aci.,* xv, 28). 2. Concil. Trid., Sess. XXII, can. 7 definit : « Si quis dixerit, cæremonias, vestes et externa signa quibus in missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis quam officia pietatis, a. s. ». 3. Pius VI, damnavit prop. LXXVIII. Pistoriensium circa disciplinam ab Ecclesia constitutam, « quqsi Ecclesia quæ Spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem et onerosiorem quam libertas Christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum » : propositio declarata est tanquam « falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa... Ecclesiæ a‹· Spiritui Dei quo ipsa regitur, iniuriosa, ad minus erronea1. » Inde sententia Ecclesiæ sufficienter patet. Simul theologi communiter infallibilitatem circa disciplinam generalem tanquam theologice certam tenent.

III. Thesis : Ecclesia in legibus universalibus ferendis quoad eorum substantiam est infallibilis.

Prob. 1. Ecclesia est infallibilis *in rebus fidei et morum :* atqui per leges disciplinares Ecclesia, licet non doctrinalilcr vel theorctice, tamen practice et effective circa res fidei et morum iudicat easque edocet ; lex enim disciplinaris indicium doctrinale involvit. Error ergo in legibus ‹li ciplinaribus errorem circa res fidei et morum imporlarel ac fideles a doctrina Christi averteret.

Prob. 2. Ecclesia est *sancta,* i. e. habet vim et efficaciam sanctificam ; atqui error in legibus disciplinaribus vim et i llii aciam sanctificam Ecclesiæ destrueret.

Prob. 3. Ecclesia habet Spiritum s. promissum ut doceret omnes gentes *servare omnia quæcumque Christus dixerit :* atqui hoc excludit quin Ecclesia lege universali fidele. ad aliquid obliget quod sit contra doctrinam Christi.

I. Denz., 1578.

Ratio igitur ac fundamentum infallibilitatis Ecclesiæ in disciplina generali est *connexio intima inter veritates fidei vel morum ei leges disciplinares.* Neque praetereundum est hoc : Ecclesia per leges disciplinares, licet indirecte tantum et modo practice doceat, tamen *efficacissime* docet : per praxim enim vel observationem legum doctrina quæ in lege involuta est, mentibus hominum efficacissime quasi infigitur ; unde et praxis vitæ christianæ optima est magistra doctrinæ christianæ. Denique praxis Christiana est *finis* omnis doctrinæ sive fidei sive morum : unde Ecclesia plurimas veritates fidei primo quidem modo practico, per leges disciplinares edocuit, ac deinde necessitate urgente iudicio doctrinali definivit, ut præsertim in Conc. Trid., e. g. quoad communionem sub una specie.

IV. Corollaria. — 1. Ex dictis sequitur quod Ecclesia in legibus *mere disciplinaribus* non est infallibilis. Lex enim *mere* disciplinaris significat vel modalitates alicuius legis præter eius substantiam, i. e. præter id quod lex proprie ordinat, vel legem particularem vel legem non definitivam sed dispensatoriam vel legem quæ nullam connexionem cum doctrina revelata habet. Hoc sensu Nicolaus I, dicit : « Non negamus, eiusdem Sedis (apostolicæ) sententiam posse in melius commutari ; cum aut sibi subreptum aliquid fuerit aut ipsa pro consideratione ætatum vel temporum seu gravium necessitatum *dispensatorie* quiddam ordinare decreverit[1]. »

2. Optime infallibilitas Ecclesiæ cum legum mutatione componitur : mutatis enim rerum circumstantiis vel personarum conditionibus leges materialiter mutari possunt, salvo principio fidei vel morum, id quod evidenter quoad leges mere disciplinares valet. Ita Ecclesia aliquando communionem sub duplici specie, postea sub una specie urgebat, sc. habita ratione ad oppositos errores.

3. Licet Ecclesia tantum quoad substantiam legum infallibilis dicatur ac licet leges latæ non necessario sint semper absolute optimæ, tamen opportunitas et prudens proportio legum absque temeritate negari nequit : Spiri-

1. Denz., 333.

tus Sanctus enim Ecclesiæ non tantum in absolute necessariis assistit, sed largissime. Deinde ratione huius assistentiæ etiam legis paulo minus prudentis vel minus opportunæ succesus felix certo est expectandus. Denique critic» circa leges disciplinares communiter ex aliquo falso principio vel ex passionibus inordinatis procedunt, ut historia probat.

4. Materia principalis legum disciplinarium est : a) cultus, 6) vita laicorum et maxime clericorum et regularium, c) regimen Ecclesiæ, d) instructio religiosa et studia philosophica-theologica (Encyclica Pascendi, luramentum contra errores Modernistarum).

V. Utrum novus Codex iuris canonici sit infallibilis? llæc quæstio facile ex dictis solvitur.

a) Codex I. C. a Benedicto XV publicatus quidem solam Ecclesiam latinam obligat (can. 1), nihilominus, saltem æquivalenter.lex universalis censeri debet. Ecclesia enim græca in comparatione ad Ecclesiam latinam parvam tantum partem Ecclesiæ universalis repræsentat.

Certe C. I. C. non tantum aliquam ecclesiam particularem obligat. Inde applicanda sunt principia de lege diciplinari universali.

b) C. I. C. *non* est *definitio ex cathedra,* sed lex disciplinaris. *I*

c) Quoad substantiam est *infallibilis,* i. c. negative nihil continet quod sit contrarium alicui doctrinæ revelatæ de fide vel moribus, positive est consentaneus doctrinæ de fide vel moribus vel est legitima applicatio ct executio doctrinæ revelatæ1.

1. l)c auctoritate theologica C. I. C. infra erit quæstio.

ARTICULUS TRIGESIMUS SEPTIMUS

De infallibilitate Ecclesiæ in canonizatione sanctorum

I. Notiones. — 1: Canonizatio (formalis) est *sententia ultima et definitiva qua Ecclesia (romanus Pontifex) aliquem hominem vitam sanciam duxisse et inter cælites receptum esse declarat atque eum omnibus fidelibus colendum et invocandum proponit* (Groot)1. Huiusmodi canonizatio formalis vel sollemnis ab Alex. III. S. Sedi reservata est et similiter in C. I. C., can. 1999. Primus solemniter canonizatus est S. Udalricus, episcopus Augustæ Vind. in Bavaria (anno 993).

Praeter canonizationem sollemnem habetur canonizatio *communis,* per quam sc. servi quidam Dei tanquam sancti venerantur, permittente et approbante Ecclesia, absque tamen indicio sollemni et speciali, ut sancti plurimi priorum sæculorum.

Beatificatio est indicium prævium, non definitivum neque praecipiens, sed permittens et indulgens, quo cultus alicuius servi Dei permittitur. Differentia propria inter canonizationem et beatificationem est h^ec quod in canonizatione indicium ultimum adeoque praeceptivum fertur, in beatificatione vero indicium prævium quo cultus non tam præcipitur quam permittitur2.3

Beatificatio iterum duplex est : una formalis cui examen cum virtutum et miraculorum approbatione praecedit, alia æquipollens qua- est approbatio cultus iam ab immemorabili existentis8.

1. Cf. Benedictus XIV, *De canonizatione ei beatificatione servorum Dei,* l. 1, xxxix,. n. 14.

2. Ita Benedictus XIV, l. c. : « Ultima differentia inter beatificationein et canonizationem minime quidem constituenda erit vel in permissione cultus vel in eius coarctatione ad personas vel locos particulares quæ in beatificatione habentur; sed in extrema etdefinitiva de sanctitate sententia, cultum... in universali Ecclesia... præcipiente. »

3. *Regulas canonicas, vide C. I. C.,* can. 2136-2141.

II. Sententia Ecclesiæ. — 1. Quod beatificationem sive formalem sive æquipollentem Ecclesia infallibilitatem sibi non vindicat. Id quod præcipue ex toto processu in canonizatione post beatificationem iam factam apparet. Post examen enim miraculorum Romanus Pontifex « decretum fert quo decernit *Iulo procedi* posse ad sollemnem Beati canonizationem[1] » : id quod supponit beatificationem iudicium infallibile non importare. Deinde Ecclesia tantum in indiciis definitivis infallibilis esse asseritur. Consentit Benedictus XIV concludens « beatificationis iudicium neque a romanis pontificibus haberi infallibile[2]. ». Secundum communem tamen sententiam præsumendum est, Ecclesiam in beatificatione de facto non errare.

2. Quoad canonizationem communem Benedictus XIV refert, quæstionem utrum insertio alicuius in martyrologio canonizationi cuidam æquivaleat, resolvi non potuisse[3]. Plura tamen suadent infallibilitatem etiam ad canonizationem æquipollentem extendi, sc. quoad illos qui in universa Ecclesia indubitanter ut sancti venerantur.

3. Quoad canonizationem sollemnem hodie est sententia communis, eam esse obiectum infallibilitatis. Vindicatio infallibilitatis in formula canonizationis apparet qua romani pontifices utuntur, sc. : « Auctoritate D. N. Iesu Christi... beatum N. sanctum esse decernimus et *definimus* ». Iam S. Thomas docuerat : « Certum est quod iudicium Ecclesiæ universalis errare in his quæ ad fidem pertinent, impossibile est... in aliis vero sententiis quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessione vel de criminibus vel de huiusmodi, possibile est indicium Ecclesiæ errare propter falsos testes. Canonizatio sanctorum medium est inter hæc duo : quia tamen honor quem sanctis exhibemus, quædam professio fidei est qua sanctorum gloriam credimus, pie credendum est quod nec etiam in his iudicium Ecclesiæ errare possit[4]. »

VI. *Canus* censet : « Qui fidem in his Ecclesiæ detrahunt,

1. Can. 2140.
2. I. c., c. xlii, 10.
3. I. c., n. 14.
4. *Quodlibet* ix, a. 16.

eos non hæreticos quidem sed temerarios, impudentes, irreliogiosos esse credimus[1]. » Salmanticeneses tenent, aliquem canonizatum esse in ccelo, esse ita certum « quod hoc negare esset erroneum, temerarium et scandalosum[2] ».

III. Thesis : Ecclesia in canonizatione sollemni sanctorum infallibilis est.

Prob. 1. Ecclesia est infallibilis in proponenda regula fidei et morum. Atque canonizando aliquem beatum, Ecclesia regulam fidei ac morum proponit[3]. Ergo infallibilis est.

Maior est de fide. Neque refert, utrum Ecclesia aliquam doctrinam modo proprie theoretico an modo practice proponat, dummodo indicium sit definitivum.

Minor proh. Ecclesia, canonizando aliquem beatum ut sanctum : *a) fidem* secundum quam ille vixerat, ut veram proponit, 6) *vilain* quam ille duxerat, tanquam conformen Evangelic, sanctam et Deo placitam declarat et in exemplum fidelibus proponit. Atqui per hoc regulam fidei et morum proponit.

Confirm, arg. 1°. Ecclesia, doctrinam de fide vel moribus formaliter quidem et imediate per decreta doctrinalia proponit, per canonizationem sanctorum quasi materialiter et mediate, attamen *efficacissime.* Nam homo per exemplum magis efficaciter movetur quam per solam doctrinam, secundum illud : verba movent, exempla trahunt. Atque de facto, vita fidelium in concreto maxime per exempla sanctorum determinatur : ita sancti temporis antiqui coaevis suis et posteris mores suos quasi sigillum impresserunt, v. g. S. Augustinus ; sancti medii ævi Ecclesiæ notam charactcristicain dederunt, e. g. S. Bernardus, S. Francisons, S. Dominicus; sancti post Cone. Trid. vitam fidelium temporis recentioris determinant, e. g. S. Vincentius de Paulo ; S. fundatores ordinum religiosorum pro innumeris fidelibus simpliciter duces ac magistri vitae fuerunt et sunt, ut S. Franciscus, S. Dominicus, S. Igna-

1. *De locis lheol.,* l. V, c. v.
2. *De fide,* disp. IV, dub. n, n. 46.
3. S. Thomas, *Quodl.,* ix, a. 16.

tius de Loyola. Ecclesia igitur, canonizando huiusmodi servos Dei, inodum vivendi ab ipsis introductam approbat, commendat ac fovet; inde error in canonizatione sanctorum simul errorem circa fidem et mores importaret, indirectum quidem, at practice summum.

Confirm. 2°. Ex opposilo. Acatholici, v. g. protestantes, sanctitatem eorum qui ab Ecclesia catholica canonizati sunt, non admittunt. Cur? Quia fidem quam illi mente et moribus professi sunt, reiciunt, quia mores eorum tanquam Evangelio contrarios diiudicant. Ecclesia vero e contra principia secundum quæ sancti vixerunt, tanquam vera approbat, et vitam quam duxerunt, tanquam doctrinæ Christi conformem et Deo placitam declarat. Ecclesia igitur in canonizatione sanctorum regulam fidei et morum proponit, adeoque in hoc necessario infallibilis est.

Proh. 3. *Ex inconvenientiis.* Quodsi Ecclesia in sanctis canonizandis erraret, plurima inconvenientia impossibilia sequerentur, a) Quodsi canonizatus revera in coelo non esset sed condemnatus, Ecclesia universa damnatum coleret, imitaretur, invocaret, sacra in eius honorem offerret : et quidem ex præcepto Ecclesiæ, lato auctoritate Apostolorum et Christi : id quod est absurdum[1].

6) Totus cultus sanctorum periclitaretur. Etenim « si viris iustis in divorum catalogum reponendis Ecclesia erraret, non esset valde absurdum divorum omnium cultum ab Ecclesia explodere. Quod quid aut stultius aut impudentius dici potest[2]? »

IV. Ratio infallibilitatis in canonizatione sanctorum. — Canonizatio beatorum ad obiectum infallibilitatis perlinet, quia non agitur de iudicio circa merum factum materiale vel historicum sanctitatis vel beatitudinis alicuius hominis, sed de iudicio circa *facium connexum cum propositione, applicatione el professione doctrinæ revelatæ dr fide el moribus.* Ratione huius connexionis Ecclesia

I. M. Canus optime adjicit : « Nec differt, diabolum colas an hominem condemnatum. » *De locis lheol.,* V, v, n. 44.

?. M. Canus, l. c.

etiam circa factum ipsum, quod certe non est revelatum, infallibilis fit, inquantum sc. Ecclesia in rebus fidei proponendis, applicandis et profitendis errare non potest. Unde infallibilitas canonizationis non fundatur in veritate testium vel factorum adductorum, sed proprie, formaliter et exclusive in assistentia Dei vel in speciali Dei providentia qua cavetur ne Ecclesia in iudicio de aliquo homine colendo erret[1].

1. S. Thomas in *Quodc.,* ix, art. 16 hanc rationem adducit : « Aliquid potest indicari possibile secundum se consideratum quod relatum ad aliquid extrinsecum impossibile invenitur. Dico ergo quod iudicium eorum qui præsunt Ecclesiæ, potest errare in quibuslibet si personæ eorum tantum respiciantur. Si vero consideretur divina providentia quæ Ecclesiam suam Spiritu Sancto dirigit... certum est quod iudicium Ecclesiæ universalis errare in his quæ ad lidem pertinent, impossibile est... (Atqui) honor quem sanctis exhibemus, quædam professio fidei est qua sanctorum gloriam credimus. (Ergo) Pie credendum est quod nec etiam in his iudicium Ecclesiæ errare possit. » Unde in resp. ad 2um dicit : « Divina providentia præservat Ecclesiam ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur. »

ARTICULUS TRIGESIMUS OCTAVUS

De Ecclesiæ infallibilitate in approbandis Ordinibus religiosis, Doctoribus Ecclesiæ et revelationibus privatis

I. Ecclesia est infallibilis in sollemni approbatione Ordinum religiosorum. — Status religiosus est « stabilis in communi vivendi modus quo fideles, praeter communia præcepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obædientiæ, castitatis et paupertatis suscipiunt atque ita ad perfectionem tendunt[1]. »

Huiusmodi status religiosus diversas societates comprehendit in quibus singulis sodales secundum proprias leges consilia evangelica applicant atque ad perfectionem tendunt. Illæ societates in quibus vota sollemnia nuncupantur, proprie ordines religiosi vocpntur.

Approbatio alicuius religionis potest esse vel episcopalis tantum et pro determinato loco, vel Romani Pontificis quæ iterum est vel permissiva tantum vel commendativa ve] definitiva. Quæstio est de infallibilitate approbationis definitivæ, factæ a Romano Pontifice. In qua tamen distinguendum est inter iudicium doctrinale et prudentiale : *iudicium doctrinale* statuit tale institutum esse medium aptum ad perfectionem christianam consequendam ; *iudicium prudentiale* respicit utilitatem vel necessitatem institutionis alicuius religionis. Quantum ad iudicium prudentiale, i. e. de utilitate vel necessitate alicuius religionis, certe præsumenda sunt motiva sufficientia et vera[2] : ita Ordines Fratrum ipinorum et Praedicatorum et Societas lesu in initio plures habuerunt adversarios in Ecclesia ipsa, nl tameniudicium prudentiale Romanorum Pontificum, huiusmodi religiones approbantium, confirmatur per fructus immensos quos religiones dictae postmodum in Ecclesia

1. C. I. C., can. 487 s.

2. Sententia contraria M. Cani *(De locis llieol.,* l. V, c. v, n. 46) n<m olistai.

attulerunt. Quaeritur igitur proprie de infallibilitate iudicr doctrinalis. Sententia hodie communis est affirmativa.

Halio est in promptu. Ecclesia enim est infallibilis in determinandis regulis morum : atqui approbatio alicuius Ordinis est determinatio quædam circa regulas morum. Nam Ecclesia approbando aliquem Ordinem, tale institutum vel modum vivendi tanquam conformem cum doctrina revelata et tanquam medium aptum ad sanctitatem et perfectionem adipiscendam declarat. Error igitur in approbatione Ordinum errorem circa res'morum importaret.

Neque dicas huiusmodi approbationem aliquos tantum homines, non vero universalem Ecclesiam respicere. «Quamvis en'im, ait Sylvius, una religio certi alicuius generis homines certumque vivendi modum contineat, pertinet tamen ad totam Ecclesiam, non solum quia toti Ecclesiæ deservit, sed etiam quia tota Ecclesia debet eam probare eamque ut bonam et ex se perfectioni evangelicæ acquirendæ utilem admittere, postquam Summus Pontifex illam pro tali probavit[1] ».

Neque obstat infallibilitati Ecclesiæ quod aliqui Ordines postmodum paululum delapsi sunt vel etiam ab Ecclesia suppressi. Ecclesiæ enim iudicium *institutum* ipsum respicit, non vero historicam evolutionem instituti ; deinde unus idemque Ordo, mutatis rerum conditionibus, minus utilis fieri potest, salva excellentia, intrinseca ; denique distinguendum est inter leges ipsas approbatas et observationem earum perfectam.

Certo Romani Pontifices per approbationem religionum bono Ecclesiæ optime consuluerunt.

II. Ecclesia est infallibilis in approbatione expressa Doctorum Ecclesiæ. — 1. *Doclores Ecclesiæ* vocantur *scriplores ecclesiaslici, doctrina orthodoxa, eruditione, sanctimo-*

1. *Conlrov.,* l. IV, n, a. 6. — C. I. C., can. 487 determinat : « Status religiosus... ab omnibus in honore habendus est ». S. Thomas docet : « Cum per apostolicam Sedem aliquæ religiones sint institutae... manifeste se damnabilem reddit quicunque talem religionem damnare conatur. » Contra impugn., c. iv.

nia præslanles qui ab Ecclesia doclores Ecclesiae déclarait sunt. Huiusmodi declaratio, praeter titulum et honorem doc toris, importat indicium : *a)* quod *doctrina* doctoris sit *conformis cum doctrina revelata,* δ) quod doctor doctrinam revelatam — sive S. Scripturæ sive traditionis — *secundum sensum Ecclesiæ exposuerit, c)* quod *scripta* doctoris sint *commendanda tanquam fons* ex quo doctrina sana et catholica sit haurienda. Cum doctrina approbatur, approbatio *corpus doctrinæ* respicit, non vero doctrinas singulas separatim acceptas. De auctoritate quæ Doctoribus Ecclesiæ competit, infra a. 70-72 erit quæstio.

Doctores Ecclesiæ expresse recogniti sunt sequentes. Græ-i in suis libris liturgicis tres « doctores magnos œcumenicos » venerantur, sc. S. Basilium, S. Gregorium Naz. et S. Chrysostomum, quibus tamen Ecclesia latina S. Athanasium adjunxit. Ex occidentalibus tanquam « doctores magni occidentis » recogniti sunt : S. Ambrosius, S. Hieronymis, S. Augustinus, et S. Gregorius M. Postea tanquam doctores Ecclesiæ declaraverunt : Pius V. Leonem M et S. Thomam Aquinatem ; Sixtus V. S. Bonaventuram ; Pius VIII. S. Bernardum ; Pius IX. S. Hilarium, S. Alphonsum de Ligorio, S. Franciscum Salesium ; Leo XIII. S. Cyrillum Hierosol., S. Cyrillum Alex, et Bedam Venerab. ; Benedictus XV. S. Ephrem Syr. Pius XL S. Canisium. Præterea in Breviario celebrantur : S. Petrus Chrysologus, S. Petrus Damiani, S. Anselmus Cant. etc.

2. *Sententia Ecclesiæ* circa infallibilitatem in doctoribus Ecclesiæ approbandis apparet præsertim ex duobus : 1. Ecclesia huiusmodi iudicium tanquam *definitivum* considerat ; 2. Ecclesia doctrinam doctorum Ecclesiæ tanquam legitimam admittit et sequitur[1].

Iudicium autem definitivum et assensus indubitatus sunl signa iudicii infallibilis.

1. *Concil. Valent.* 111 (855) declarat : « Indubitanter... doctoribus pie et recte tractantibus verbum veritatis, ipsisque sacræ Scripturæ lucidissimis expositoribus, i. e. Cypriano, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino cæterisque in catholica pietate quiescentibus, *reverenter auditum et obtemperanter intellectum submittimus* et pro viribus quæ ad salutem nostram scripserunt, *amplectimur.* ». Denz., 320.

3. *Halio infallibilitatis* Ecclesiæ in doctoribus Ecclesiæ declarandis facile patet.

a) Ecclesia est infallibilis *in indicio* definitivo circa doctrinam de *fide vel moribus.* Atqui approbatio expressa doctorum Ecclesiæ est indicium definitivum circa doctrinam de rebus fidei et morum : declaratur enim doctrina doctorum tanquam conformis cum doctrina revelata, tanquam expositio legitima doctrinæ Ecclesiæ, tanquam fons vel regula doctrinæ tcnendæ. Ergo Ecclesia necessario jn declarandis doctoribus Ecclesiæ infallibilis est.

b) Error in declarandis doctoribus Ecclesiæ errorem in rebus fidei et morum importaret. Nam Ecclesia, approbando aliquem ut doctorem cuius doctrina esset erronea, *errorem* in fide vel moribus *approbaret, falleret* simul fideles et in errorem induceret, commendando sc. doctrinam falsam, et *falleretur ipsa* sequendo doctrinam doctorum.

4. Non obstat damnatio propositionis iansenisticæ : « Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam[1] ». Nam Ecclesia *a)* non absolute approbat singulas propositiones vel doctrinas alicuius doetoris, *b)* approbat quidem doctrinas quas doctor revera docuerat, non vero quas quicunque in eius scriptis invenisse putaverit, c) approbat doctrinam doctorum ut exponendam secundum sensum Ecclesiæ et maxime secundum definitiones Romanorum Pontificum, non vero prout quilibet privatus vel schola quædam illas interpretatur. lansenistæ vero doctrinam, quæ revera non fuit S. Augustini et expositam secundum systema proprium, sensui Ecclesiæ et definitionibus Romanorum Pontificum opponere ausi sunt.

III. De approbatione speciali alicuius doetoris. — 1. Plurium doctorum doctrina ab Ecclesia speciali modo est approbata. Ita speciali modo approbata est doctrina S. Athanasii de consubstantialitate Verbi[2] et doctrina S. Cyrilli Alex, dé unione hypostatica[3]. Speciali modo approbata est

1. Denz., 1320.
2. *Per concil. Nicænum,* 1.
3. *Per cone. Ephes.,* Cpt. n, can. 13 (Denz., 226) ; *Lateran.* (649),. can. 16 (Denz., 269) et *Cone.* Cpt. m (Denz., 290. 292).

doctrina S. Augustini de gratia[1], et speciali, immo specialissimo modo, doctrina universalis, tum philosophica tum theologica, S. Thomæ Aquinatis[2]. Quæritur igitur, utrum habeatur iudicium infallibile.

2. Principium in hac quaestione solvenda est hoc : *iudicium infallibile* habetur, inquantum adest *iudicium definitivum*. Iamvero vix negari poterit, approbationem doctrinæ Athanasii, Cyrilli Alex, et Augustini esse definitivam adeoque infallibilem. Quantum ad S. Thomam Aquinatem, ipse sollemniter quidem ac definitive tanquam doctor Ecclesiæ declaratus est adeoque eius doctrina generaliter approbata, speciales vero et specialissimae approbationes subséquentes non videntur esse infallibiles quia non definïtivæ : nunquam enim SS. Pontifices utuntur termino « definimus » neque alio modo voluntatem rem finaliter determinandi exprimunt[3].

IV. De approbatione revelationum privatarum. — 1. Revelationes privatæ non proponuntur Ecclesiæ, sed solum fiunt particulariter alicui personæ, sive id quod revelatur non cedat in bonum Ecclesiæ sive etiam in bonum Ecclesiæ cedat. « Fides enim nostra, ait Angelicus, innititur revelationi prophetis et Apostolis factæ qui canonicos libros scripserunt, non vero revelationi si qua fuit aliis doctoribus facta[4]. »

Non tamen excluditur revelatio privata, sed e contra pertinet ad charismata Ecclesiæ promissa[5] (cf. supra, a. 15. 20), tantum per revelationes privatas fidei depositum non augetur : etenim, ait iterum S. 'fhornas, « singulis temporibus non defuerunt aliqui prophetiae spiritum habentes, non quidem ad novam doctrinam fidei depromendam sed ad humanorum actuum directionem[6]. » Revelatio igitur pri-

1. *Per Coei,* i (Denz., 128. 129), Boni!. II in ep. ad Patres Cone. Arausicani II et per ipsum Cone. Araus. II.
2. Ut infra, a. 72 exponetur
3. Cf. S. Szabo, *Die Auktorilât deshl. Thomas* (Regensburg, 1918).
4. I, q. i, a. 8.
5. Optime *Gravina* in opere cui titulus : *I.apis lydius,* revela· Hones privatas contra Centuriatores Magdeburgenses defendit.
6. II, II, q. clxxiv, a. 6 ad 3.

vata neque ad depositum fidei pertinet *neque est obiectum infallibilitatis nisi in quantum habet connexionem cum depositio fidei : inquantum sc. cum doctrina revelata concordat vel ab ea discrepat*[1].

2. De facto Ecclesia quasdam revelationes privitas approbavit, ut revelationes factas S. Hildegardae (Eugenius III), S. Brigittæ (Bonifatius IX), S. Catharinæ Sen. (Greg. IX), alias vero tolerat ut S. Gertrudis, Mechthildis et S. Theresiæ.

3. Tamen « sciendum est, approbationem istam nihil aliud esse quam *permissionem* ut edantur ad fidelium institutionem et utilitatem post maturum examen[2]. » Unde de facto circa revelationes privatas non extat indicium Ecclesiæ definitivum adeoque neque infallibile.

1. Benedictus XIV, *De servorum Dei bealificatione,* m, 53.
2. Benedictus XIV, I. c., n, 32, 11.

CAPUT QUINTUM

De potestate Ecclesiæ

Omnis societas veri nominis potestate regitur. Cum igitur Ecclesia sit vera societas (art. 5-10) eaque perfecta (art. 29) et hierarchice constituta (art. 13-16), immediate sequitur, in Ecclesia esse potestatem socialem. Quæritur autem, cuius naturæ sit illa potestas, quodnam sit subiectum et quodnam obiectum (vel extensio) ipsius. Unde agemus.

1° De potestate *regiminis* Ecclesiæ (art. 39).

2° De subiecto, obiecto et extensione potestatis regiminis (art. 40).

3° De potestate *magisterii* (art. 41). Praemittimus autem quasdam notiones necessarias.

ARTICULUS TRIGESIMUS NONUS

De potestate regiminis Ecclesiæ

1. Notiones. — 1. *Potestas ordinis et iurisdichonis.* — Duplex potestas in Ecclesia distinguitur : a) potestas *ordinis* quæ sc.^per sacramentum ordinis confertur ; *b) potestas iurisdiclionis seu regiminis* quæ ex divina institutione est in Ecclesia et certis personis competit, vel ratione officii et muneris vel ex commissione[1].

2. Potestas ordinis et iurisdictionis in pluribus differunt[2] :

1. Cf. C. 1. C., can. 196, 197, 948.

2. Cf. S. Thomas, II, II, q. xxxix, a. 3 ; Turrecrunata, *Summa de Ecclesia,* i, 96.

α) Potestas ordinis est *sacramentalis*, potestas iurisdictionis est vel *sacrainenlalis vel extra-sacramentalis.*

6) Potestas ordinis nec amitti nec *auferri neque limitari* potest ; potestas iurisdictionis a superiori auferri vel limitari potest ; si vero non adsit superior, ut respectu Romani Pontificis, potestas iurisdictionis saltem per resignationem amittitur — idem accidit in aliis resignantibus, ut in episcopis etc.

c) Potestas ordinis est *pure et stricte instrumental'is;* potestas iurisdictionis, licet sit originis divinæ et supernaturalis, *non est mere instrumentons sed vero modo principalis*[1].

d) Potestas ordinis per validam *ordinationem* confertur ; potestas iurisdictionis obtinetur vel per legitimam successionem, ut in Romano Pontifice, vel per institutionem in munus, ut in episcopis, vel per commissionem seu missionem, ut in delegatis; deinde vel imediate a Deo, ut in Romano Pontifice et forsitan in episcopis, vel mediante superiore.

e) Utraque quidem potestas ad fidelium regimen et cultus divini ministerium ordinatur : at potestas ordinis principalius et immediatius ad Dei cultum, potestas iurisdictionis, saltem extra-sacramentalis, ad gubernationem fidelium. Similiter *finis* utriusque potestatis est sanctificatio fidelium ac denique maior Dei gloria.

3. Potestas iurisdictionis *dividitur* in potestatem *magisterii* et in potestatem imperii seu *regiminis* stricte dictam[1]. Potestas magisterii est circa doctrinam, potestas vero regiminis est circa vitam, actiones et res fidelium.

4. Potestas regiminis stricte dicta (ut distinguitur a potestate magisterii), dividitur in potestatem *legislalivam,* ç *iudiciariam, coaclivam vel coercitivam.*

a) *Potestas legislaliva* est *potestas faciendi ordinationes ad bonum commune quæ in conscientia obligant.* Potestas legislativa etiam ad *praecepta* extenditur[3].

1. Cf. Van Noort, *De Ecclesia,* p. 43.

2. Alii directe inter potestatem ordinis, magisterii et regiminis distinguunt. Ex parte nostra divisionem G. I. C. sequimur. Cf. etiam S. Thomam, H, II, q. xxxix, a. 3.

3. *Lex* definitur a S. Thoma : « Quædam rationis ordinatio ad

b) Potestas iudiciaria est *ius (et officium) iudicandi cum auctoritate de vero sensu legum et de conformitate vel dissonantia actionum subditorum cum lege*l. Per particulam « ius » significatur facultas debita, coniuncta officio iudicandi ; per particulam « cum auctoritate » significatur *obligatio* quæ subdito imponitur et constitutio iuris — in hoc enim distinguitur sententia iudicis a iudicio pure logico2. Per ultimam particulam proprie obiectum potestatis iudiciariæ indicatur.

c) *Potestas coactiva vel coercitiva* est *ius vel facultas puniendi reos.* Dicitur coactiva, *non* quasi importet *vim physicam* ad aliquem actum extorquendum vel impediendum, sed inquantum importat auctoritatem moralem imponendi pœnam qua reus corrigatur3. Hæc autem pœna potest

bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata. » II, II, q. xc, a. 4. — « *Præceplum* importat applicationem legis ad ea quæ. ex lege regulantur ». I, II, q. xc, a. ***i*** ; cf. II, II, q. xliv, a. l, 2. Præceptum potest esse aut commune seu generale aut speciale (1, II, q. xevi, a. l ad 2 ; q. xcvui, a. 6 ad 2 ; Contra gent., m, 130), lex vero ex natura sua est communis, i. e. pro tota communitate fertur.

1. « Iudicium importat... definitionem vel determinationem iusti sive iuris. » S. Thomas, II, II, q. lx, a. 2 : « Sententiaiudicis est quasi quædam particularis lex in aliquo particulari facto », II, II, q. lxvii, a. l. z")

2. « ludicare pertinet ad iudicem secundum quod fungitur publica potestate. » S. Thomas, II, II, q. lxvii, a. 2. «Sententia iudicis debet habere vim coactivam (== obligantem) per quam constringatur utraque pars ad servandam sententiam iudicis. » II, II, q. LVH, q. l.

3. « Pœna (consistit) in privatione alicuius eorum quibus utitur voluntas ». S. Thomas, I, q. lviii, a. 6. « Est autem de ratione pœnæ quod sit contraria voluntati et quod sit afflictiva et quod pro culpa inferatur. » I, I, q. lvi, a. 6 ad 2. — A poena distinguitur *pœnitenlia.* S. Thomas : « alio modo fit recompensatio offensæ in poenitentia et in vindicativa iustitia (= pœna). Nam in vindicativa iustitia fit recompensatio secundum arbitrium iudicis (vel determinationem legis), non secundum voluntatem offendentis vel offensi : sed in poenitentia fit recompensatio offensæ secundum voluntatem peccantis (= ex voluntate ipsius) et secundum arbitrium Dei in quem peccatur : quia hic *non* quæritur *sola reinlegratio æqualilalis iusiiliæ* sicut in iustitia vindicativa, sed magis *reconciliatio amicitiae :* quod fit dum offendens récompensât secundum voluntatem eius quem offendit. » III, q. xc, a. 2.

esse vel spiritualis = privatio alicuius boni supernaturalis, ut in excommunicatione, vel temporalis — privatio alicuius boni naturalis, sive materialis sive moralis, ut in inflictione pœnæ ieiunii et infamiæ. In inflictione pœnæ materialis vis physica intervenire potest. *Finis* pœnæ est correctio delinquentis et delicti punitio[1].

II. Doctrina catholica. — *In Ecclesia Christi ex divina institutione esse potestatem regiminis plenam ac supremam, ad dogmata* catholica pertinet. Id quod maxime ex *Concil. Vatie,* patet quod definivit, *Romano Pontifici* « in beato Petro pascendi, *regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam* a Domino nostro Iesu Christo *plenam* potestatem traditam esse », ipsumque habere « *plenam el supremam potestatem iurisdictionis* in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam *in iis quæ ad disciplinam el regimen Ecclesiæ...* pertinent », eumque esse « *iudicem supremum fidelium*[2] ». Iamvero potestas Romani Pontificis est potestas Ecclesiæ.

Hac ratione Pius IX declaravit, *leges* Ecclesiæ in conscientia obligare, etiam absque consensu potestatis civilis ; Ecclesiæ ius competere, violatores legum suarum *pœnis temporalibus coercendi :* potestatem Ecclesiæ sese extendere *ad usum rerum temporalium* ac denique ecclesiasticam potestatem esse iure divino distinctam et independentem a potestate civili[3].

Iohannes XXII (1327) damnavit tanquam hæreticam prop. Mars. Patavini : « Quod tota Ecclesia simul nullum hominem punire potest *punitione coacliva,* nisi concedat hoc imperator[4]. »

Similiter Pius VI damnavit sententiam Pistoriensium, se. « qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendæ aliter quam per media

1. In C. I. C., can. 2215 : « Pœna ecclesiastica est privatio alicuius boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem a legitima auctoritate inflicta. »

2. Sess. IV, c. m, Denz., 1826-1831 ; cf. Pius VI in Bulla *Aucl. fidei ;* Denz., 1502-1504.

3. Denz., 1697, s.

4. Denz., 500.

quæ pendent a persuasione[1] ». Innocentius XI damnavit sententiam Midi. *Molinos* quæ docet, præpositis obædiendum esse tantum in exteriori, animam vero quoad internum ab episcopis gubernari non deberi[2].

Damnata quoque fuit ut hæretica sententia jansenistica potestatem Ecclesiæ ad res exteriores vel disciplinam exteriorem non extendi[3] ; quæ sententia postmodum iterum in prop. 24 Syllabi Pii IX damnata est : « Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam[4] »

Pius X damnavit doctrinam modernisticam de origine et natura potestatis ecclesiastic»[5].

Denique doctrinam catholicam optime C. I. C. reflectit his canonibus : can. 196 : « Potestas iurisdictionis seu regiminis ex divina institutione est in Ecclesia » ; can. 335, § 1 : (Episcopis) ius .jest et officium gubernandi diœcesim tum in spiritualibus tum in temporalibus cum potestate legislativa, iudiciaria et coactiva ad normam sacrorum canonum exercenda » ; can. 218 § 1 —ı de potestate Romani Pontificis ; can. 2214, § 1 : « Nativum et proprium Ecclesiæ ius est, independens a qualibet humana auctoritate, coercendi delinquentes sibi subditos pœnis tum spiritualibus tum et etiam temporalibus » ; can. 1495 s. : de iure circa bona temporalia.III.

III. Sententiæ contrariée. — Errorem *Aerii* qui Ecclesiæ denegavit ius legisferendi circa ieiunia, breviter notasse sufficiat. In medio ævo *Mars. Patavinus* potestatem coactivam Ecclesiæ subordinavit concessioni imperatoris. Proprie *Protestantes* omnem potestatem regiminis divinitus datam in Ecclesia negaverunt ; potestatem vero quæ de facto in diversis Ecclesiis reperitur, vel tanquam usurpatam declarant vel ex concessione communitatis et principum deducunt vel ad rationem alicuius societatis imperfectæ vel collegii reducunt. Videsis quæ art*, 13s.

1. Denz., 1505.
2. Denz., 1285 ss.
3. Denz., 1504.
4. Denz., 1724.
   Denz., 2091.

exposuimus. *Gallicani el Jansenislæ* nec non *Febroniani* admittunt potestatem quoad spiritualia et interna, non vero quoad res externas et materiales, dum e contra Mich. *Molinos* Ecclesiæ potestatem tantum quoad externa concedit. *Liberalismus* sæc. XIX. et præsentis negat potestatem Ecclesiæ quoad res externas et materiales simulque potestatem coactivam. Damnationem omnium huiusmodi errorum iam n. præcedenti vidimus. Maxime tamen nostris temporibus potestas regiminis Ecclesiæ, saltem quoad res materiales et disciplinam externam, a *iurislis* quibusdam nostri temporii negatur. Illi enim, imbuti doctrinis hegelianis, omne ius a societate civili deducunt : unde Ecclesiæ nullum ius independens a statu concedunt. Illorum principium est : « omnis iuridictio in nomine Cæsaris exercetur ». Denique *Modernislæ* totum fundamentum potestatis regiminis Ecclesiæ subverunt per doctrinam de conscientia religiosa1.

IV. Theses. — Prop. I. In Ecclesia ex institutione divina est potestas regiminis respectu fidelium. — Hæc thesis sequitur ex illis quæ supra de constitutione hierarchica Ecclesiæ Christi et de Ecclesia ut societate perfecta disseruimus.

Prob. 1. *Chrislus,* ut ibi vidimus, Apostolis confert suam potestatem, constituit Ecclesiam ut societatem perfectam, Apostolis Ecclesiam ut regendam committit, atque talis Ecclesia usque ad finem mundi non permutata permanebit. Atqui per hoc Christus Ecclesiæ potestatem regiminis confert.

Hac ratione *Christus* Apostolis dicit : « Sicut misit me Pater, ego mitto vos » *(loa.,* xx, 21) : sicut sc. ipse etiam ut homo, habebat potestatem instituendi et gubernandi

1. *Encyclica Pascendi* errorem modernisticum ita exponit : « Praeteritis aetatibus vulgaris fuit error quod auctoritas in Ecclesiam extrinsecus acesserit, nimirum immediate a Deo ; quare autocratica merito habebatur. Sed hæc nunc temporis obsolere. Quo modo Ecclesia e conscientiarum collecti vitate emanasse dicitur, eo pariter auctoritas ab ipsa Ecclesia vitaliter emanat. Auctoritas igitur, sicut Ecclesia, ex conscientia religiosa oritur atque ideo eidem subest. » Denz., 2091.

Ecclesiam, ita Apostolis ex sua potestate confert potestatem Ecclesiæ gubernandæ. Id quod antea iam per verba expresserat : «Arnen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo » (Mt ., x v iii, 18). Huiusmodi enim verborum sensus obvius est ; ordinationes Apostolorum valent ac si a Deo datæ sint. Denique hic pertinent illa : « Euntes... docete omnes gentes... docentes eos *servare omnia quæcumque mandavi vobis* » (Mt ., x x v iii, 20) : his enim verbis Apostolis ius et officium confertur, ut ex auctoritate Christi mandata Christi execution! mandent — id quod proprium est potestatis regiminis.

Similiter, ut infra videbimus, Petro potestatem confert sub figura clavium, pastoris et fundamenti Ecclesiæ.

Prob. 2. *Apostoli* non tantum potestatem ordinis exercent, sed et præcipue potestatem regiminis, fundantes Ecclesias, constitutas gubernantes, sive per se sive per suos delegatos : utrumque autem tanquam ex mandato et in auctoritate Christi : videsis supra art. 13-16.

Prob. 3. *Ecclesia velus* secundum testimonium evidens historiæ per episcopos regebatur, sive dispersos in singulis dioecesibus sive mox in conciliis congregatos : atque id factum est tanquam ex mandato et in potestate Christi et Dei, ut testimonia supra, art. 13-16, allata luculenter probant.

Prob. 4. Denique potestas regiminis necessario *ex natura Ecclesiæ* sequitur. Ecclesia enim a Christo constituta est tanquam societas distincta a societate civili, cum fine speciali qui finem societatis civilis superexcedit, ut societas independens et perfecta. Atqui ad societatem veram et distinctam, cum fine proprio, et ad societatem perfectam necessario et secundum omnium iudicium potestas regiminis pertinet : ita omnis societas civilis eo ipso petestate regiminis pollet. Neque aliter societas veri nominis constitui potest nec finis eius obtineri, immo societas perfecta absque potestate regiminis ne quidem cogitari potest[1].

1. Similiter omnis societas perfecta obiecliim et extensionem propriæ potestatis ipsa determinat.

Prop. IL — Christus Ecclesiæ dedit potestatem legislativam. — Hæc propositio continetur in prop. I.

Christus mittendo Apostolos sicut missus est ipse, sanciendo eorum ordinationes tanquam ab ipso vel a Deo factas, committendo ipsis executionem mandatorum suorum, instituendo Petrum in caput, pastorem et clavigerum Ecclesiæ, præcipue et primario potestatem legislativam contulit.

Apostoli, ut ex eorum epistulis et ex Actibus apparet, in nomine et auctoritate Christi potestatem legislativam exercuerunt, ut omnes Apostoli in Concilio Hierosolymitano circa observationes Mosaicas *{Aci.,* 15, 28 ss.), Paulus circa sic dictum privilegium Paulinum (/ *Cor.,* vu, 12 ss.) ac denique Apostoli per ordinationes quæ in omnibus epistulis apparent.

Nec minus *Ecclesia velus* leges ferebat ut omnis earum constitutio et historia probat : atque huiusmodi potestas apud præpositos, tanquam ministros Christi et Dei, erat.

Denique Ecclesia ut societas propria, distincta et perfecta, necessario et primario potestate legislativa pollet, ut vel sensus communis fert ; absque enim legibus nulla societas consistere et finem suum consequi potest.

Neque dicatur, sufficere leges ab ipso Christo datas. Sufficiunt enim ad Ecclesiam constituendam, non vero ad Ecclesiam in diversis hominum et temporum varietatibus gubernandam et dirigendam ut finem suum perfecte consequi possit. Secundum enim diversitatem hominum, conditionum et temporum leges quibus natura alicuius societatis determinatur, diversimode sunt applicandæ atque diversimode necessitatibus et utilitati membrorum consulendum est. Unde sicut in constitutione aliarum societatum primo quidem quædam leges fundamentales determinantur et per illas etiam potestas legislativa constituitur, pro necessitatibus postmodum occurrentibus, ita et Christus quidem ipse eas leges statuit quibus natura Ecclesiæ determinaretur, at simul etiam potestatem legiferam superiorum Ecclesiæ ut illi secundum Christi voluntatem, directionem et intentionem necessitatibus occurrentibus et utilitati fidelium providerent : atque hoc modo Christus sufficienter Ecclesiam ordinavit, simul

tamen Ecclesiam ut societatem perfectam constituit. Immo Christus, ob specialem finem Ecclesiæ et ob auctoritatem divinam legum ecclesiasticarum charisma infallibilitatis adiunxit ne sc. Ecclesia, ex auctoritate divina præcipiens, aliquid contra fidem evangelii ordinaret.

Prop. III. — Christus Ecclesiæ dedit potestatem iudiciariam.

Etiam hæc prop, continetur ut pars in prop. I. Nam omnes textus quibus Ecclesiæ potestas regiminis confertur, simul potestatem iudiciariam exprimunt, ut missio divina, valor divinus ordinationum (alligare et solvere) mandatum et ius executionis mandatorum divinorum, officium pascendi, regendi et ius clavium.

Christus autem potestatem iudiciariam adhuc specialiter indicavit Mt., xviii, 15 ss. Ibi enim circa defectus fidelium ordinat : primo facienda est correctio fraterna, deinde res ad Ecclesiam deferenda est : « Quodsi non audierit, dic Ecclesiæ » ; sententia vero Ecclesiæ est obligatoria, nam : « Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus » — en sanctionem indicii Ecclesiæ.

Inde *Apostoli* munus iudicis exercuerunt, ut Paulus in casu Corinthii incestuosi (I *Cor.,* iv, 18 ss.). Idem Paulus Timotheum instruit circa iudicium ferendum : « Adversus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus » (7 *Tim.,* v, 19).

Pro praxi *Ecclesiæ veteris* testimonium insigne exhibet Clementis Rom. ep. ad Corinthios in qua seditio impia et detestanda Corinthiis facta iudicatur. De cætero ex historia ecclesiastica constat, indicium ad munus episcopi pertinuisse, imino S. Chrysostomus lamentatur : « Pars illa quam episcopum tractare in iudiciis convenit, infinita certe odia, infinitas offensiones parit[1]. »

Denique potestas iudiciaria immediate potestatem legislativam consequitur, quippe quia potestas legislativa sine potestate iudiciaria evanesceret. Sicut igitur in societate civili utraque potestas tanquam necessaria habetur, ita et in Ecclesia, quæ est societas non minus perfecta.

1. *De sacerd.,* m.

Prop. IV. — Christus Ecclesiæ dedit potestatem coactivam vel coërcitivam.

Potestas coactiva necessario consequitur potestatem legislativam et iudiciariam, quippe quæ sine illa inefficax remaneret. Unde potestas coactiva includitur in potestate regiminis cuius est pars integralis. Ita S. Thomas principi officium tribuit, « ut suis legibus et praeceptis, poenis et præmiis homines sibi subiectos ab iniquitate coerceat et ad opera virtuosa inducat, exemplum a Deo accipiens, qui hominibus legem dedit, observantibus quidem mercedem, transgredientibus pænas retribuens[1] ». Multo magis ecclesia officium ct potestatem habere oportet ut non tantum legibus sed et poenis et præmiis fideles ad virtutis exercitium promoveat.

Christus ipse potestatem cœrcitivam enuntiavit per verba : « quæcunque alligaveritis etc.»; *Apostoli* eam tum verbis tum factis proclamant : verbis, ut Paulus ***I Cor.***,. iv, 21 : « Quid vultis ? In virga veniam ad vos ? » (cf. ***II Cor.***,. x, 6) ; factis : ***I Cor.,*** v, 3-5 ; ***II Cor.,*** x iii, 2 ; ***II Thess.,*** m, 14, etc. Praxis vero veteris Ecclesiæ testimonium iterum tota est historia, incipiendo ab epistula Clementis ad Corinthios[2].

Prop. V. — Potestas coactiva Ecclesiæ se extendit ad pænas temporales easque corporales. — Hæc conclusio quam maxime a pluribus impugnatur, ut supra vidimus.

Prob. 1. *Christus,* conferendo Ecclesiæ potestatem ‹ oactivam, eam ad pænas spirituales non limitavit, sed c contra tanquam universalem declaravit : « Quæcumque alligaveritis, etc. » : etenim in societate ex hominibus constituta, potestas coactiva ex natura sua et secundum æsti-

1. *De regimine principum,* r, 15.

2. Van Espen, Febronianus, quidem obiecit *[Ius univ. Eccl.,* l. III, tit. I), forum externum in Ecclesia ante sæc. xn non fuisse. At quis hodie aliquid simile asserere audebit ? — Tamen notandum est, Ecclesiam priorum saeculorum potestatem punitivam indirecte exercuisse. Culpabiles enim obligabantur ad poenitentiam (maiorem) agendam et hoc modo Ecclesia eos indirecte punivit. Potestas enim coercitiva diversimode applicari potest ac recte in Ecclesia modus quidam specialis convenit.

Hiationem communem pænas temporales easque corporales comprehendit, ut usus totius humanitatis ostendit.

Prob. 2. Quæcumque societas perfecta pollet potestate adhibendi media proportionata et efficacia ad finem consequendum : atqui pœnæ temporales eæque corporales sunt proportionate et efficaces, immo necessariæ ad finem Ecclesiæ consequendum. Ergo Ecclesiæ potestas ccercitiva ad poenas temporales easque corporales sese extendit.

Maior patet ex sensu communi. Minor prob.

a) Ex parle membrorum ut sunt *homines.* Fideles enim, tanquam homines ex anima et corpore compositi, appetunt non tantum bona spiritualia, i. e. supcrnaturalia, sed et bona naturalia animæ et corporis eaque maxime : unde privatio bonorum temporalium et corporalium est proportionata, efficax et necessaria.

b) Ex parte fidelium ut sunt *rei* corrigendi. Rei enim communiter culpam minus agnoscunt nec poenis mere spiritualibus efficaciter corriguntur, utpote per peccatum habentes affectum inordinatum : unde magis proportionate et magis efficaciter per pænas temporales, et maxime per pænas corporales, corriguntur[1].

c) Ex parte *pœnæ lemporalis.* Pœna spiritualis qua sc. homo bono supernatural! privatur, licet minus sentiatur a quibusdam, tamen secundum se est gravissima atque damnum maximum infert ; pœna vero temporalis licet magis sentiatur, tamen minus damnum infert et est levior pœna secundum se : unde Ecclesia maxime convenienter homines per pænas temporales et corporales corrigere quærit.

Id quod diximus, valgt tum pro illis qui ipsi puniendi sunt, tum quantum ad alios qui a guipa præservandi sunt.

Prob. 3. « Pœna ecclesiastica est privatio alicuius boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem » (C. I. C., can. 2215). lamvero in delictis ab hominibus commissis communiter, immo quasi necessario, quædam inordinatio etiam circa ordinem temporalem intervenit : unde correctio et punitio delicti etiam pœnâm quandam temporalem exigit.

1. Cf. S. Thomas, IV Sciit., d. 14, q. i, a. 2, q. i, sol. 1 ; II, 11., q. cvni, a. 3.

Prob. 4. Concordat *usus totius antiquitatis.* Paulus Corinthium incestuosum excommunicayit, infligendo ipsi pcenas etiam temporales (7 *Cor.,* v, 5 ; cf. ***II*** *Thess.,* m, 14 ; ***I*** *Tim., v,* 20). Clemens Romanus poenam exilii imponit : « Dicat : Si prôpter me seditio facta et discordia et schismata orta sunt, discedo, abeo quocunque volueritis et quæ multitudo iusserit, facio1. » Denique nota est praxis veteris Ecclesiæ in excommunicandis reis, in ieiuniis, orationibus, aliisque poenalibus imponendis.

V. Obiectiones. — *Ob.* 1. Ecclesia est societas spiritualis: atqui societas spiritualis media tantum spiritualia adhibere debet. Ergo pœnæ corporales sunt extra ambitum Ecclesiæ.

Hesp. Ecclesia est societas spiritualis ratione finis, originis, et mediorum principalium, conc., ratione membrorum et mediorum omnium, n. Inter media enim quæ Ecclesia adhibet atque ipsi competunt, sunt etiam media temporalia.

Explic. Quodsi Ecclesia esset societas mere spiritualis, i. e. vel ex solis angelis constituta vel habens organisâtionem mere spiritualem et media mere supernaturalia, pœnæ temporales extra eius ambitum essent. Cum vero Ecclesia ex hominibus, iisque peccato corruptis, constituatur et habeat organisationem etiam temporalem, necessario et ex natura sua etiam rfiedia temporalia ipsi competunt.

Ob. 2. Media oportet esse fini proportionata : atqui finis Ecclesiæ est spiritualis, supernaturalis : ergo Ecclesia pccnis temporalibus atque corporalibus uti nequit.

Besp. Media oportet esse fini proportionata, i. e. nata et apta ad finem consequendum vel promovendum, conc., eiusdem ordinis vel naturæ ac finis, n.

lamvero pœnæ temporales sunt quidem alterius naturæ vel ordinis quam finis Ecclesiæ, tamen, ut vidimus, maxime natæ aptæque ad finem Ecclesiæ, i. e. sanctificationem hominum, consequendum vel promovendum adeoque vere proportionatæ. Ita et societas civilis ad profectum scien-

1. Clement., ad *Cor.,* c. 1iv.

tiarum, moralitatis aliorumque bonorum animæ, licet naturalium, consequendum, mediis materialibus utitur.

Ob. 3. Ecclesia non habet *vim* ad poenas corporales infligendas adeoque deficit fundamentum potestatis illas imponendi.

Besp. a) Ecclesia habet vim sufficientem et efficacem *spiritualem* infligendi pænas temporales, immo corporales. Id quod ex facto constat. Nam communiter fideles pænas sibi inflictas de facto subeunt, ut poenitentias impositas, ieiunia, taxas et alia huiusmodi : vis autem spiritualis est sufficiens fundamentum potestatis, immo perfectius quam vis materialis.

b) Ecclesia non habet vim *materialem,* dist. immediate, transeat, mediate, n. Nam Ecclesia habet ius, ut huiusmodi auxilium materiale ipsi præbeatur vel a fidelibus sibi subditis vel a societate civili. Hoc sensu Bonifatius VIII in Bulla « Unam Sanctam » docet : « In Ecclesiæ potestate duos esse gladios, spiritualem sc. et temporalem... Uterque igitur est in potestate Ecclesiæ..., sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus; ille sacerdotis,, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis1. »

Ob. 4. Potestas infligendi pænas temporales easque corporales periculum inhumanitatis infert.

Besp. ‹z) Quodsi hæc ratio esset valida, etiam societati civili potestas infligendi pænas temporales esset deneganda — id quod tamen adversarii admittere nolunt. Ergo ratio est insufficiens.

b) Huiusmodi periculum est per accidens, atque omnino minus quam apud potestatem civilem.

c) Quodsi Ecclesia quandoque quodam rigore usa est in reprimendis criminibus, ut in disciplina veteri, id necessitate coacta fecit, sc. ac confirmandos fideles contra summa pericula fidei et ad servandam puritatem vitæ christianæ in mundo corrupto : id quod in gloriam Ecclesiæ cedit.

d) Quantum ad *inquisitionem* medii ævi, cuius historiam tanquam notam supponimus, sequentia notamus :

a) Distinguendum est inter inquisitionem *ecclesiasticam*

I. Denz., 469.

et *hispanicam,* quæ erat institutum civile et ad nos non pertinet.

fi) Institutum ecclesiasticum inquisitionis *legilimum, iuslum ac proporlionatum* erat. Finis enim huius instituti erat conservatio fidei et præservatio fidelium a contaminatione hæretica ac denique bonum tum spirituale tum temporale communitatis christianæ. lamvero omnino legitime, iuste ac proportionate Ecclesia media necessaria et efficacia adhibet ad conservandam fidem, ad fideles ab errore præservandos et ad tuendam pacem publicam. Id quod etiam facta posteriora probant. Nam per hæreses subséquentes non tantum fides plurium populorum et innumerabilium hominum in maximum eorum damnum labefactata, sed etiam pax publica modo miserabili per sæcula turbata ekt. E contra in illis regionibus ubi inquisitio vigebat, fides simul ac pax salvata est. Quodsi societas civilis ad minora bona obtinenda et conservanda tanto rigore poenarum utitur, evidenter ad consequendum et tuendum bonum infinito maius quod est bonum fidei et salutis æternæ, media maiora et graviora licite ac debite applicantur. Hoc sensu S. Thomas docet, hæreticos licite occidi. « Multo enim gravius est corrumpere fidem, per quam est animæ vita, quam falsificare pecuniam per quam temporali vitæ subvenitur ; unde si falsarii pecuniæ vel alii malefactores statim per sæculares principes iuste morti traduntur, multo magis hæretici statim ex quo de hæresi convincuntur, *possunl...* iuste occidil. »

γ) Quodsi quidam excessus intervenerunt — quod negandum non est — id ex culpa hominum et ex temporum conditione accidit. Modus procedendi per torturam nobis non arridet, at erat modus usitatus procedendi illius temporis, e. g. in furtis puniendis, nec alius modus facile substitui poterat.

o) Deinde non est prætereundum, *haereticos* quasi regulariter etiam aliarum earumque *civilium legum violalores* fuisse. Ita quasi omnes hæreses tumultus et seditiones excitaverunt, hæretici errorem suum per vim armorum

1. 11, II, q. ii, a. 3.

propugnaverunt ac non raro crimina nefandissima commiserunt.

ε) Inde denique evanescit simul insinuatio multorum ac si Ecclesia, sicut olim pagani, a se dissidentes persecuta esset. Neganda enim est omnino paritas inter martyres christianos et haereticos qui propter hæresim'mortem subierunt. Christiani enim summa conscientia ducibus ac regibus obædientiam debitam præstarunt, passiones sibi illatas patienter sustinuerunt ac fidem in Christum per vitæ sanctitatem et miracula propagaverunt — hæretici vero regulariter seditiones contra potestatem legitimam suscitaverunt, contra potestatem legitimam vi armorum sese defenderunt, religionem novam nec probitate vitæ nec miraculis confirmaverunt : cuius rei testis est historia omnium hæresum, maxime protestanticæ in Germania, Gallia, Anglia.

Itajque potestas coërcitiva Ecclesiæ nullo argumento solido evincitur. E contra vero iusta libertas Ecclesiæ quasi ubique terrarum summa violentia opprimitur. Illi ipsi homines qui Ecclesiæ mortem paucorum hæreticorum obiciunt, innumera centena millia hominum innocentium in mortem tradiderunt[1].

j. A. 1. Tubberville, *Mediaeval heresg and the Inquisition,* Lend. 1920. — Auctor (protestanticus) opus *Lea* corrigit atque ostendit : *a)* hæreses medii ævi tales luisse ut iuxta conditiones temporis puniri mererentur; *b)* sententias mortis fuisse paucas, relate ad sententias alias, ac potius ad exemplum statuendum latas fuisse.

De subiecto, obiecto et amplitudine potestatis regiminis Ecclesiæ

I. Subiectum potestatis ecclesiasticae primarium non est universalis Ecclesiæ. sed pastores Ecclesiæ. — Sensus est : Christus potestatem non primo et directe Ecclesiæ universali vel numero omnium fidelium contulit, sed directe et immediate Apostolis eorumque successoribus. Sententia contraria sub influxu protestantismi apud lansenistas invaluit atque a Pio VI his verbis damnata est : « Propositio quæ statuit, potestatem a Deo datam Ecclesiæ ut communicaretur pastoribus qui sunt eius ministri pro salute animarum ; sic intellecta ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas : hæretical ». Id quod facile patet ex argumentis quibus potestas regiminis Ecclesiæ probatur. Nam Christus expresse et directe Apostolos mittit, ipsis dat potestatem ligandi et solvendi, Petro dat claves ipsumque in pastorem instituit. Similiter Apotoli potestatem minime tanquam delegati fidelium exercent sed ut Apostoli Christi. Denique antiquitas potestatem episcoporum minime tanquam a communitate delegatam vel commissam considerat sed tanquam potestatem immediate a Deo vel a Christo acceptam. Neque valet obiectio quod antiquitus episcopi a communitate eligebantur et Ecclesiæ concurrente consilio communitatis gubernabantur : aliud enim est electio personæ, aliud collatio potestatis in personam electam ; aliud est uti consilio aliorum in rebus determinandis, aliud potestas cuius vi res definitur et iudicatur. Subiectum igitur potestatis ecclesiasticae sunt Ecclesiæ pastores, i. e. episcopi, atque ab illis delegati.

II. Subditi potestatis ecclesiasticae sunt valide baptizati iique soli : C. I. C., can. 12. Ratio est : quia quæcumque

1. Denz., 1504 ; cf. 361.

potestas regiminis non est nisi respectu propriorum subditorum vel sociorum. Homo autem fit membrum Ecclesiæ per baptismum (cf. supra art. 12).

III. Obiectum potestatis regiminis Ecclesiæ sunt omnes res quæ fini Ecclesiæ inserviunt vel quæ ad finem Ecclesiæ consequendum necessariæ atque utiles sunt. — Id quod ex ipsa natura potestatis regiminis sequitur. Potestas enim regiminis hac ratione confertur ut fideles gubernentur et dirigantur ad finem Ecclesiæ consequendum ; unde huic potestati necessario omnia illa competunt quæ ad hunc finem consequendum inserviunt, necessaria vel utilia sunt. Ha quoque potestati civili illa omnia subiciuntur quæ ad finem ipsius consequendum necessaria vel utilia censentur. Intelligitur autem propositio de rebus et personis quæ sunt intra Ecclesiam : ea enim quæ foris sunt, potestati alicuius societatis non subiciuntur : ita Ecclesia sicut non iudicat de personis non baptizatis, ita neque de rebus alienorum disponit.

Potestas igitur Ecclesiæ *directe* et *primario* se extendit ad *res sacras* inquantum sunt sacræ ; ita obiectum regiminis Ecclesiæ sunt : administratio sacramentorum, celebratio divini ofiicii et sacrificii Missæ, institutio et celebratio festorum, gubernatio religiosa laicorum, clericorum et religiosorum, directio studiorum theologicorum, instructio religiosa in scholis ac denique quæcunque sive in se sunt sacra sive sacris deputantur (ut cœmiteria, templa, etc.).

Ex consequenti vel indirecte ad regimen Ecclesiæ pertinent *res temporales* et materiales, sc. non ratione sui sed inquantum ordinem habent ad salutem animarum. Res vero temporales quæ et inquantum nullum ordinem habent ad bonum spirituale, regimini Ecclesiæ non subjiciuntur. Optime Leo XIII : « Quidquid igitur est in rebus humanis quoque modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet, sive tale sit illud natura sua sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiæ[1] ». Denique

1. Ericycl. *Immortale Dei.*

notandum est : omnis societas perfecta ipsa ambitum obiecti proprii regiminis determinat.

Cum tamen circa res temporales specialis existât difficultas et quæstio, specialis quoque propositio proponatur.

IV. Potestas regiminis Ecclesiæ se extendit ad res temporales fidelium, sc. indirecte et ex consequenti[1]. — 1. *Status quæstionis.* Sub influxu protestantisme, Gallicani, Jansenistæ et sic dictus Liberalismus quam maxime potestatem regiminis Ecclesiæ circa res temporales et materiales negaverunt. Protestantismus quidem huiusmodi potestatem negat quia Ecclesiam tanquam societatem mere spiritualem considerat, absque .omni potestate divinitus collata : inde consequenter etiam potestatem circa res materiales neg^t eainque exclusive societati civili attribuit; Gallicani vero, Jansenistæ et sic dicti Liberales prætendunt defendere iura status, immo fidelium. Immo non levis confusio etiam inter theologos catholicos orta est. Confunditur enim quæstio de habitudine potestatis ecclesiasticæ ad potestatem civilem cum quæstione alia de potestate Ecclesiæ circa res temporales fidelium. Attamen istæ duæ quæstiones sunt omnino distinct®. Distinguendum est igitur inter duplicem quæstionem : prima quænam sit habitudo potestatis ecclesiastic® ad *potestatem* civilem, secunda de potestate Ecclesiæ circa res materiales *respectu fidelium.*

Slalus igitur quæstionis est, utrum Ecclesia ex potestate divinitus accepta possit disponere eum auctoritate etiam de rebus materialibus quantum ad ipsos fideles. Supponitur potestas *magisterii* Ecclesiæ etiam circa res temporales, inquantum Ecclesia interpretatur doctrinam revelatam circa usum rerum materialium ; supponitur simul potestas iurisdictionis sacramentalis, ut quod confessarius possit imponere eleemosynam in poenitentiam.

In concreto quæritur, utrum Ecclesia habeat ius et potestatem acquirendi et possidendi res temporales, utrum habeat divinitus ius et potestatem indicandi in foro ecclesiastico in quæstionibus fidelium de rebus materialibus,

1. Cf. F. Cavagnis, *Instit. iu. is pubi, eccl.,* l. III, c. vi.

utrum Ecclesia possit obligare fideles in conscientia ad tributa materialia, utrum cum auctoritate et potestate possit gubernare fideles in ordine ad usum rerum temporalium.

2. *Sensus thesis* est : Potestas regiminis, Ecclesiæ divinitus data, non limitatur ad res spirituales vel etiam mixtas, sed sese extendit etiam ad res temporales et materiales. Dicitur tamen ad illas se extendere *indirecte vel ex consequenti,* inquantum res materiales sub potestate regiminis cadunt tantum in ordine ad finem spiritualem et supernaturalem Ecclesiæ, i. e. in ordine ad sanctificationem et salutem æternam fidelium.

3. *Proh. Thesis.*

Proh. 1. Potestas regiminis Ecclesiæ eatenus se extendit quatenus finis ab Ecclesia consequendus id exigit. Atqui finis ab Ecclesia consequendus potestatem circa res materiales exigit. Ergo. *Minor proh.*

Prob. a) Ecclesia tanquam societas ex hominibus constituta finem suum consequi nequit absque auxilio rerum materialium : etenim nequidem sacramenta conficere potest absque rebus materialibus, similiter indiget ecclesiis aliisque ædificiis, indiget victu pro clero ac denique omni genere rerum materialium.

b) Fideles vitam æternam sanctitatemque consequuntur non tantum per actus circa res spirituales sed simul et quam maxime per actus circa res materiales ; unde necessarium est ut Ecclesia illos etiam in actibus circa res materiales cum auctoritate et potestate gubernare et regere valeat.

c) *Res materiales,* licet in se consideratæ ordinem ad sanctitatem et salutem christianam non dicant, tamen ut veniunt in usum fidelium, adeptionem sanctitatis et salutis promovere aut impedire possunt. Iamvero Ecclesiæ est gubernare fideles in omnibus quæ sanctitatem et salutern consequendam respiciunt.

Ergo potestas regiminis Ecclesiæ necessario ad res materiales se extendit, licet sub ratione sanctitatis et salutis assequendæ, i. p. indirecto vel ex consequenti.

Prob. 2. Christus Ecclesiæ contulit potestatem ligandi atque solvendi, docendi servare omnia mandata sua, non restringendo eam ad res mere spirituales sed e contra gene-

raliter et universaliter : unde sensus obvius verborum Christi se extendit etiam ad res materiales, præcipue cum Christus potestatem regendi *homines* contulerit. Similiter Apostoli potestatem exercent circa res temporales. In Ecclesia primitiva quæ erat in Ierusalem, bona quidem communia erant, dispositio vero ad Apostolos pertinebat *(Act.,* iv, 32-5, π ; vi, 1-6). *Paulus* dirigit collectas (*I Cor.,* xvi, 1-4 ; *II Cor.,* ix), præcipit sustentationem cleri *(Gal.,* vi, 6 : « communicet is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis »), dat ordinationes circa ornatum mulierum (*I Tim.,* ii, 9 s.). Ipse quidem victum sibi labore manuum parat « ne offendiculum Evangelic· Christi » det *(I Cor.,* ix, 12), tamen protestatur se habere potestatem accipiendi necessaria a fidelibus (l. c. ix, 4-6), immo expresse docet : « Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelic vivere » (I. c. ix, 14). Ita et in *Ecclesia veteri.* Didache exhibet præcepta de ieiuniis (vni, 1), de susceptione advenientium (xi, 3-6 ; xn), de primitiis prophetis præstandis (xiii). Denique ex historia ita certe constat, episcopos fuisse administratores bonorum Ecclesiæ et arbitros inter fideles de rebus temporalibus, ut adversarii Ecclesiæ inde deducant, episcopos primitus nil aliud quam oeconomos vel magistratus temporales Ecclesiæ fuisse.

Itaque extensio potestatis regiminis ad res temporales et materiales tum doctrinæ Domini, tum verbis et factis Apostolorum tum praxi antiquitatis consonat, immo tanquam veritas revelata consideranda est[1].

4. *Doctrina Ecclesiæ de potestate in res temporales.* — Ex dictis facile patet tum sensus tum veritas doctrinæ Ecclesiæ circa nostram quæstionem.

Concit. Vatic, definivit, Romanum Pontificem habere plenam et supremam *potestalem iurisdiclionis* in universam Ecclesiam, « non solum in rebus, quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis, quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent[2] ». Attribui-

1. Argumenta ex traditione exhibet D. Bouix, *Tract, de Papa,* t. III, p. 1-308 (simul evasiones Bossueti et aliorum refelluntur).
2. Denz., 1831.

tur igitur Romano Pontifici, adeoque Ecclesiæ, potestas *iurisdiclionis,* in *omnes fideles,* etiam circa ea quæ ad disciplinam ac regimen fidelium pertinent, i. e. non tantum potestas magisterii, sc. in legibus divinis interpretandis vel declarandis, sed simul *potestas regiminis* circa vitam fidelium : iamvero « disciplina et regimen Ecclesiæ » etiam res temporales comprehendit, inquantum sc. illæ cum vita, sanctitate et salute fidelium connexionem habent. Itaque potestas (indirecta) Ecclesiæ in res temporales respectu fidelium implicite saltem in 'definitione vaticana enuntiatur : quæ definitio de reliquo tantum declarationes antecedentes resumit.

Eodem enim sensu *Pius IX* declaraverat, potestatem Ecclesiæ etiam ad usum rerum temporalium se extendere[1]. Ex eadem ratione *Pius IX* damnaverat prop. 24. Syllabi quæ tenebat, Ecclesiam nullam potestatem temporalem habere directam vel indirectam[2]; similiter *Pius VI* damnaverat prop. 4. Synodi Pistoriensis, affirmantis, « abusum fore auctoritatis Ecclesiæ, transferendo illam ultra limites doctrinæ ac morum, et eam extendendo ad res exteriores[3] ».

Huc simul pertinet damnatio primi articuli cleri Gallicani de potestate Pontificis (sub Alex. VIII, a. 1690) qui asserit : « Beato Petro eiusque successoribus Christi vicariis *ipsique Ecclesiæ* rerum spiritualium et ad æternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium a Deo traditam potestatem... Reges ergo et principes in temporalibus nulli eedesiasticæ potestati Dei ordinationi subici[4].... »

Denique nil aliud *Bonifalius VIII* in Bulla « *Unam sanciam* » declaraverat[5]. Docet quidem in potestate Romani Pontificis « duos esse gladios, spiritualem videlicet et temporalem. » Id quod sic explicat : « Uterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis sc. gladius et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia excrcen-

1. Denz., 1697.
2. Denz., 1724.
3. Denz., 1504.
4. Denz., 1322.
5. Denz., 469.

dus. Ille sacerdotis, is manu regum et militum sed ad nutum et patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio et temporalem auctoritatem spirituali subici potestati. » Quibus verbis minime praetenditur, potestatem civilem esse ipsius Ecclesiæ, sed e contra distinctio potestatis spiritualis et temporalis supponitur ac agnoscitur (ut Bonifatius adhuc expresse protestatus est — cf. notam in Denz., ad n. 468) ; tantum edocetur, *usum* potestatis civilis per spiritualem Ecclesiæ auctoritatem dirigi, i. e. Ecclesiæ potestatem etiam ad judicandum et dirigendum usum potestatis civilis sese extendere. Id quod summus Pontifex ita exprimit : « Nam veritate testante, spiritualis potestas terrenam potestatem instituere[1] habet et indicare, si bona non fuerit... Ergo si deviat terrena potestas, indicabitur a potestate spirituatuali. » Deinde Bonifatius ad potestatem Petro a Christo Domino collatam appellat ac denique concludit : « Porro subesse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis » : quæ definitio proinde idem enuntiat ac definitio Conc. Vatie, quod sc. Romanus Pontifex in Ecclesia supremam habet potestatem jurisdictionis etiam circa ea quæ ad disciplinam ac regimen Ecclesiæ, i. e. fidelium, etiam regum, pertinent.

5. *Doclrina Card. Turrecremala 0. P.*[2] Liceat in complementum huius quæstionis resumere doctrinam eximiam Card. Turrecremala de potestate indirecta Ecclesiæ in res temporales. Ipse in opere præclaro « Summa Ecclesia », l. II, c. exui, exponit quomodo Ecclesia in res temporales potestatem non habeat, in c. cxiv, quomodo potestatem habeat.

Prius refert duas sententias oppositas. Prima tenet, potestatem Romani Pontificis nullo iure ad res temporales sese extendere, licet in temporalibus iurisdictionem habere

1. Verbum « instituere » non significat quod rex potestatem suam ali Ecclesia habeat.; — id Boni!'. VII[I] expresso declinavit, sed quod potestas civilis circa actus suos ab Ecclesia instruenda ac moderanda sit, eo sc. sensu quem verba sequentia explicant.

2. Cf. E. Dublanchy, *Turrecremala et le pouvoir du Pape dans les questions temporelles,* in *Revue Thomiste,* 1923. n. 21, p. 74-101.

possit in his quæ donatione fidelium aut principum permissione acquisita sunt Ecclesiæ ; alia sententia est asserentium quod Romanus Pontifex iure sui principatus sive vicariatus Christi habeat in toto orbe terrarum plenam jurisdictionem non solum in spiritualibus sed etiam in temporalibus.

In contrarium ipse duplicem propositionem statuit : 1. *Romanus Pontifex iure principatus sui habet iurisdictionem aliquam in temporalibus in toto orbe chrisliano* (conci. 1) ; 2. non tamen ita amplam sive plenariam aut extensam sicut secunda sententia relata dogmatizat, « *sed quantum necesse est pro bono spirituali conservando ipsius et aliorum sive quantum Ecclesiæ necessitas exigit aut debitum pastoralis officii in correctione peccatorum exposcit* » (conci. 2).

Partem negativam sic determinat (c. cxm). 1. « Papa non sic est dii endus habere iurisdictionem in temporalibus iure papatus ut sic dicendus sit totius orbis dominus » (1. prop.) ; 2. « Romanus Pontifex non dicitur sic principatum sive iuridictionem plenariam in temporalibus habere ut nomen regis aut imperatoris orbis possit sibi vere in temporablius usurpare » (secunda prop.); 3. non... ut omnis jurisdictio etiam in temporalibus ab eo pendeat (1. prop.) ; 4. non... ut de possessionibus *directe* se intromittere aut iudicare valeat regulariter ». (4. prop.) ; 5. « non... quod a quocumque iudice sæculari passim et regulariter ail eum possit appellari » (5. prop.) ; 6. « non ut reges in bonis temporalibus habent dominium nec ita ut sit *regulariter* horum dispensator » (6. prop.) ; 6. « non... ut ipse libere disponere possit ad arbitrium suum de bonis ecclesiasticorum » (6. prop.); 8. « non.... sicut in spiritualibus » (8. p.).

Propositionem positivam Turrecremata sic proponit : « Romanus Pontifex licet *non* habeat potestatem regulariter sive *directe* ita plenam in temporalibus sicut in spiritualibus : nihilominus etiam habet potestatem in temporalibus *ex consequenti* et hoc proprio iure, *quantum sc. necessarium est ad conservationem rerum spiritualium, ad directionem fidelium in salutem ælernam et ad correctionem peccatorum et conservandam pacem in populo chrisliano* » (c. cxiv).

Quæ propositio sic exponitur et probatur : *a)* Principatus Romani Pontificis est directivus et præceptivus potestati sæculari in administratione sui officii secundum exigentias finis ultimi (de qua re infra); *b)* « R. P. omnium fidelium generaliter est a Deo pastor constitutus... pascere autem gregem dominicum... subditis providendo, adversariis resistendo et errores corrigendo, non solum exigit in pastore spiritualem potestatem sed et temporalem... Concesso (enim) alicui aliquo officio aut regimine censentur etiam concessa sine quibus officium seu regimen recte expedire non potest » ; c) « omnis potestas se extendit ad cognoscendum de omnibus peccatis..., etiam circa quascumque actiones personales, etiam sæculares. Cum ergo peccata huiusmodi contingant circa actiones personales hominum et contractus eorum etiam in temporalibus, de omnibus his pertinet ad Ecclesiam indicare, maxime si attenderetur actio per modum iniuriæ vel cuiuscumque alterius peccati tam inter laicos quam inter clericos ». Notat tamen Turrecremata : « Multæ actiones sunt pure sæculares : quæ cum respectum non habeant ad finem ultimum, aut promovendo aut impediendo, ad principes sæculares tantum pertinent sicut de possessionibus, et non ad Ecclesiam »; *d)* « R. P. habet utrumque gladium... »; e) « R. P. iurisdictionem habet temporalem *ex consequenti adiunctam spirituali* eo quod occurrente casu evidenti necessitatis pro defensione fidei contra hæreticos aut contra invasionem paganorum iure principatus sui, quia caput est omnium fidelium et pater, potest exigere decimas... a singulis fidelibus... »

Turrecremata igitur merito doctrinam de potestate Ecclesiæ circa res temporales et respectu fidelium optime determinasse censetur : quam doctrinam posteriores, ut præsertim Bellarminus et Suarez, sub nomine potestatis indirectæ excoluerunt.

6. *De doctrina theologorum recenliorum circa potestatem Ecclesiæ in res temporales fidelium.* — Theologi recentiores, licet in admittenda potestate Ecclesiæ in res temporales fidelium conveniant, discrepant tamen in huius doctrinæ explicatione. Sententiæ (omissis nominibus) sunt sequentes :

1. Nemo, quantum scio, potestatem *directam* statuit, eo

sc. sensu quod Ecclesia directe et per se, ex concessione Domini, potestatem habeat sive dominii sive dispositionis circa temporalia fidelium.

2. Quidam tenent, potestatem Ecclesiæ in temporalia esse tantum *directiuam,* eo sc. sensu quod Ecclesia tantum per modum magisterii, docendo, declarando vel definiendo, statuere possit quid in usu rerum temporalium sit bonum vel malum, faciendum vel vitandum. Hæc sententia, ob tenorem variarum Ecclesiæ declarationum, vix tuto teneri poterit : æquivalet enim sententiæ alteri, quæ Ecclesiæ potestatem regiminis in temporalia fidelium denegat.

3. *Communior sententia* potestatem Ecclesiæ in temporalia tanquam *indirectam* declarat. At diversi diversimode explicant quomodo illa potestas sit indirecta. Alii hanc potestatem indirectam vocant quia in potestatem distinctam, licet connexam, exercetur ; alii eam indirectam vocant quia Ecclesiæ competit, non in quantum illæ res sunt temporales, sed in quantum ordinem habent ad aliquid spirituale ; alii potestatem vocant indirectam, quia potestas civilis sive privata sive maxime publica non ratione sui vel finis proprii sed ratione alterius, i. e. finis quem Ecclesia prosequitur, Ecclesiæ in usu bonorum temporalium subordinetur ; alii distingunt inter actus temporales et mere spirituales circa temporalia, ita sc. ut Ecclesia tantum per actus spirituales, ut e. g. excommunicando, atque hoc modo indirecte circa temporalia disponere possit, non vero per actus temporales, sc. ordinando directe rem vel actum temporalem, ut e. g. cessationem rei vel legis ; alii denique relinquentes nomen potestatis directa? vel indirectæ, *simpliciter* tenent, Ecclesiæ potestatem competere in temporalia *inquantum finis Ecclesiæ id exigit.*

Itaque duo saltem constant : primo sc. quod 'Ecclesia habet *veram* potestatem in temporalia, secundo vero quod hæc potestas est *alterius ordinis* quam potestas humana et civilis in temporalia, sc. potestas ratione finis supernaturalis consequendi. Quodsi talis potestas indirecta vocatur, terminus est explicandus nec de termino sed de re disputandum est[1].

1. Iam supra notavimus, quod plures auctores non sufficienter inter potestatem Ecclesiæ circa temporalia *fidelium* et inter potestatem indirectam Ecclesiæ in societatem civilem distinguunt.

Pro. V. Potestas regiminis Ecclesiæ se extendit ad actus, tum externos tum internos.

Quoad rem nulla est difficultas. Facile enim patet, actus tum externos tum maxime internos habere ordinem ad salutem adeoque sub regimine Ecclesiæ cadere. Unde Ecclesia damnavit tum Jansenistas qui potestatem circa disciplinam externam negaverunt, tum Mich. Molinos qui potestatem circa actus internos negaverat.

Agitatur quidem inter theologos et canonistas quæstio, utrum potestas regiminis ad *actus mere internos* se extendat. Occasio disputationis est doctrina S. Thomæ et aliorum quæ docet, quod homo non possit ferre leges circa actus mere internos quia de iis sufficienter indicare non potest, et quod potestas socialis sit circa actus sociales adeoque externos[1] : quæ ratio videtur esse sufficiens[2].

Quantum autem ad actus internos coniunctos cum actu externo, saltem si sunt per se coniuncti, nullum est dubium: ita Ecclesia iubet confessionem fidei, utique cum assensu interno, iubet actum ieiunii, utique voluntarium, ordinat recitationem horarum canonicarum eamque factam cum intentione et attentione, etc[3].

1. S. Thomas, I, II, q. xci, a. 4.

2 Cf præter Thomistas ; Suarez, *De. leg,* iv, 12 s. ; Logo, *De pœnit.,* disp XV, s. 6, n. 140 ss. ; Wernz, *Jus Decret.,* i, n. 98.

3. Theologi rccentiores disputant, utrum Ecclesia huiusmodi actus internos coniunctos cum externos possit imponere directe vel indirecte tantum. Quodsi illud *directe* præcipi dicitur quod « ad rem intrinsecus constituendam spectat », certe actus interni, coniuncti cum actibus externis (ut in exemplis mox adductis), directe ab Ecclesia præcipi possunt, etianj potestate· regiminis. Ita A. Straub, *De Ecclesia Christi,* u, n. 666 ss., quem sequitur Ae. Dohsch, *De Ecclesia Christi,* p. 180 ss. — De cætero de quæctione potestatis Ecclesiæ circa actus internos videsis auctores dogmaticos in tractatu de lege, e. *g.* Billuart, *De legibus,* diss. IV, a. 1 (ed. Paris, IV, p. 482 ss.), vel canonistas, g. Chelodi, *Jus de personis,* p. 102; Ph. Maroto, *Institutiones* Iuris canonici, i, p. 189 ss.

ARTICULUS QUADRAGESIMUS PRIMUS

De potestate magisterii Ecclesiæ

1. Prænotamina. — 1. *Magisterium Ecclesiæ definitur tanquam ius el officium Ecclesiæ veritatem revelatam docendi ea suprema auctoritate cui omnes corde, ore el opere parere teneantur* (Groot).

Explic. Ecclesia ut societas perfecta habet potestatem ordinandi leges quibus vita fidelium dirigitur, per potestatem magisterii attribuitur ipsi insuper potestas ordinandi qualem *doctrinam* fideles *credere* et quo sensu ipsam *intelligere* debeant. Per infallibilitatem Ecclesia in rebus fidei et morum errare non potest ; per magisterium ipsi *auctoritas* tribuitur ut doctrinam revelatam fidelibus *imponat.* Magisterium igitur potestatem Ecclesiæ ad fidem fidelium determinandam extendit et super infallibilitatem auctoritatem docendi addit. Huiusmodi potestas vel auctoritas ex parte Ecclesiæ dicit tum ius tum officium, ex parte vero fidelium obligationem submissionis internæ et externæ imponit, simul tamen beneficium certae regulæ fidei.

2. *Magisterium* Ecclesiæ distinguitur duplex : *sollemne* et *ordinarium.* Magisterium *sollemne* exercetur cum Romanus Pontifex vel Concilium generale *speciali et expressa sententia* de aliqua doctrina iudicium fert. Tale magisterium non ex eo sollemne dicitur quod quædam sollemnitas exterior adhibetur, sed quia *ipsum iudicium* speciale et ipsa sententia expressa quandam sollemnitatem induit. Magisterium *ordinarium* vel universale exercetur cum Ecclesia doctrinam revelatam fidelibus *prædical,* in scholis *edocet,* per episcopos *publicat,* per SS. Patres, Doctorcs Ecclesiæ et theologos testificatur atque explicat[1].

3. *Munus* vel officium magisterii Ecclesiæ secundum

1. Cf. Pius IX ; Denz., 1683.

Cone. Val ic. esl duplex : etenim « fidei doctrina quam Deus revelavit... tanquam divinum depositum Christi sponsae tradita esi, *fideliler custodienda* et *infallibililer declaranda* » vel ut « sancte custodienda et fideliter exponenda *ví.*

Theologi communiter *quadruplex munus* distinguunt, sc.u) munus *leslis,* ut sc. Ecclesia doctrinam revelatam infidelibus et fidelibus *prædicet; b)* Munus *custodis,* ut sc. Ecclesia doctrinam revelatam sinceram et puram conservet atque contra errores defendat, eos damnando ; c) munus *interpretis,* ut sc. Ecclesia doctrinam revelatam declaret, exponat, sensum determinet atque evolvat ; d) munus *iudicis,* ut sc Ecclesia quæstiones fidei exortas diudicet atque definiat[1].

Obiectum igitur magisterii ecclesiastici sunt omnia revelata atque cum eis connexa inquantum sunt connexa ; depositum autem fidei est obiectum ut custodiendum, explicandum vel exponendum et applicandum.

II. Doctrina catholica. — Conc. Vatie, declarat : » Ut officio veram fidem amplectendi in eaque constanter perseverandi satisfacere possimus, Deus per Filium suum unigenitum *Ecclesiam* instituit suæque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tanquam *custos et magistra verbi revelati* ab omnibus posset agnosci[3].

Magisterium igitur Ecclesiæ proprie a Christo institutum asseritur et quidem ut ratio principalis institutionis Ecclesiæ ipsius et in finem fidei veræ conservandæ, sine qua sc. nullus vitam æternam assequetur (I. c.). Idem docet Conc. in definitione magisterii supremi et infallibilis Romani Pontificis (Sess. IV, c. iv).

Deinde potestas magisterii iam in definitione infallibilitatis includitur. Ecclesia enim vel romanus Pontifex declaratur infallibilis in « *definienda* doctrina de fide vel moribus », i. c. determinanda finaliter doctrina quæ omnibus fidelibus tanquam divinitus revelata credenda proponitur, adeoque per potestatem magisterii.

1. Sess. Ill, c. iv ; Denz., 18Ü0 cl Sess. IV, c. iv ; Denz., 1836.
2. Cf. Denz., 1677 ; *Conc. Vatic.,* Sess. III, c. iv ; Sess. IV, c. iv.
3. Sess. III, c. ni ; Denz., 1793.

Denique tanquam *obligatio* ex magisterio Ecclesiæ consequens proponitur : « *Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponunturl.* » Id quod adhuc determinatur per definitionem magisterii infallibilis Romani Pontificis, qui sc. infallibilis definitur, cum « *omnium Christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua aposlolica auctoritate doctrinam* de fide vel moribus *ab universa Ecclesia tenendam definii* ». In qua re adhuc nota quod Romanus pontifex eadem infallibilitate pollere asseritur ac Ecclesia ipsa, adeoque eadem potestate magisterii. Magisterium igitur Ecclesiæ est dogma expresse definitum[1].

III. Sententiæ contrariée. — *Veteres Protestantes* concedunt, Ecclesiam habere ius et officium proponendi doctrinam revelat am ; attamen tenent huiusmodi ius pastoribus competere ex commissione communitatis vel vices eius gerentis, nullam tamen importare obligationem credendi » vel tenendi doctrinam propositam, salva sc. manente integra libertate credendi secundum indicium proprium.

Protestantes *liberales* statuunt, fidem exclusive ex inspiratione vel instinctu vel iudicio proprio procedere debere.

Modernistæ docent, evolutionem fidei sequi evolutionem sensus religiosi, scientiæ et conscientiæ socialis. Itaque Modernistæ non tantum Ecclesiæ potestatem magisterii denegant, sed insuper e contra Ecclesiam conscientiæ religiosæ communi subiciunt[3].

1. Sess. III, c. in ; Denz., 1792.

2. In *Juramento contra errores Modernistarum* tertia propositio sonat : « *Firma* paritjr *fide credo* Ecclesiam, *verbi revelati custodem et magistram,* per ipsum... Christum... institutam. »

3. Encyclica *Pascendi errorem modernislicum sic exponit* : * Do magisterio Ecclesiæ sic commentantur. Consociatio religiosa in unum vere coalescere nequaquam potest nisi una sit consociatorum conscientia unaque, qua utantur, formula. Utraque autem hæc unitas mentem quandam quasi communem expostulat cuius sil reperire ac determinare formulam quæ communi conscientiæ rectius respondeat ; cui quidem menti satis auctoritatis inesse oportet ad formulam quam statuerit communitati imponendam.

Ralionalislæ denique omnia indicio rationis, sive singularis sive collectivae, mensuranda et determinanda esse declarant.

Anglicani (unionistes) saltem Ecclesiae catholicæ ius magisterii denegant atque ad quandam Ecclesiam futuram appellant.

Itaque omnes adversarii denegant Ecclesiæ (praeter infallibilitatem) ius et auctoritatem, saltem divinitus datam, proponendi doctrinam fidei cum obligatione fidelium eam amplectendi : in quo quam maxime spiritus falsus independent!» nostri tempons apparet.

In qua re certe *præiudicia* quædam supponuntur. Primum quidem est error iam a Concilio Vaticano damnatus, sc. « rationem humanam ita independentem esse ut fides ei a Deo imperari non possit[1] ». Aliud autem præiudicium ex falso intellectu doctrinæ catholicæ oritur. Supponunt enim adversarii, Ecclesiam sibi magisterium vindicare hoc sensu ut Ecclesia vel ex auctoritate humana — historica fidem determinare valeat vel quamlibet doctrinam, ad lubitum, etiam falsam et Evangelio contrariam, tanquam doctrinam revelatam determinare possit, vel pro definitionibus subiectionem tantum iuridicam expostulet : quæ omnia alienissima sunt a mente et doctrina catholica.

IV. Thesis : Ecclesia potestate magisterii pollet.

Probatio huius thesis post ea quæ de infallibilitate Ecclesiæ diximus, brevis erit.

Prob. 1. *Ex parie Christi.* Christus Apostolis a) officium

In hac porro coniunctione ac veluti fusione tum mentis formulam eligentis tum potestatis eandem perscribentis, magisterii ecclesiastici notionem modernistæ collocant. Cum igitur magisterium ex conscientiis singularibus tandem aliquando nascatur, et publicum officium in earundem conscientiarum commodum mandatum habeat : consequitur necessario, illud ab eisdem conscientiis pendere ac proinde ad populares formas esse inflectendum. Quapropter singularium hominum conscientias prohibere ...potestatis ad utilitatem permissæ non usus est, sed abusus... Interea temporis catholico sic agendum est ut *auctoritatis quidem obseroantissimum se publice profiteatur, suo tamen obsequi inqenio non permittat.* » Denz., 2093.

1. Denz., 1810.

et ius committit docendi omnes fideles, *b)* in potestate sua, c) ita ut omnes obligentur acceptare doctrinam eorum. Mt., xxviii, 18 ss. Christus ante ascensionem in ccelum primo alludit ad potestatem suam : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. » Ex hac potestate Apostolis dat ius, officium et potestatem : « Euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis. » Apostoli igitur ex mandato et in nomine et in potestate Christi omnes gentes docebunt « usque ad consummationem sæculi », i. e. sive personaliter sive in suis successoribus. Id quod iam antea Apostolis intimaverat, dicendo : « Sicut misit me Pater, ita mitto vos » (Joa., xx, 21). Obligatio audiendi Apostolos vel Ecclesiam, ex ipsa Christi auctoritate, Apostolis tradita, sequitur; specialiter tamen adhuc inculcatur per verba : « Qui vos audit, mc audit ; et qui vos spernit, me spernit » (Lc., x, 16) et« Qui non crediderit, condemnabitur» (Mc., xvi, 16).

Prob. 2. *Ex doctrina Apostolorum.* Apostoli *a)* mandatum Domini exequuntur : « Illi autem profecti prædieaverunt ubique » (Mc., xvi, 20) ; *b)* non tantum Evangelium paganis et iudæis adnuntiant, sed et iam credentibus fidelibus *tanquam Apostoli lesu Christi* credenda determinaverunt — ut in omnibus epistulis Apostolorum, i. e. magisterium exercuerunt; c) fidem semel in Ecclesia acceptam tanquam obligatoriam pronuntiant : « Licet nos aut angelus de coelo evangelizetvobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit » *(Gal.,* i, 8, cf. .Tit., iii, 10, 11); denique d) cooperatoribus suis officium, ius et potestatem inculcant docendi : ita Apostolus Paulus Timotheum Ephesi reliquit, ut denuntiaret « quibusdam, ne aliter docerent » *(/ Tim.,* i, 3 s.), ipsi indicat, quæ præcipere et docere debeat (l. c. iv, 11), commonere et testificari *(II Tim.,* n, 14) ; similiter Tito præcipit : « Hæc loquere et exhortare et argue cum omni imperio » *(Tit.,* n, 15 ; cf. iv, 2). Denique utraque epistola ad Tim. et ep. ad Tit. quid est aliud nisi instructio de magisterio exercendo ?

Prob. 3. *Vetus Ecclesia* magisterium maxime *factis* testificatur. Etenim ecclesia docens doctrinam fidei cum auctoritate et ex potestate fidelibus proponit, hæreses damnat et de quæstionibus controversis iudicat ; Ecclesia vero

credens doctrinam Ecclesiæ docentis sequitur, et quidem tamquam ex obligatione, sc. divina. Recolantur testimonia veterum de infallibilitate Ecclesiæ (supra a. 32). Protestantes quidem existentiam magisterii divinitus instituti in Ecclesia antiqua negare conantur : at omnia facta et documenta historica contraria sunt. Certissime enim constat, episcopos, incipiendo a tempore Apostolorum, magisterium in Ecclesia exercuisse, ut tota historia ecclesiastica testificatur. Similiter potestas magisterii ab omni initio tanquam divinitus data admittebatur. *Didache* de episcopis et diaconis præcipit : « Ne igitur contemnatis eos ; ipsi enim sunt honorati inter vos una cum prophetis et doctoribus. » Et iam antea : « vobis ministrant et ipsi ministerium prophetarum et doctorum » (c. xv). Sicut igitur prophetæ et doctores honorati sunt propter charisma proindeque sicut Dominus (c. iv), ita et episcopi et diaconi, etiamsi non sint charismatici, sc. propter potestatem divinam : « Fili mi, qui loquitur tibi, verbum Dei... timebis eum sicut Dominum ; unde enim dominicum (κυρώτη') loquitur, ibi Dominus est » (c. iv). *Clemens* Romanus magisterium expresse ad missionem divinam reducit : Christus missus a Deo et apostoli a Christo, episcopi instituti ab Apostolis et sic deinceps1. *Ignatius* Antioch, totus est in potestate episcoporum inculcanda. Pro tempore sequenti sententia antiquitatis vel protestanticis dubia non est.

Prob. 4. Magisterium Ecclesiæ necessario sequitur *ex natura Ecclesiae,* prout sc. est a Christo instituta. Nam secundum voluntatem Christi Ecclesia erit *una* in fide et *catholica,* erit *sancta* et *apostolica* ; atqui hæc omnia servari nequeunt absque potestate magisterii. Unitas enim fidei servari nequit absque principio efficaci unitatis quod aliud esse nequit quam potestas magisterii ; similiter vis sanctifica Ecclesiæ præsupponit magisterium quod sc. doctrinam sanctam tum fideliter servare poterit, præcipue contra illecebras passionum, mundi et diaboli, tum efficaciter imponere fidelibus : docere *servare* omnia quæ Christus docuerat ; ex apostolicitate Ecclesiæ sequitur continuatio magisterii apostolici in Ecclesia. Deinde magi-

1. *Ep. ad Cor.,* c. x l ii, x l iv .

slerium Ecclesiæ immediate in *conslitulione hierarchica* Ecclesiæ includitur. Denique Ecclesia ut *societas perfecta* potestate magisterii carere nequit. Hoc sensu Cone. Vatie, docet, Ecclesiam tanquam *custodem ac magistram verbi revelati* institutam fuisse.

V. Obiectiones. — *Ob.* 1. Salvator ait : « Unus est magister vester » (Mt ., x x iii, 8).

Besp. Unus est magister principalis qui auctoritate propria nos edocet, sc. Deus ; plurcs autem possunt esse magistri secundarii, ex potestate a Deo commissa adeoque ministerial! : et ita Ecclesia habet magisterium[1].

Ob. 2. Paulus ad Thessal. scribens, eorum indicio reliquit quæ tenerent : « Omnia probate, quod bonum est tenete » (I, v, 21), et loannes negat necessitatem alicuius magisterii dicens : « Non necessc habetis ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio docet vos » (*/ lo.,* n, 27).

Besp. Paulus loquitur de *prophetiis ;* dicit enim : « Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate... ». Unde verbum adductum non est ad rem ; quantum autem ad doctrinam Ecclesiæ Apostolus aliter loquitur, ut in argumento II. vidimus. — loannes similiter non de doctrina Ecclesiæ, sed de doctrina Antichristi loquitur (v, 18 ss.) et contra hos qui « seducunt » (v. 26). Proinde fideles admonet quod non necessc habeant ut ab hæreticis edoceantur, cum ipsi Spiritum S. habeant qui illos edocet. loannes igitur fideles admonet ut firmiter *in doctrina ab Ecclesia accepta perseverent,* quippe quæ est a Spiritu S., spiritu veritatis : atque sic proprie magisterium Ecclesiæ indicat.

Ob. 3. Fides est donum gratiæ divinæ qua « aspirante et adiuvante » (Cone. Vatic.) revelatis assentimus. lamvero tum revelatio tum gratia est a solo Deo. Ergo magisterium Ecclesiæ est supervacaneum, immo fidei contrarium.

Besp. Bevelalio quidem a solo Deo est, *propositio* vero revelatorum potest esse per alios, adeoque per Ecclesiam.

1. Optime S. Thomas, *Comment, in Evang. Maith.,* in h. l. : « Ille proprie dicitur magister qui doctrinam habet a sc, non ille qui traditas ab alio aliis dispergit : et sic solum unus est magister, sc. Deus qui proprie doctrinam habet ; sed ministerio multi sunt magistri. »

Similiter gratia fidei quidem a Deo est, qua sc. aspirante et adiuvante revelatis *assenlimus ; ea* autem *quibus* tanquam revelatis assentimus, ab Ecclesia determinari possunt. Deus igitur est causa fidei per revelationem, exhibendo materiam fidei, et per gratiam, « quæ movet hominem interius ad assentiendum his quæ sunt fidei » ; Ecclesia vero est causa fidei ut « proponens exterius ea quæ sunt fidei[1] ».

Nihil autem obstat quin fides sit a Deo tanquam causa interius movente et ab Ecclesia tanquam causa exterius proponente, sicut nulla est oppositio inter revelationem ex parte Dei et propositionem revelatorum ex parte Ecclesiæ, immo hæc duo intime sunt coniuncta. Id quod S. Thomas optime sic explicat : « Formale obiectum fidei est veritas prima (i. e. auctoritas Dei revelantis), secundum quod manifestatur in Scripturis sacris et doctrina Ecclesiæ quæ procedit ex veritate prima[2] »

Itaque obiectum formale fidei vel ratio assensus fidei propria est ipsa scientia in Deo existens, Deus ut est veritas ipsa : scientia autem divina nobis per revelationem manifestatur, quæ revelatio in S. Scriptura continetur et similiter in doctrina Ecclesiæ. Itaque tum revelatio, tum S. Scriptura tum doctrina Ecclesiæ ex Deo procedunt : revelatio ut manifestatio Dei, S. Scriptura ut verbum Dei inspiratum, doctrina Ecclesiæ ut illuminatæ per assistentiam Dei. Inde mysteria Dei quodam ordine ad nos perveniunt, sc. ut revelata a Deo, consignata in S. Scriptura et proposita per magisterium Ecclesiæ. 4

Ob. 4. Ecclesia nequit esse simul obiectum fidei et regula fidei. Atque supposito magisterio Ecclesia esset simul obiectum et regula fidei. Ergo magisterium ipsi competere nenequit.

Hesp. Ecclesia nequit esse simul obiectum et regula fidei sub eodem respectu, conc., sub diverso respectu, ng.

Explic. Solutio huius tritæ obiectionis facile ex modo dictis apparet. Certe constat, magisterium Ecclesiæ esse obiectum fidei quia de dogmate proprie dicto agitur : inde magisterium Ecclesiæ simul est obiectum et regula

1. S. Thomas, II, II, q. vi, a. 1, corp. ‹54 ad 2 ; cf. *De Veril.,* q. xviii, a. 3.
2. II, II, q. V, a. 3.

fidei. At sub diverso repectu. Ecclesia enim eiusque magisterium est obiectum fidei, inquantum propter auctoritatem Dei revelantis *creditur ;* est autem regula fidei inquantum Ecclesia in nomine et auctoritate Dei veritates revelatas credendas nobis *proponit.*

lamvero nihil obstat quin Ecclesia sub uno respectu sit obiectum fidei, sub alio vero respectu sit regula fidei : repugnaret autem quod sub uno eodemque respectu sit simul obiectum et regula fidei. Ita e. g. color simul est obiectum et medium visionis, obiectum ut id quod videtur, medium ut quo videtur ; similiter veritas nostræ cognitionis simul est obiectum cognitionis et adæquatip inter cognitionem nostram et rem cognitam.

Itaque Ecclesiæ magisterium quidem *creditur,* i. e. propter auctoritatem Dei revelantis ; idem autem magisterium, ut creditum, per suas definitiones *determinat* nobis quænam veritates sint revclatæ adeoque credendæ, immo etiam hanc veritatem quod Ecclesia potestate magisterii polleat, nobis proponit, sicut solem in luce sibi propria videmus1.

Ob. 5. S. Thomas docet : « Explicatio credendorum fit per revelationem divinam » (II, II, q. n, a. 6). Ergo sufficit revelatio divina.

Hesp. S. Thomas ibi loquitur *de determinatione prioris revelationis per revelationes subséquentes :* sicut e. g. prius revelatum fuit quod Deus genus humanum redimeret, postmodum autem revelatum fuit quod redemptio fieret per Deum incarnatum qui esset ex genere David, natus ex Maria V. etc. (cf. q. i, a. 7). Per hoc autem propositio revelatorum per Ecclesiam non excluditur. Immo S. Doctor continuat : « Revelatio divina ordine quodam ad inferiores pervenit per superiores... ; et ideo pari ratione explicatio fidei oportet quod perveniat ad inferiores homines per Maiores ». Unde sicut in V. T. populus fidem vel credenda a prophetis et patriarchis acceperat, ita in N. T. credenda fidelibus per Ecclesiam proponuntur.

De Ecclesia ut regula fidei infra, cap. x, erit quæstio.

1. Quantum ad quæstionem theologicam videsis Garrigou-Lagrange, *De revelatione.,* I, sect. IV, art. 3.

CAPUT SEXTUM

De Primatu Romani Pontificis

Potestas regiminis in quacunque societate rite ordinata quam maxime determinatur : inde quæstiones de forma regiminis societatis civilis. Similiter Christus Dominus, instituendo Ecclesiam ut veram societatem eamque instruendo potestate sacra, necessario constitutionem Ecclesiæ in particulari et quasi in concreto determinare debuit. Inde maxime oritur quæstio de capite Ecclesiæ atque de eius prærogativis. In Ecclesia catholica caput est Romanus Pontifex. Quæritur igitur, utrum et inquantum doctrina catholica de auctoritate Romani Pontificis testimoniis S. Scripturæ atque traditionis fulciatur. Denique in hoc capite natura Ecclesiæ, inquantum est societas, magis in concreto determinabitur.

Cum Romanus Pontifex tantum ut successor Petri auctoritatem habere creditur, sequentes erunt articuli.

1° De *primatu Petri* (art. 42) ;

2° Primatus Petri *probatur* ex Mτ., xvi, 15-19 (art. 43) ;

3° Primatus Petri probatur ex Lc. et Joa. (art. 44) ;

4° Primatus probatur ex testimoniis veterum (a. 45) ;

5° De *Sede Romana Pelri* (art. 46) ;

6° De *Romano Pontifice* ut successore Petri in Primatu (art. 47) ;

7° De *attributis primatus* (art. 48) ;

8° De *infallibilitate* Romani Pontificis (art. 49, 50).

ARTICULUS QUADRAGESIMUS SECUNDUS

De primatu S. Petri

I. Doctrina catholica. — Concilium Vatic, primatum S. Petri triplici modo tanquam dogma definivit : 1) definiendo Petrum ex divina institutione primatum iurisdictionis immediate a Christo accepisse ; 2) definiendo, s. Petrum ex ipsius Christi institutione et iure divino in primatu super universam Ecclesiam habere perpetuos successores ; 3) definiendo, Romanum Pontificem esse beati Petri in eodem primatu successorem.

Quantum ad institutionem primatus Cone, docet ac definit : « Docemus atque declaramus, iuxta Evangelii testimonia primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum .enim Simonem... sollemnibus his verbis allocutus est Dominus : Beatus es Simon Bar Jona... (Mτ., χνι, 16 ss.). Atque uni Simoni Petro contulit Jesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris iurisdictionem in totum suum ovile dicens : Pasce agnos meos... Pasce oves meas (Ioa., xxi, 15 ss.) ». « Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiæ militantis visibile caput ; vel eundem honoris tantum, non autem veræ propriæque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro lesu Christo directe et immediate accepisse, a. s.[1] ». Inde in lureiurando contra errores Modernistarum tertia prop, sonat : « Firma pariter fide credo Ecclesiam... per ipsum verum atque historicum Christum... proxime ac directo institutam eandemque super Petrum, apostolicæ hierarchiæ principem eiusque in ævum successores ædificatam. »

1. Sess. IV, c. i.

IL De sensu doctrinæ catholicæ. — Ad statum quæstionis bene determinandum, exponendum esL quo sensu secundum dogma catholicum S. Petro (et Romano Pontifici) primatus iurisdictionis attribuatur.

1. *Primatus iurisdictionis.* — Primatus, generatim spectatus, *præeminenliam* importat. Huiusmodi præeminentia vel primatus potest esse triplex : primatus *honoris* = præeminentia honoris, primatus *directionis vel inspectionis* — præeminentia vi oftïcii a communitate commissi, ad servandum ordinem vel ad societatem dirigendam, ut e. g. in præsidentibus senatus vel parlamenti ; primatus *iurisdictionis* = potestas regendi et gubernandi alios tanquam subditos. Primatus beati Petri igitur definitur : *præeminentia suprema tum ratione honoris tum ratione potestatis iurisdictionis in universam Ecclesiam.*

2. *Primatus Petri relate ad Christum, caput Ecclesiæ.* — Secundum multorum adversariorum sententiam primatus Petri excluderet supremum Christi regimen in Ecclesiam. Attamen potestas Petri ut capitis Ecclesiæ non excludit potestatem Christi ut capitis Ecclesiæ, sed potestatem Christi supponit eique subordinate est.

Difïerentiæ inter Christum et Petrum sunt sequentes :

a) Ex parte *potestatis :* Christus est caput Ecclesiæ *in virtule propria,* Petrus vero eiusque successores in virtute vel potestate *a Christo accepta :* unde Petrus eiusque successores non sunt successores Christi sed vicarii eius.

fe) Ex parte *influxus :* Christus est caput Ecclesiæ ut redemptor et mediator omnium hominum, ut *interius graliarn influens,* sive immediate sive mediantibus sacramentis — Petrus eiusque sucessores sunt caput quantum *ad externam gubernationem fidelium.*

c) Ex parte membrorum : Christus est caput omnium hominum omnium temporum, Petrus vero vel successor ipsius est caput tantum illorum hominum qui tempore sui pontificatus ut membra Ecclesiæ in terra degunt : ita Christus est caput Ecclesiæ tum triumphantis tum patientis tum militantis, et caput omnium hominum omnis temporis, ab initio Ecclesiæ usque ad finem mundi ; Petrus vero vel Romanus Pontifex est caput tantum Eccle-

siæ militantis et tantum eorum qui tempore sui pontificatus ad Ecclesiam pertinent[1].

d) Christus est *capul invisibile,* Petrus vero et Romanus Pontifex *caput visibile,* i. e. Christus Ecclesiam regit invisibiliter, Romanus autem Pontifex visibiliter.

3. *De distinctione inter primatum et apostolatum* Petri. — Petrus quidem princeps omnium Apostolorum prædicatur, non vero ratione apostolatus sed exclusive ratione primatus : ratione enim apostolatus Petrus cæteris apostolis par erat.

Petrus quidem utrumque, tum apostolatum tum primatum immediate a Christo accepit et utrumque tanquam privilegium speciale. Tamen apostolatus fuit privilegium et munus extraordinarium, personale et quod cessaret cum morte Petri, primatus vero erat munus ordinarium, ad constitutionem Ecclesiæ pertinens adeoquc post mortem Christi usque ad finem mundi perdurans. Ita Petrus fuit apostolus tanquam immediate a Christo ad evangelium prædicandum missus, et quidem cum potestate iurisdictionis universalis, adiunctis pluribus charismatibus, ut infallibilitate in docendo, virtute miraculorum, dono linguarum etc., atque insuper addita confirmatione in gratia. Primatum vero Petrus accepit inquantum Christus ipsum in caput totius Ecclesiæ instituit, constituendo sc. in Ecclesia munus pastoris et ducis supremi, quod tanquam ad Ecclesiæ constitutionem pertinens usque ad finem mundi perduraret. Itaque Petrus ut Apostolus quidem cæteris Apostolis par erat, utpote eodem modo missus, tanquam

1. Quomodo Christus sit caput omnium, optime S. Thomas his verbis explicat (III, q. vni, a. 3) : « Christus est caput omnium hominum, sed secundum diversos gradus : primo enim at principaliter est caput eorum qui actu uniuntur ei per gloriam ; sacundo eorum qui actu uniuntur ei per caritatem ; tertio eorum qui actu uniuntur ei per fidem ; quarto vero eorum qui ei uniuntur solum in potentia nondum reducta ad actum, quæ tamen est ad actum reducenda secundum divinam prædestinationem ; quinio vero eorum qui in potentia sunt ei uniti, quæ nunquam reducetur ad actum ; sicut sunt homines in hoc mundo viventes qui non sunt prædeslinati : qui tamen ex hoc sæculo recedentes totaliter desinunt esse membra Christi, quia iam nec sunt in potentia ut Christo uniantur. »

primatum vero habens erat caput aliorum apostolorum atque maiore potestate instructus[1].

III. Sententiæ contrariæ. — In veteri Ecclesia nulla fuit disputatio de hoc quod b. Petrus a Christo in summum pastorem ac in fundamentum Ecclesiæ fuisset institutus, licet vis et ratio huius primatus successive tantum melius pateret, non quidem sine magnis disceptationibus. Primo *Photiani* simpliciter institutionem primatus negaverunt.

In medio ævo *Marsilius Patavinus* defendebat thesirn, « quod b. Petrus Apostolus non plus auctoritatis habuit quam alii Apostoli habuerunt nec aliorum Apostolorum fuit caput. Item quod Christus nullum caput dimisit Ecclesiæ nec aliquem vicarium suum fecit[2]. » Idque statuit ut imperatorem tanquam dominum unicum mundi demonstraret.

Præcedentibus Wiclefïïtis[3], *Has* docebat : « Petrus non est nec fuit caput Ecclesiæ sanctæ catholicæ[4] ».

Maxime *Protestantes* simpliciter ac radicaliter divinam institutionem primatus in Ecclesia negant ; priores quidam in b. Petro aliquam speciem primatus admiserunt, tamen mere personalem ac cum morte Petri cessantem, — ita maxime Anglicani — posteriores vero quasi omnes etiam in b. Petro omnem umbram primatus negant.

Martinus de Barcos et Antonius *Arnold,* Jansenista, defendebant : « S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiæ principes..., duo Ecclesiæ summi pastores ac præsides qui unicum caput constituunt[5] ».

Gallicani, Bicheriani, Febroniani et Josephini primatum Petri quidem admittebant, sed erraverunt de eius natura, reducentes sc. eum ad primatum honoris et directionis (de qua re infra).

Nostris temporibus præter sic dictos *Velero-catholicos* præsertim *Modernistæ* divinam institutionem primatus

1. De natura apostolatus videsis A. Straub, *De Ecclesia Christi,* thesis VII, I, p. 136 ss.
2. Denz., 496.
3. Denz., 617.
4. Denz., 633.
5. Denz., 1091.

negant, dicentes primatum (Romani Pontificis) esse effectum evolutionis historicae, per imitationem imperii Romanorum[1].

III. Itaque probanda nobis est thesis : S. Petrus Apostolus isque solus ab ipso Christo Domino primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam accepit eumque perpetuo duraturum.

IV. Summa argumentorum. — Propter rei maximum momentum et ob tergiversationes adversariorum argumenta pro institutione divina primatus paulum fusius exponemus, et quidem in distinctis articulis. Unde primo summam vel conspectum generalem argumentorum proponimus.

Primatus Petri probatur :

1. Ex *S. Scriptura,* et quidem :

a) Ex textu Mt., xvi, 15-19 (art. 42) ;

b) Ex textu Joa., xxi, 15-17 ; Lc., xxn, 31 s., et ex factis concludentibus quæ in S. Scriptura narrantur (art. 43).

2. Ex testimoniis veterum (art. 44).

1. Decret. *Lamentabili,* prop. 55 : « Simon Petrus ne suspicatus quidem unquam est, sibi a Christo demandatum esse primatum in Ecclesia » ; prop. 56 : « Ecclesia Romana non ex divinæ providentiæ ordinatione, sed ex mere politicis conditionibus caput omnium ecclesiarum effecta est. » Denz., 2055 s. ; Loisy, *Évangile et Église,* IV, l'Eglise.

ARTICULUS QUADRAGESIMUS TERTIUS

Primatus Petii ex Mat., xvi, 15-19 probatur

I. Textus. — « Dicit illis (discipulis) lesus : Vos autem, quem me esse dicitis ? Respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus, Filius Dei vivi. 17. Respondens autem lesus, dixit ei : Beatus es Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. 18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non praevalebunt adversus eam. 19. Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis ». His verbis Christus Petro primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam in sevum duraturum *promittit*[1].

II. Explicatio textus[2]. — 1. Christus Dominus discipulos in partes Cæsaræ Philippi duxerat et ibi eos interrogabat : quem dicunt homines fdium hominis ?... quem vos me esse dicitis ? Christus igitur confessionem fidei expostulat. Quid alii discipuli responderint vel an responsum dederint, non narratur, sed tantum quid Petrus responderit : pro parte enim sequenti sola *confessio Petri* momentum habet. Petrus confitetur divinitatem Christi atque eius confessio a Christo tanquam donum Dei declaratur, tanquam veritas a Deo Patre accepta atque revelata. Nunc Christus ex sua parte (« Et ego dico tibi ») Petro revelationem facit ac donum prommittit[3], sc. quod super ipsum Ecclesia Christi ædificabitur, tanquam super petram, et quod ipse claves regni coelorum accipiet.

1. Promissio non ut promissio quædam *nuda* intelligenda est, sed ut firma ac absoluta. Cf. Straub, *De Ecclesia,* I, p. 102.

2. Cf. M.-J. Lagrange, O. P., *Évangile selon saint Matthieu,* p. 319.

3. « Sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita et ego tibi notam facto excellentiam tuam. » Leo M., *Serm.* IV, 2.

2. Certe Christus *aliquid novi et magni annuntiat,* ut ex solemnitate circumstantiarum (confessio in divinitatem Christi) et ex formula solemni (« Et ego dico tibi ») apparet. Similiter patet quod verba Christi *ad Petrum* diriguntur eumque solum ; nam vocatur nomine proprio : Simon Bar Jona, *Petri* confessio tanquam a Patre divinitus revelata laudatur, ipsi datur novum nomen Petri vel kepha, ipsi claves regni coelorum dantur adeoque potestas ligandi atque solvendi. De Petro igitur deque eo solo valent quæ sequuntur. Quid autem de Petro futurum annuntiatur ?

3. Simon Bar Jona a Christo *petra* declaratur. Secundum omnium consensum Christus, lingua aramaica utens, Simonem kepha, i. e. petram appellavit — id quod et sequentibus verbis consonat : « Et super hanc petram... Versio græca reddit :« Petros, quia secundum spiritum linguæ græcæ « petra » non est nomen personæ; unde versio græca, sensum dictionis retinens, reddit : Petros. Atque versio latina versionem græcam secuta est[1].

« Petra » vero est figura, græcis et nobis quidem insolita, hebræis vero notissima. In V. enim Testamento petra est figura soliditatis et firmitatis, sicut et Christus figura petræ aliis occasionibus in eodem sensu utitur (« Qui ædificavit domum suam super petram » : (Mτ., vn,24 s. ; Lc., vi, 48) ; immo petra erat figura firmitatis divinitus efîectæ, immo ipsius Dei, ut patet de petra in deserto e qua Moyses aquam eduxit *(Exod.,* xvn, 6 ss.). Simon igitur iam per verbum « petræ » tanquam res quædam divinitus firmissima atque fundamentum solidum alicuius rei declaratur. Itaque Christus primo quidem generaliter atque adhuc in confuso donum divinum annuntiat quo Simon firmaretur

1. G. Lagrange, p. 324 : « Le nom commun πέτρο signifiait pierre, et πέτρα rocher. Mais πέτρο convenait mieux pour un homme, et πέτρα convenait mieux comme fondement de l'Église. En araméen, on ne pouvait réaliser cette élégance. Nous savons par le N. T. que Simon était nommé Cephas dans l'Église primitive (Joa., i, 42 ; *Gai.,* i, 18 ; ni, 9 ; *1 Cor.,* ix, 5, etc.). On comprend donc très bien... que Jésus ait pu dire et Ma. écrire : Tu es Céphа et sur ce Céphа je bâtirai mon Église, et que le traducteur grec ait gardé en même temps πέτρα qui répondait mieux à la situation, et πέτρο qui avait prévalu en grec comme nom masculin. »

atque fundamentum fieret, ita quidem ut inde nomen proprium acciperet. Id quod Christus verbis sequentibus secundum morem linguae propriæ magis explicat atque determinat[1].

4. Sequitur enim : et super hanc petram *aedificabo Ecclesiam* meam. His verbis explicatur, cuius rei Petrus fundamentum futurus sit : sc. Ecclesiæ Christi. Simon igitur tanquam fundamentum divinitus firmatum Ecclesiæ Christi declaratur. Id quod per ultimam particulam adhuc magis determinatur, sc. quod Petrus futurus sit fundamentum ita firmum ut nec portæ inferi adversus illud prævalcant. Atque certe verba « : et super hanc petram » ad illum ipsum Petrum referuntur, ut sensus obvius fert. Alia quidem particula : portæ inferi non prævalebunt adversus « *eam* » referri potest vel ad petram quæ est Petrus, vel ad Ecclesiam : pro nostra autem quæstione parum interest ; nam secundum primam interpretationem promissio quidem directe Petro fit, secundum vero alteram indirecte, inquantum sc. Ecclesia inexpugnabilis declaratur tanquam fundata super Petrum ; unde secundum utramque interpretationem Petrus tanquam fundamentum proponitur quod est inexpugnabile.

5. Iamvero per hanc figuram vel metaphoram petræ Christus Petrum tanquam *caput el principem Ecclesiæ* indicat. Figura quidem petræ, ut iam dixi, nobis est minus solita, sensus tamen non nimis difficile patet. Sicut sc. per fundamentum totum ædificiuqj sustentatur, ita per Petrum tota Ecclesia Christi. Societas autem aliqua per regimen, per auctoritatem, per potestatem sustentatur ac consistit. Itaque Petrus regimen, auctoritatem, potestatem super universam Ecclesiam Christi habebit atque ita erit fundamentum quo Ecclesia ipsa firma atque inexpugnabilis erit : id quod alio modo per terminum primatus iurisdictionis exprimitur. Atque hic primatus soli

1. *Leo M.* : « Quia tu es Petrus : id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis..., ego fundamentum præt?r quod nemo potest aliud ponere *(Eph.,* n, 14, 20) ; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia... ». *Semi. IV,* M. L. 54, 150.

atque uni Petro confertur, est primatus super *universam* Ecclesiam quia Ecclesia *Christi* super Petrum ædificàta erit, ac denique primatus Petri erit perpetuus quia Ecclesia Christi simpliciter, i. e quæcumque Ecclesia Christi et cuiuscumque temporis, super Petrum ædificata dicitur. Nulla igitur ecclesia erit Ecclesia Christi nisi ea quæ est super Petrum fundata.

G. Figura petræ, iterum secundum modum literarium Hebræorum et S. Scripturarum, per aliam figuram, magis claram, explicatur atque determinatur, sc. per *figuram clavium vel poleslalis ligandi alque solvendi.* Hæc figura etiam pro nobis facile patet. Claves enim tum ex natura rei tum ex acceptatione communi facultatem vel potestatem significant. Ita elaves iam materialiter vel physice facultatem dant ingressus in ædificium, removendo sc. impedimentum ostii clausi. Moraliter vero claves, sighificant potestatem disponendi, gubernandi, immo et potestatem dominii : unde victoribus claves traduntur in signum subiectionis et potestatis[1]. Hac significatione clavium Christus utitur ad designandam potestatem Petri futuram.

7. Hæc potestas est *polestas regni cælorum, i. e. regn^ Christi.* Petrus in regno Christi habebit potestatem regendi, gubernandi, removendi impedimenta vel obstacula ingressus in regnum Christi vel cælorum, utique a Christo acceptam. Id quod iterum sequentibus verbis exactius declaratur et determinatur : id quod Petrus ligaverit, erit ligatum et in ipso cœlo, et quod solverit, erit solutum et in coelis, i. e. quidquid Petrus ordinaverit, vim habebit in regno Christi, erit lex ac si lata esset a Christo vel Deo, obligabit coram Deo et Christo. Adversarii quidem figuram ligandi atque solvendi tanquam potestatem legis interpretandæ intelligunt. Certe et hæc facultas significatur, at non exclusive. E contra Petro universaliter ac

1. Eodem sensu claves potestatem significant Is., xxn, 20 s. ubi Dominus de Eliacim dicit : « Vocabo servum meum Eliacim et induam illum tunica tua (sc. Sobnac, præpositi templi, v. 15), et cingulo tuo confortabo eum et potestatem tuam dabo in manu eius... et dabo elavem domus David super humerum eius : et claudet et non erit qui aperiet. » Cf. *Apol.,* i, 18 : « habes claves mortis et inferni. »

generaliter facultas ordinandi, disponendi, gubernandi tribuitur.

Conclusio. — Christus igitur modo quodam mirabili Petri primatum indicat. Declarat ipsum primo tanquam petram divinitus positam atque firmatam, deinde tanquam petram supra quam fundabitur Ecclesia et ex qua Ecclesia firmitatem inexpugnabilem habebit ; id quod tertio per figuram clavium explicatur, sc. quod Petrus erit fundamentum tanquam potestam habens in regno Christi, ita ut quod ipse ordinaverit, simpliciter erit lex obligans in regno Christi. Atque ita Christus modo vere divino primatum Petri super universam Ecclesiam pronuntiat.

III. Interpretationes contrariae. — Mirum esse non potest adversarios Ecclesiæ catholicæ omne studium impendisse ut textum Mt. ita interpretarentur ut nihil de primatu dicere videretur. Dc facto pauci sunt textus S. Scripturæ de quibus interpretandis tantum disputatum est ac de nostro textu. Præsertim veteres Protestantes necessitatem sentierunt, evincendi vim verborum Domini „de petra et clavigero Ecclesiæ. Post explicationem datam tamen omnia huiusmodi tentamina breviter expedire possumus, maxime cum nostris diebus vel homines protestantici cordati errorem exegeseos protestanticæ admittant.

Generaliter loquendo, interpretationes protestanticae probare conantur : vel quod *subiectum* de quibus Christus loquitur, non sit Petrus, saltem solus, vel quod *prædicatum* quod enuntiat, aliud dicat quam primatum.

A. In particulari quoad primum sequentes notandæ sunt interpretationes, quæ tamen facile refutantur.

1. Secundum aliquos « *petra* » non significat Petrum, sed *Christum,* ac si Christus dixisset : Tu es Petrus et (indicando seipsum) super hanc petram (i. e. super me) ædificabo Ecclesiam meam. Interpretatio hæc certe non est secundum regulas scientiæ philologicæ neque consonat contextui, ut vidimus. In argumentum quidem adducitur verbum Apostoli (*I Cor.,* x, 4) : « Petra autem erat Christus ». At ibi Apostolus de petra in deserto, e qua aqua fluebat, loquitur.

2. Secundum alios « *petra* » *confessionem Petri* qua s. Christum tanquam filium Dei profitetur, significaret. At « Simon Bar Jona » cui dicitur « Tibi dabo... » et « Tu es » non significant confessionem vel firmam fidem Petri, sed personam Petri. Argumentantur quidem : Christus primo exigit confessionem fidei a Petro et postea ipsum petram declarat. At confessio Petri erat conditio quædam prærequisita : promissio enim Christi, instituendi Simonem in caput Ecclesiæ, nullum haberet vigorem, nisi Simon in divinitatem Christi crediderit.

Deinde opponunt, petram significare rem firmam adeoque fidem firmam Petri. Atque certo per figuram « petræ » etiam firmitas fidei Petri significatur (ut alia occasione videbimus), at non *solam* fidem Petri significat, sed generaliter Petrum ipsum ut firmum fundamentum Ecclesiæ designat. Denique interpretatio quorumdam Patrum in medium adducitur, de quorum tamen sententia in argumento ex traditione agemus.

3. Quidam censent, subiectum promissionis Christi esse non solum Petrum, sed *omnes Apostolos* simul. Argumentum est, quod Christus omnes discipulos interrogaverit, quem eum dicerent, et quod Petrus nomine omnium responderit adeoque etiam promissio Christi omnibus facta sit. At dato quod Petrus nomine omnium responderit[1], illatio non concludit atque est contra expressa verba textus quibus Petro, et non omnibus, promissio facta est. — Aliud argumentum est quod Christus omnibus Apostolis potestatem ligandi atque solvendi dedit (Mt., xviii, 18; Joa., xx, 23), sicut et Paulus Ecclesiam « super fundamentum Apostolorum et prophetarum » ædificatam dicit (*Eph.*, II, 20 ; IV, 11). At potestas et jurisdictio Apostolorum potestatem et iurisdictionem Petri super universam Ecclesiam non excludit, sed illi subordinatur. Neque ex hoc quod Christus omnibus Apostolis potestatem parem dederit, sequitur quod Petro non dederit potestatem singularem, immo hoc evidenter ex textu Mt. sequitur.

♦

1. Lagrange, l. c., p. 322[16] scribit : « Que Pierre parle au nom de tous, cela est évident ; mais cela ne veut pas dire que tous étaient aussi éclairés. »

B. Alia series interpretationum praetendit, quod praedicatum petrae, clavium (pastoris) aliud significet quam primatum.

1. « Petram» interpretantur de fide et confessione Petri : id quod iam vidimus.

2. Potestatem clavium intelligunt tanquam *potestatem interpretandi legem,* potestatem vetandi et permittendi[1].

Besp. Potestas ligandi et solvendi certe etiam potestatem legis interpretandae comprehendit, at non exclusive ; deinde significat veram potestatem interpretandi legem regni Christi prout potestatem legislativam, iudiciariain et coactivam adeoque potestatem regiminis includit[2].

3. Harnack[3] interpretationem alicuius pagani adducit qui verba Domini : « Portae inferi non praevalebunt adversus te » sic intelligit quod portae inferi (πύλαι. iSoo) Petrum non vincent, i. e. quod Petrus non morietur ; atque exinde argumentum contra veritatem Evangelii format, cum Petrus mortuus sit.

Besp. Mirum esse non potest quod Macarius Magnes, paganus, terminum « portae inferi » de infero mythologico intellexerit; at certum quoque est et secundum regulas hermeneuticæ firmissime supponendum, quod Christus non

1. Cf. K. Adam, *Zum ausserkanonischen u. kanonischen Gebrauch von Binden u. Lôsen.* Th. Quart., Tüb., 1914, 49 Sa., 161 ss.

2. « Pierre figure comme le portier qui ouvre ou qui ferme... Il faut donc, semble-t-il, prendre ces deux mots (ligare et solvere) dans un sens large qui comprend toutes les applications convenables au pouvoir du majordome. Il donne les solutions spéculatives, il déclare innocent ou coupable, il punit ou il fait grâce ; d'après l'esprit nouveau enseigné par Jésus, ces solutions spéculatives ne sont pas restreintes à la glose des textes d'après la tradition ; rien n'empêche d'y inclure le pouvoir législatif... Ce n'est pas restreindre l'autorité de Pierre que d'en voir le principe dans le Magistère de la foi ; il est d'abord le scribe initié au règne des cieux (Mt ., xin, 52), et en même temps Γοικοδεσπότη , auquel ce dernier est comparé, chargé de conduire ceux de la maison au but marqué par la foi : autorité doctrinale et jurisdiction.» Lagrange, l. c., p. 329.

3. Harnack, *Der Spruch über Pelrus als den Felsen der Kirche,* in Sitzungsberichte der k. preuss. Âkademie der Wissensch., 1918, S. 637-654. Cf. *Theol. Revue,* 1920, η. 1, col. 1-7. Simili modo P. Schepens sic interpretatur quod *Ecclesia* non moriatur.

terminologia pagana et mythologica, sed terminologia iudaica usus sit, proindeque sub nomine « portæ inferi » potestatem inferi intellexerit1.

Iam S. Hieronymus scripserat : « Ego portas inferi reor vitia atque peccata : vel certe haereticorum doctrinas, per quas illecti homines ducuntur ad fartarum. Nemo itaque putet de morte dici quod apostoli conditioni mortis subiecti non fuerint, quorum martyrio videat corruscari2 ».

Itaque studia ingentia protestantium interpretationem catholicorum infirmare non valuerunt. E contra quamplures ex adversariis in dies magis confitentur cum Krueger (teste certe non suspecto) : « textus (Mt .) docet ecclesiam infallibilem ac papam infallibilem3 ». Similiter A. Loisy4.

IV. Hypothesis interpolationis textus Mt., xvi, 15-19. — Non pauci auctores moderni ad aliud effugium convertuntur, inquantum sc. authenticitatem textus Mt . negant, declarantes Mt ., x v i, 17-19 esse interpolatum, circa annum 180-200*. Videamus igitur argumenta huius sententia*.

1. l'. Lagrange particulam sic interpretatur» : « Les portes de l'l ludes doivent être prises d'abord dans leur sens naturel des portes du palais infernal devenu le séjour des réprouvés. Ces portes sont représentées en action, et en action contre l'Église. C'est donc lu lutlil d'un édifice qui est l'empire du mal, contre l'Église qui e l lu maison du Christ. Satan n'est pas nommé et n'est pas ‹!‹ signe non plus directement, ni même les puissances infernales. Muli -i le·· portes sont agissantes, c'est qu'elles représentent la cite i .l /)/.. xvi, 5 ; xvii, 2; ***III Heg.,*** vin, 37)... En somme, la nmrf om vieillirait bien, s'il s'agissait d'une personne, mais c'est I'I .ı'**I**ηγ qui c l on jeu (contre Harnack) ; faire intervenir l'idée de mort duns lu lui lu outre les deux puissances, c'est ajouter une métaphore qui complique lu situation (contre Schepens). » l. c., p. 326.

2. *Comment, in* /'.l». 1//., l. Ill, c. xvi : M. L., 26, 122.

3. G. Kiiuiuii.ii, Il *us lu·issl unit* m *welchem Zwecke sludiert inan Dogmengeschichte 'I* ρ. 57 : l user helitige Text, das bringen keine Auslegungskünsle hinweg, redet von eincr uiifehlbaren Kirctie und dahinter steckt der unfehlbare l'apsl. »

4. « Simon-Pierre n'est pas que le fondement historique de l'Église, il en est le fondement actuel el permanent. ; il vil encore, aux yeux de Matthieu, dans un puissance qui lie et délie, qui détient les clefs du royaume, et qui est l'autorité de l'Église elle-même... » A. Loisy, *Les Évangiles synoptiques,* n, 9.

5. A. Resch, *Ausserkanonische Parallellexle zu den Euangelien,* 1895, n, p. 194 ; I. Schnitzer, *Hal Jesus das Papsttum ges-*

1. Arg. procedit ex facto quod textus Mτ. apud Mc. et Lc. non reperitur, sed sola confessio Petri. Inde arguitur : Evangelium Marci est primum atque ab eo evangelia synoptica cætera derivantur. Proindeque illæ partes quæ quidem in aliis evangeliis synopticis extant, desunt autem apud Marcum, sunt interpolatæ, adcoque etiam textus Mτ., xvi, 17 ss.

Argumentum valde claudicat. Certe textus prout apud Mτ. extat, deest apud cæteros evangclistas. At non totaliter. Apud Marcum habetur : « Et imposuit Simoni nomen, Petrus » (3, 16). Cf. Lc., vi, 14. Lucas vero in Actibus Apostolorum Petrum sufficienter ut caput Ecclesiæ exhibet. Secundo non constat, Evangelium Marci esse primum evangelium, imo hæc sententia, hodie satis diffusa, præcipue, ne dicam quasi unice, proposita est ad vim textus Mτ. eliminandam. Tertio, dato etiam et concesso quod Marcus primus evangelium conscripserit, conclusio minime valet ; nullo enim solido argumento probatur, posteriores Evangelistas Marcum tantum secutos esse vel fontes proprios non habuisse. Unde argumentum fundamentale quasi nullius valons est, etiam facta abstractione ab inspiratione. Inde fautores sententiæ interpolationis diversa argumenta afferunt quibus interpolationis factum ostendatur : et quidem ex contradictionibus apparentibus inter Mτ., xvi, 17 ss. et alias partes Evangelii Mτ. Facile enim contingit, immo quasi necessario, ut facta interpolatione, contraria sc. doctrinæ libri, huiusmodi interpolatio aliis partibus documenti contradicat. Atque adversarii sequentes contradictiones opponunt.

Primo : Apud Mτ. discipuli iam xiv, 33 divinitatem Christi agnoverant ; unde tota pars de confessione Petri iterata non quadrat vel contextui contradicit.

Besp. Minime. In priore enim loco discipuli Christum post magnum miraculum tanquam filium Dei adoraverunt. Christus tamen optime, antequam Petro primatum pro-

tiftet'l 1910; W. Kôhler, *Die. Schlüssel des Pelrus* (Arch. f. R. W., VIII, 1905, p. 214 ss. ; F. IIeiler, *Der Katholizismus* (1923), p. 37-42.

Alii textum quidem ut authenticum, non vero ut historicum admittunt.

mitteret, novam ab ipso confessionem fidei exigere potuit. De cætero in hoc textu, sicut in multis aliis, mirabilis ars pædagogica Christi in instruendis discipulis apparet : primo enim Christus discipulos de divinitate per miracula edocet, postea per doctrinam ; prius eos edocet, postea eos interrogat ac responsum approbat. Christus itaque optime diversis vicibus, sub diversis circumstantiis, confessionem fidei in divinitatem suam elicere potuit — et sic textus uterque optime quadrat.

Secundo : Mτ., xvi, 20-23 Petrus a Christo increpatur : « Vade post me, satana : scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ sunt hominum » (v. 23). Atqui, opponitur, hæc verba contradicunt eis quæ Mτ., xvi, 18 3S. referuntur.

Besp. Minime contradicunt. Mτ. xvi enim Petrus laudatur qliia ex illuminatione Patris divinitatem Christi cognoverat ; Mτ. ,χvι, 23 vero vituperatur quia nondiim intelligit necessitatem et utilitatem passionis Christi vel quia Christum a passione subeunda avertere intendit.

Tertio : Mτ., χvιιι, 1 discipuli disputant quisnam inter illos maior sit. Atqui id esset impossibile si Petrus in caput Ecclesiæ esset institutus, et, simul Christus respondendo nihil de primatu Petro conferendo dicit.

Besp. Neque hic locus contradictionem importat. Nam «li ; ipuli, sicut alia verba Domini nondum perfecte intelligebant, ita et verbum de petra et clavibus. Attamen verba Domini poterant optime fuisse occasio disputationi. e.x verbis enim Domini discipuli saltem aliquam prieemiiumtiarn Petri suspicari debebant. Denique Chri- h l ii Dominus non respondet directe ad quæstionem posi- l .ini ed discipulis necessitatem conversionis et humilitatis inculcat.

linque Evangelium Mτ. nullam contradictionem cum textu xvi, 15 ss. continet et sic ruit omne fundamentum pro interpolatione asserenda.

·.'. \liud argumentum ex silentio Mc . et Lc. petitur. Adversarii enim supponunt, hos auctores necessario institui ionem Petri in caput Ecclesiæ referre debuisse.

Besp. Silentium Mc. et Lc. sufficienter explicatur. Mc. enim, discipulus Petri, propter humilitatem Petri silet ac

ne odium et persecutionem potestatis romanæ contra Petrum excitet ; idem apud Lucam supponendum est. Deinde textus Mt. xvi, 15 ss., maxime linguam aramaicam sapit, ita ut lectoribus græcis vel latinis maximam difficultatem praebuerit. Denique pro lectoribus immediatis Mc. res ex praedicatione orali sufficienter nota erat[1].

3. Tertium argumentum defectum citationum in duobus primis saeculis adducit : primus enim Tertullianus textum citat.

Besp. Hoc argumentum e silentio nil probat ; quia argumentatur e silentio pure negativo. In nullo enim auctore necessitas positiva adducendi textum nostrum vel probabiliter tantum probari potest : nulla enim adhuc controversia orta erat. Similiter magna pars S. Scripturae apud auctores duorum priorum saeculorum non apparet, irnmo vel oratio dominica tantum in Didache exhibetur.

4. *Harnack*[2] denique ex S. Ephræmo evincere conatur, in *Dialesseron* Tatiani defecisse verba : « et super te aedificabo ecclesiam meam » et textum sonuisse : Beatus es Simon... tu es Kepha... et portae inferi te non vincent » ; inde concludit, verba contraria textus Mt. postmodum (tempore Hadriani) fuisse inserta. At apud Ephraemum tantum legitur : « Et respondit : Beatus es Simon. Et portae inferi te non vincent. » In explicandis illis verbis Ephræm expresse inculcat, fidem Petri everti non posse, Ecclesiam a Deo aedificatam esse super turrim. Postmodum tantum sequitur : « Tu es petra », sc. petra a Deo constituta qua Satan offenderetur. Ephræm igitur totum textum explicat, ordine quidem inverso et quin omnes particulas verbaliter referat[3].

Generaliter et positive contra hypothesim interpolationis textus Mt., xvi, 13, ss. dicendum est :

1. Tillmann, l. c., p. 24-34.
2. l. c.
3. I. Sickenberger in *Theol. Revue,* 1920, col. 1 ss. ; *idem* in Bibi. Z., xv, 2, 176 s. ; L. Fonk, S. J., *Tu es Petrus,* in *Biblica,* 1920, II, p. 240-264 ; Pr. Schepens, *L'authenticité de S. Matthieu,* xvi, 18, in *Recherches de Science religieuse,* xi, 5-6, p. 269-302 ; S. Euringer, in *Beitrage zur Geschichte der christl. Altertums* etc. *(Festgabe A. Ehrhard),* 1922.

a) Nulla varietas notabilis in codicibus vetustissimis habetur; unde omnes editores N. T., ut Tisçhendoriï, Wescott-Hort, von Soden, Vogels textum tanquam certum et secundum regulas scientificas testificatum reproducunt.

b) Testes extraeanonici textus extant Tertullianus, Irenæus, Tatianus (in Diatesseron circa a. 170-180), lustinus, Evangelium Nazaræorum[1].

3. *Nulla* assignari potest *causa rationabilis* quæ interpolationem eiusque acceptionem in Ecclesia explicaret[2].

4. Fundamentum generale hypotheseos «st sententia eschatologica quod sc. Christus finem proximum mundi expectaverit adeoque de Ecclesia instituenda non cogitaverit (cf. art. 5)[3].

I. Cf. Biblica, 1921, p. 65 ss. — Evangelium Nazaræorum iiiinm tantum lectionem variantem habet, sc. « filius Joannis » Inro : « bar .Tona ».

Alii (ut A. Dell) ideam petræ vel fundamenti Ecclesiæ Imaginationi populari attribuunt, alii (ut R. Bultmann) communilull hlorosolymitanæ, alii (ut Harnack) ecclesiæ Romanæ.

.I. Cf. *Diet, apol.,* v. *Papauté,* HI, col. 1333-1366.

ARTICULUS QUADRAGESIMUS QUARTUS

Primatus Petri probatur ex Le. xxii, 31 s., Joa. xxi, 15-17 et ex factis concludentibus quæ in S. Scriptura narrantur

I. Textus Lc., x x ii, 31 s. — Lc primo narrat de contentione facta ii^ter discipulos quis eorum videretur esse maior (v. 24). Christus illos ad humilitatem exhortatur (v. 25-27) ; deinde vero ipsis promittit quod participes sint in regno suo et sedeant super thronos iudicantes duodecim tribus Israel (v. 28-30). Nunc vero convertens se ad Petrum, ili dicit : « Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum ; ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua ; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos » (v. 31-32). His verbis Christus declarat,, se Petro specialem firmitatem in fide *exorasse* qua Ecclesia firmaretur ; Petrus igitur tanquam fundamentum divinitus firmatum fidei Ecclesiæ proponitur adeoque eius primatus exprimitur.

Iam apud Mt . Christus insidias diaboli adversus Ecclesiam (vel Petrum) insinuaverat casque tanquam inefficaces declaraverat « porta; inferi non prævalebunt adversus eam » : hic Christus expresse huiusmodi insidias nominat : « Ecce satanas expetivit vos ». Apud Mt . Christus promittit, insidias diaboli inefficaces fore quia Ecclesia super Petrum tanquam super fundamentum divinitus firmatum ædificata erit : hic huiusmodi firmitatem tanquam fructum orationis suæ declarat eamque explicat. Fides Petri non deficiet et per ipsum simul fratres eius in fide confirmabuntur. Particula : tu aliquando « *conversus* » vel significat conversionem post defectum Petri quem Christus immediate postea annuntiat : « Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me » (v. 34), vel probabilius significat : tu autem, ex parte tua, accepta a me confirmatione in fide, confirma fratres tuos.

Quibus verbis Christus immediate quidem et expresse hoc tantum enuntiat : Petrus ex dono divino habebit

firmitatem in fide, habet officium alios confirmandi in fide, alii habent obligationem sequendi fidem Petri, Ecclesia super fidem Petri erit ædificata : ita Petrus saltem quantum ad fidem tanquam centrum ac fundamentum Ecclesiæ declaratur adeoque Petrus saltem quoad fidem determinandam habet divinitus potestatem super fratres suos, i. e. super Ecclesiam.

Textus autem Lc. evidenter connexionem habet cum textu Mt. : i. e. verba Christi apud Lc supponunt Petrum ut fundamentum et caput Ecclesiæ, sicut iam in expositione textus ostendimus. Itaque textus Lc. conjunctus cum textu Mt. simpliciter primatum Petri probat.

Simul in particulari sequitur : *a)* ipse Petrus habet officium et donum firmitatis in fide et confirmandi alios in fide ; *b).* huiusmodi donum et officium ipsi immediate a Deo collatum est ; c) ad totam Ecclesiam sese extendit : quia ipsius Petri est confirmare omnes fratres ; *d.)* huiusmodi officium et donum transit ad successores Petri quia universa Ecclesia Christi, omnes qui aliquando sunt fratres, usque ad finem mundi, per Petrum sunt confirmandi in fide, sive in persona sua propria, sive per successores suos.

II. Textus Ioannis XXI, 15-17. — Denique Christus post resurrectionem suam Petro definitivo modo primatum confert. Hac occasione Christus primo a Petro testimonium dilectionis exigit, dicens : « Simon loannis, diligis me plus his ? » Petrus respondet : « Etiam Domine, tu scis quia amo te. » Deinde Christus dicit ei : « Pasce agnos meos », et sic iterum. Denique « dicit ei tertio : « Simon loannis amas me ? Contristatus est Petrus quia dixit ei tertio : amas me ? et dixit ei : Domine tu omnis nosti : tu scis quia amo te. Dixit ei : Pasce oves meas ».

Sensus horum verborum facile patet. Nam figura pastoris et ovium obvie officium capitis et potestatem in fideles exprimit[1]. Atque huiusmodi potestas soli Petro con-

1. Hoc sensu vox pastoris accipitur: Is., XL, IOs. ; Joa., X, 11, II Hi, 26-28 ; *Aci., xx,* 28-30 ; *I Pel.,* V, 2-4 ; similiter vox pascere ; *II Hcg.,* VII, 7 ; *I Par.,* XI, 2 (David rex) ; Is., XLIV, 28 (Cyrus) ; Mi, II, 6 ; *Heb., XIII,* 20; *I Pet.,* II, 25 (Christus). Cf. Straub, *Ih· Peclesia,* n. 161 s.

fertur, est potestas suprema, sc. super omnes oves Christi, adeoque simul potestas in universam Ecclesiam ; denique est potestas permansura in Ecclesia quia per Petrum omnes oves Christi pascendi sunt, utique usque ad finem mundil.

Itaque Christus triplici modo Petrum in caput perpetuum Ecclesiæ instituit eique potestatem regiminis tribuit : primo promittendo, sub figura sc. petræ et clavigeri regni Christi, secundo exorando facultatem confirmandi fratres, tertio Petrum instituendo in pastorem supremum fidelium. Id quod confirmatur per facta concludentia quæ S. Scriptura exhibet.

III. Argumentum ex factis concludentibus. — Institutio Petri in caput Ecclesiæ in rerum factis apparere oportet, primo quidem iam tempore Christi, maxime vero post ascensionem Christi. Tamen considerandum est : primo : Christus Petro primatum prius quidem promisit, deinde firmitatem exoravit, sed tantum post resurrectionem contulit, ita tamen ut quamdiu Christus in terris degeret, ipse Christus adhuc caput visibile maneret — unde etiam facta huic conditioni particulari necessario correspondent; secundo : licet Petrus esset caput etiam Apostolorum, tamen alia erat conditio Petri respectu ad Apostolos, alia subsequentium Romanorum Pontificum ad episcopos, quia Apostoli remanserunt missi immediate a Christo cum jurisdictione universali et reliquis privilegiis — unde et hæc conditio specialis in factis necessario apparet.

lamvero S. Scriptura narrat facta quæ omnino concordant institut ioni Pel ri in caput Ecclesiæ et conditionibus particularibus illius temporis ; insuper facta illa negato primatu Petri explicationem sufficientem non habent, e contra vero supposito primatu facile explicantur.

Huiusmodi facta sunt :

1. Adversarii quidem textum sic interpretantur quod Christus vel Petrum *exhortatus* fuerit ad curam fidelium vel Petro officium *docendi* commiserit vel Petrum in dignitatem apostolicam, per peccatum amissam, *restituerit.* Atque verba Christi certe quidem exhortationem continent ac Petro officium docendi conferunt, at simul cum munere et potestate supremi pastoris. Gratis tamen asseritur, Petrum missionem apostolicam aliquando perdidisse nec verba Christi aliquid simile menti ingerunt.

a) Mutatio nominis. Christus iam quasi ab initio Simoni nomen Petri (kepha) imposuisse videtur : « Intuitus autem euin lesus, dixit : Tu es Simon, filius Jona : tu vocaberis Cephas » (Ioa., i, 42); Mc., x iii, 17). Huiusmodi nominis mutatio, maxime considerata nominis impositi significatione, optime et exclusive per primatum Petri explicatur[1]. Ecquidem Christus Zebedæi filiis nomen Boanerges dedit : at tanquam cognomen, unde et postea nominibus propriis lacobus et Joannes vocantur. Similiter ludas vocatur traditor, at ratione evidenti.

b) Præcipuus honor, Petro a Christo præstilus. Petro specialiter promittitur, ipsum fore piscatorem hominum (Lc., v, 10); pro Christo et Petro Petrus iubetur solvere staterem unum (Mτ., xvii, 26) ; Petri pedes in cœna primo abluuntur (Ioa., x iii, 6) ; resurrectio Domini Petro specialiter annuntiatur (Mc., xvi, 17); Petros primo revelatur, tempus conversionis gentilium advenisse et illos ad Ecclesiam esse admittendos *{Aci., x,* 9), etc.

c) *Petrus primo loco et ut distinctus a caeleris apostolis el discipulis enumeratur.* Ita in catalogis Apostolorum primo et emphatiee Petrus nominatur. « Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus : Simon, qui dicitur Petrus... » (Mt., x, 2 ; cf. Lc., vi, 13 ss.). Similiter aliis in locis Petrus ut condistinctus Apostolis introducitur : « Simon et qui cum illo erant » (Mc., i, 36; Lc., vm, 45), « Petrus cum undecim » *{Aci.,* n, 14), « Petrus et reliqui Apostoli » *{Aci.,* ii, 37), discipuli et Petrus (Mc., xvi, 7). Aliis quidem in locis Petrus non primo loco nominatur *{Gal.,* n, 9; Ioa., i, 44) : at ibi ratio ordinis est ætas. lamvero nulla alia ratio sufficiens dari potest cur Petrus primo loco nominetur, nisi primatus ipsius.

d) Acia Petri posl mortem Christi. Petrus statim post mortem Christi ita agit ut capiti Ecclesiæ convenit. Iam anie Pentecostem « Petrus exurgens in medio fratrum » electionem Mathiæ in Apostolum dirigit *{Aci.,* i, 15 ss.).

[1] Zahn., *Das Evangelium d. Matth.,* ed. 2, Lipsiæ, 1905, P '.>37, notu 62 s. optime notat, nomen « Petrus » antea fuisse penilii' ignotum, sc. tanquam nomen personale. Quantum ad Cephas, ‹l I.ARRANGE, l. C., p. 324.

In die Pentecostes primus Evangelium promulgat *(Act.,* u, 14 ss.) ; primus Evangelium miraculo confirmat *(Act.,* in, 6), ipsi primo fit revelatio de gentilibus ad Ecclesiam admittendis *(Aci.* x, 9 ss.). Maxime in Concilio apostolico Petrus primus sententiam profert et « tacuit multitudo », licet antea « magna conquisitio fieret », .et lacobus Petro assenti! *(Act.,* xv, 6 ss.).

Opponitur modus agendi S. Pauli, qui Petro « in faciem » restitit, « quia reprehensibilis erat » *(Gal.,* n, 11). At etiam caput Ecclesiæ ab Apostolo Paulo reprehendi poterat ob indiscretum modum agendi et imminens periculum scandali et necessitatem fidelium[1].

Quodsi PetruS ab Apostolis simul cum Joanne in Samariam mittitur *(Act.,* vin, 14), id facile ex conditione familiari Ecclesiæ primitivæ in Jerusalem explicatur.

1. Cf. S. Thomas, II, II, q. xxxm, a. 4 ad 2 ; IV *Sent.,* d. 38, q. u, a. 3 ad 2 ; in *Gal.,* c. n, l. 3.

ARTICULUS QUADRAGESIMUS QUINTUS

Primatus Petri ex testimoniis veterum probatur

I. Veteres multiplici modo institutionem primatus in b. Petro enuntiant.

Primo quidem *modo* textus Mt., Lc. et Joa., adducunt atque in illis institutionem primatus vident : ita veritatem interpretationis catholicæ testificantur. Huc simul illa dicta pertinent quibus S. Patres Petro attributa quædam attribuunt quæ ex verbis S. Scripturæ sunt deprompta, ut ipsum vocando petram, fundamentum, pastorem, etiamsi id sine mentione expressa S. Scripturæ fiat. Denique huc adnumerandi sunt illi loci in quibus S. Patres terminis propriis Petro primatum adiudicant.

Alio modo Patres immediate et directe *primulum Romani Pontijicis* testificantur. Id quod iterum dupliciter fit. Quandoque enim primatum Romano Pontifici attribuunt tanquam successori Petri, quandoque vero absolute primatum R. Pontificis testificantur, i. e. quin rationem et originem huius primatus indicent.

Attendendum tamen est ad modum loquendi S. Patrum. Quandoque.enim obiter tantum de primatu loquuntur, i. e. ex professo de alia re tractant et incidenter tantum de primatu loquuntur : quo in casu primatum tanquam notum præsupponunt. Quandoque vero S. Patres agunt quidem de primatu, attamen inde aliam doctrinam deducunt vel illustrant, secundum sc. interpretationem accomodatitiam vel spiritualem aut etiam inde conclusiones theologicas deducendo. Uti patet, huiusmodi quoque interpretationes uk comodatitiæ vel mysticæ vel doctrinæ theologicæ deducin' doctrinam primatus non excludunt, sed e contra supponunt atque affirmant.

II Testimonia trium priorum saeculorum. — Prima teslimonia sunt testimonia pro primatu R. Pontificis, sc. in

ep. Clementis ad Corinthios et in ep. Ignatii Ant. ad Romanos, de quibus infra videbimus.

Circa annum 150 *Papias* de S. Petro scribit[1] : « Iste adveniens ex orientis partibus ut coelestis quidam negotiator, mercimonia divini luminis, si qui sit comparare paratus, advexit et salutaris prædicationis verbo primus in urbe Roma *evangelii sui clavibus ianuam regni cœleslis aperuit »;* quibus in verbis facile allusio ad Mt., xvi, 19 s. apparet.

Circa annum 190 extant testimonia exercitii primatus ex parte Victoris[2], episcopi Romani et testimonium, Irenæi de « potentiori principalitate » Ecclesiæ Romanæ[3], de quibus infra.

Circa a. 200, fatentibus vel adversariis, Romanus Pontifex tanquam caput Ecclesiæ recognoscitur, et quidem ut successor Petri.

Quantum ad Latinos sufficiant testimonia Tertulliani et Cypriani.

Tertullianus scribit : « Latuit aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claves regni caelorum consecutum et solvendi et alligandi in cælis et in terris potestatem[4][5] »

Contra papam Callistum disputans, Tertullianus de remissione peccatorum capitalium sic argumentatur[4] : « Sed habet, inquis, potestatem delicta donandi... de tua nunc sententia quæro, unde hoc ius Ecclesiæ usurpes. Si quia dixerit Petro dominus : Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, tibi dedi claves regni coelestis, vel : Quæcuimpic alligaveris vel solveris in terra, erunt alligata vel soluta in codis, idcirco præsumis et ad te derivasse solvendi et alligandi potestatem, i. e. ad omnem ecclesiam Petri propinquam. » His verbis Tertullianus, licet indirecte, testimonium fert, textum Matthæi adductum fuisse in testimonium potestatis Romani Pontificis super

1. Apud Eusebium, *Historia eccl.,* n, 14.
2. Apud Eusebium, *Hist, eccl.,* V, c. xxiv, 9 s.
3. *Actu. Hær.,* Ill, in, 1.
4. *De præscript.,* xxn.
5. *De pudicitia,* xxi.

universam ecclesiam. Neque Tertullianus textum Mt. repudiat — id quod certe fecisset si (ut adversarii opinantur) circa hoc tempus interpolatus fuisset.

Tertullianus quidem verba Domini ita interpretare conatur ut potestatem Petro *personaliter* tantum collatam significent. Attamen hac ipsa argumentatione indirecte testificatur, interpretationem aliorum fuisse contrariam, ita scribit : « Qualis es, evertens atque commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem ? *Super te,* inquit, *ædificabo Ecclesiam meam,* et *dabo libi claves,* non ecclesiæ, et quæcumque solveris vel alligaveris, non quæ solverint vel alligaverint. Sic enim et exitus docet. In ipso ecclesia exstructa est, id est per ipsum, ipse elavem imbuit... ». Itaque Tertullianus, saltem testificatur, textum Mt. fuisse communiter receptum atque hoc sensu intellectum fuisse quod Christus Ecclesiam suam super Petrum ædificaverit atque ipsi claves tradidisset.

Cyprianus simili quodam modo ac Tertullianus textum Mt. interpretatur. In « De catholicæ ecclesiæ unitate » scribit : « Loquitur dominus ad Petrum : Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus (sequuntur cætera verba). Super unum ædificat Ecclesiam, et quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat : sicut me misit Pater et ego mitto vos ; accipite Spiritum S..., tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit... Exordium ab unitate proficiscitur ut Ecclesia Christi una monstretur » (c. iv). Itaque Cyprianus similiter ac Tertullianus textum Mt tanquam authenticum agnoscit ac tenet Ecclesiam super Petrum ædificatam esse ac Petro potestatem super Ecclesiam datam fuisse, « ut inde solveretur quod ipse solvisset » (ep. 73, 7).

Cyprianus quidem simul tenet, alios apostolos eandem potestatem accepisse quam Petrus *primus* accepisset, et ad Quintum scribit : « Nec Petrus, quem primum elegit Dominus et super quem ædifleavit ecclesiam suam... vindicavit sibi aliquid insolenter aut arroganter assumpsit, ut diceret se *primatum tenere et obtemperari sibi potius*

*oportere*l. » His tamen verbis interpretationem contrariam apud alios testificatur. De reliquo etiam Cyprianus Ecclesiam Romanafn, *tanquam sedem Petri,* ut « ecclesiæ catholicæ radicem et matricem » agnoscit[1] — de qua re infra.

Quantum ad græcos audiatur præcipue *Origen.es* qui docet, « Petro summam rerum de pascendis ovibus tradi et super ipsum velut super terram fundari Ecclesiam[3]. »

Firmilianus Cappadox contra papam Stephanum ex eo argumentatur « quod se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta ecclesiæ collocata sunt[4]. »

III. Testimonia sæc. IV. — Sæc. iv testimonia abundant : audiantur ex græcis Basilius M., Gregorius Nys., Chrysostomus et Asterius Am., ex latinis Ambrosius, Hieronymus et Romani Pontifices Siricius et Damasus[5], ex Syria Aphraates et Ephremus.

S. *Basilius* Petrum vocat petram, « super quam petram pollicitus fuerat Dominus suam se ædificaturum Ecclesiam[6]. »

Gregorius Nyssenus scribit : « Celebratur Petri memoria, qui Apostolorum est caput, et una quidem cum ipso cætera Ecclesiæ membra glorificantur ; Dei vero Ecclesia in ipso solidatur. Hic enim iuxta prærogativam sibi a Domino

1. *Ep. LXXI,* 3.
2. *Ep. XLVIII,* 3.
3. *In ep. ad Eam.,* v, 10 ; *Comment, in. Matth.,* tom. XII, 10 s. Ecquidem c. xi prosequitur, promissiones Petro factas etiam de caeleris Apostolis, resp. de eorum Ecclesiis valere : at his insinuare videtur, promissionem Christi : portae inferi non praevalebunt, ad totam Ecclesiam se extendere. Similiter c. x exponit,, omnem Christianum, Christum confltentem, esse petram, super quam « aedificatur sermo ecclesiasticus et vitae iuxta ipsum institutae ratio » : sensus tamen est quod fides et vita christiana in confessione Christi fundetur. Denique Origenqs ipse declarat : « Quæ uni Petro supra concessa sunt (sc. claves regni coelorum), hic omnibus quoque videtur (Christus) tribuisse (sc. per verba : Quæcumque alligaveritis)... At quoniam præ iis... *peculiare aliquid Pelro tribui oportebat... privalim illud Petro attributum* es/.· Dabo tibi claves coelorum, prius quam illud. Quæcumque alligaveritis... » *Comment, in Mt.,* t. XIII, P. G., xm, 1180.
4. *Ep. LXXV* (inter ep. Cypriani), n. 17.
5. *Doctrina S. Augustini* infra, n. 5, explicabitur.
6. *In Is.,* c. ii, n. 66.

concessam, firma et solidissima petra est, super quam Salvator Ecclesiam ædificavit[1]. »

S. *Chrysostomus*[2] de b. Petro habet : « Petrus chori apostolorum princeps, os discipulorum, columna Ecclesiæ, firmamentum fidei, confessionis fundamentum, orbis terrarum piscator qui genus nostrum ex profundis errorum in cælum adduxit[3] » ; alio in loco : « Petrus chori illius coryphæus, os apostolorum omnium, caput illius familiæ, orbis totius præfectus, fundamentum Ecclesiæ...[4] » ; Christus « Ecclesiæ præfecturam ipsi per universum mundum tradidit[5] » ; Christus sanguinem effudit, « ut has emeret oves quas Petro et successoribus eius tradidit[6] ». Quo sensu Chrysostomus etiam textus Mt. et Joa., interpretatur. Mt., xvi, 16 s. sic exponit : « Et ego dico tibi, tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, id est super fidem confessionis. Hinc declarat, multos esse credituros eiusque (sc. Petri) sensum erigit et pastorem ipsum constituit·... Quid significat illud, Ego autem tibi dabo ? Quemadmodum Pater tibi dedit ut me cognosceres ; sic et ego tibi dabo... Quid, quæso das ? Claves regni cælorum... Viden quomodo ad sublimiorem de se opinionem Petrum erigat... Nam quæ uni Deo sunt propria, nempe peccata solvere, Ecclesiam in tanto fluctuum concursu immotam reddere, hæc se illi daturum pollicetur. ...Filius et Patris et sui ipsius cognitionem per totum orbem illi disseminare commisit ac mortali homini omnem in cœlo potestatem dedit, cum claves illi tradidit[7]. »

. *Aslerius Amasenus* (in Ponto), adducens textum Mt., xvi, 18 adiungit : « Fundamentum aliud nemo potest ponere,, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Sed et simili quoque Salvator noster appellatione primum suum

1. Greg. Nyss., *Altera laudatio S. Stephani ;* P. G., 46, 733.
2. Card. Niccolo Marini, *II Primato di S. Pietro e de suoi successori in San Giovanni Crisostomo,* ed. 2 (1922).
3. *De decem millium talentorum debitore,* Mt., xviii, 15 ; P. G., Li, 20.
4. *In illud : Hoc scitote.* P. G., liv, 275.
5. *De pœnit.,* hom. V, 2. P. G., xlix, 298.
6. *De sacerdotio, u,* 1.
7. *In Ml.,* h. 1.

discipulum honestandum duxit, nominans fidei petram. Per Petrum ergo, verum ac fidelem pietatis doctorem effectum, ecclesiarum stabilis inflexaque formatio consistit... Accipit per promissionem claves regni eiusque portarum efficitur dominus, ut aperiat quibus voluerit, claudat vero quibus iure claudendæ sint... Salvator... ceu peculiare quoddam depositum ac peculium universalem ac orbe toto diffusam viro huic commendat Ecclesiam... Mundi curam accepit, velut unum gregem, unus pastor... ; fereque sui loco dedit Dominus fidelissimum discipulum in patrem pastoremque ac magistrum iis qui essent accessuri ad fidem[1]. »

Ex latinis *Ambrosius* docet : « (Petrus) quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antifertur... oves pascere iubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret[2] ». « Huic Petro, ut idem ait, propria auctoritate regnum dabat ; hunc cum petram dicit, firmamentum Ecclesiæ indicavit[3]. »

S. *Hieronymus* scribit : « Super Petrum fundatur Ecclesia : licet id ipsum in alio loco super omnes apostolos fiat..., tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio[4]. »

Papa *Siricius* ad Himericum tarrac. scribit : « Portamus onera omnium qui gravantur ; quin immo hæc portat in nobis beatus Apostolus Petrus qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit et tuetur hæredes... Præfatam regulam omnes teneant sacerdotes qui nolunt ab apostolicæ petræ, super quam Christus universalem construxit ecclesiam, soliditate divelli. » Similiter Papa *Damasus* episcopis orientalibus scribit : « Sanctus Apostolus sedens nos docuit quo pacto illius gubernacula quæ suscepimus tractanda sint. » (ep. 7.)

Non minus clare *Syria* loquitur. *Aphraales* docet : « David commisit regnum Salomoni et adiunctus est ad populum suum ; et Jesus commisit claves Simoni et ascendit

1. Asterius Amasenus, *Hoinilia VIII in SS. Petrum et Paulum ;* P. G. xl, 280 s.
2. *In Lc.,* x, 175.
3. *De fide,* iv, 5, 56.
4. *Ep. ad Damasum,* lvii.

et ivit ad mittentem se[1]. » Et alio loco : « (Cnristus) animam suam pro ovibus tradidit et prælatos inclitos elegit et instituit, quibus oves commisit eosque universo gregi præfecit ; ait enim Simoni Petro : pasce oves meas et agnos et agnas[2]. » S. *Ephraem* vero Christum inducit loquentem : « Simon, discipule mi, Ego te constitui fundamentum Ecclesiæ sanctæ. Petram vocavi te antea, quia tu sustinebis totum,meum ædificium, tu es inspector eorum qui ædificant mihi ecclesiam in terris ; si quid reprobum ædifïcare velint, tu fundamentum reprimas eos ; tu es caput fontis a quo hauritur doctrina mea, tu es caput discipulorum meorum... claves regni mei dedi tib i: ecce principem te constitui super omnes thesauros meos[3]. »

IV. Testimonia sæc. V. — Sæc. v doctrina de primatu omnino expressa est. Sufficiat audire Leonem M., Cyrillum Alex, et Epiphanium.

Leo M. ad Anastasium ep. Thessalonic. scribit :« Quibus (sc. episcopis) cum dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis : quoniam et inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis ; et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut cæteris praeemineret » (n. .6). Etenim : « De toto mundo, ait, unus Petrus eligitur qui et universarum gentium vocationi et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur : ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus quos principaliter regit et Christus[4]. » Idem ad episcopos provinciæ Viennensis scribit : « Muneris (apostolici) sacramentum ita Dominus ad omnium apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro, apostolorum omnium summo, principaliter collocant ; et ab ipso quasi quodam capite dona sua velit in corpus omne manare, ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hunc enim in consor-

1. *Dem.,* xxi, 13.
2. *Dem.,* x, 4.
3. *De Salo, passione el resurrect.,* Serm. IV, 1 ; La my, S. *Ephræmi hymni et serm.,* Lovanii, 1882, I, 411.
4. Serm. IV ; M. L., 1 iv, 150.

tiurn individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo : Tu es Petrus, et super hanc petram a'dificabo Ecclesiam meam ; ut æterni templi a-dilicatio, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri soliditate consisteret ; hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere nec portæ contra illam inferi prævalerent. »

(.'i/rillus Alexandrinus ad verba Domini Mt. xvi, 18 notat : « Petram, opinor, quasi denominative nihil aliud quam inconcussam et firmissimam discipuli fidem appellans, super quam etiam circa casus periculum firmata est a, fundata Christi Ecclesia, et ipsis inferorum portis perpetuo manet inexpugnabilis[1]. » Similiter ad Lc., xxn, 32 scribit : « Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, id est : firmamentum atque magister esto illorum qui per fidem ad me accedunt[2]. »

Epiphanias declarat, peccatum Petri potestati eius nullum intulisse damnum. Etenim « excipit pcenitentes Dominus nec non,eius Ecclesia, quemadmodum Manasses Ezechiæ filius conversus est et a Domino receptus, itemque *princeps apostolorum Petrus,* qui Dominum aliquando negavit. Qui quidem solidæ petræ instar nobis extitit, cui vehit fundamento Domini fides innititur, supra quam Ecclesia modis omnibus exstructa est. In primis quidem, quod Christum Dei vivi Filium esse confessus est, idque vicissim audit : Supra hanc solidæ fidei petram ædificabo Ecclesiam meam... Verum et ille quoque firmissimus structuræ lapis ad divinæ domus fundamentum fuit cum... audiit : Pasce oves meas[3] ».

V. De variis interpretationibus SS. Patrum. — Testimonia veterum modo relata luculentissime probant tum authenticitatem textuum in favorem primatus tum veritatem interpretationis catholicæ : tot enim regiones et tempora varia non concordarent nisi primatus Petri ab omnibus antiquis agnitus fuisset. Nihilominus quædam interpretationes apparenter contrariæ S. Patrum extant

1. Cyrillus Alex., *De SS. Trinitate,* dial. 4 ; P. G., lxxv, 865.
2. *Comment, in Luc. ;* P. G., lxxii, 916.
3. Epiphanius, *Adversus haer.,* lix, 7-8 ; P. G., xli, 1029.

quæ iam olim collectæ fuerunt ab illis theologis qui primatum iurisdictionis R. Pontificis impugnarunt, præeunte Launoyo. Eædem, sub tempore Concilii Vatic, in libello quodam « Quæstio » recensentur : et hic octo testes exhibentur qui v. g. verba « Super hanc petram » de omnibus apostolis intellexerint, quadraginta quatuor qui ea sumunt pro fide quam petrus confessus est, sexdecim eadem in Christum interpretantur, pauci in coetum fidelium[1].

Pro interpretatione : *petra — Christus,* præcipue adducitur S. Augustinus. Scribit enim (Retract., i, 21) : « scio me sæpissime sic exposuisse quod a Domino dictum est : Tu es Petrus..., ut super hunc intelligeretur quem confessus est Petrus, dicens : Tu es Christus, filius Dei vivi... Non enim dictum est illi : Tu es petra, sed tu es Petrus. Petra autem erat Christus ». Deinde iudicium de utraque interpretatione lectori committit.

Ad hoc dicendum : *a)* S. Augustinus repetitis vicibus Petro absolute principatum attribuit. Ita serm. 76, c. n, n. 2 : « Petrus... ecclesiæ figuram portans, apostolatus principatum tenens... » « Propter primatum quem in discipulis habuit » *{en. in ps.* cvm, n. 1). « Petrus... factus est pastor ecclesiæ, sicut Moyses... factus est rector illius synagogæ » (C. Faust., l. XXII, c. lxx). Similiter, ut videbimus, Augustinus primatum Romani Pontificis agnoscebat. In hoc Augustinus *testis* traditionis existit.

b) Ratio difficullalis pro S. Augustino fuit diversitas vocis « Petri » et « petræ », cum tamen in lingua aramaica utrique nomini una vox « Kepha » respondeat. Ita S. Augustinus ut grammaticus erravit.

c) Doctrina quam S. Augustinus proponit, non est interpretatio literalis textus, sed *explicatio theologica* textus et rei. Procedit enim a principio : petra (Ecclesiæ) est Christus (7 *Cor., x,* 4). Simul tenet, etiam Petrum esse fundamentum Ecclesiæ. Utramque rem coniungit per doctrinam vel conclusionem theologicam : super Christum ut fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. In cuius sententiæ confirmationem Augustinus derivationem vocis « petros » a « petra » adducit. Ita in semi. LXXVI, c. i,

1. Cf. Dorsch, *De Ecclesia,* p. 107.

η. 1 : « Quia enim Christus petra, Petrus populus Christianus. Petra enim *principale* nomen est. Ideo Petrus a petra, non petra a Petro : quomodo non a Christiano Christus, sed a Christo christianus vocatur. » Similiter docet in Ioa., tract. 124, 5, ubi adiungit : « Super hanc ergo, inquit (Christus), petram quam professus es, ædificabo ecclesiam meam. Petra enim erat Christus': super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. » « Super m»· ædificabo te, non me super te » (Serm. LXXVI,c.i,n. 1).

S. Augustinus igitur non negat quod antea docuerat, approbando verba Cypriani : (Petrum) primum Dominus elegit et super quem aedificavit ecclesiam suam » (De Bapt. c. Don., l. II, c. i, n. 2) ; sed nunc docet, Ecclesiam *principaliter* super Christum esse ædificatam. Simili modo postea *Leo* M. verba Christi reddit (Serm. II in annivers. as. n. 2) : « Ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus ; i. e. cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis..., ego fundamentum præter quod nemo potést aliud ponere, tamen *lu quoque petra es,* quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi metum participatione communia. » Ita denique S. Thomas modo scholastico distinguit. « Estne Christus, ait, et Petrus fundamentum ? Dicendum quod Christus secundum se, sed Petrus... inquantum vicarius eius » (in Matth., c. xvi).

Facile explicatur quomodo et qua ratione Ecclesia *super fidem Petri* ædificata dicatur. Ecclesia enim ut institutum Christi, ut corpus mysticum Christi, ut societas fidelium fidem in Christum ut lilium Dei incarnatum supponit. Atque id præcise SS. Patres inculcare intendunt. Pugnantes enim contra Arianos, negantes divinitatem Verbi, PP. in hoc insistunt quod religio Christiana in fide divinitatis Christi fundatur et quod propterea Petrus, confitendo Christum filium Dei, in caput et fundamentum Ecclesiæ sit institutus, et quod insuper per orationem Domini in fide Christiana sit confirmatus et quod grex Christi a Petro pabulo fidei christianæ sit pascendus. « Petrus igitur cum fide nobis proponitur ; ei enim prout revelatione coelesti est illustratus et prout eam revelationem fide amplectitur et profitetur, facta est promissio1. »

1. Knabenbauer, *Comment, in Mt.,* in h. l.

Fides igitur Petri dicitur fundamentum Ecclesiæ, neque ut est virtus personalis Petri neque exclusa persona Petri, sed ut est qualificatio Petri, i. e. inclusa persona Petri : per Petrum Ecclesia in vera fide conservabitur ac confirmabitur atque ita usque ad finem mundi persistet[1].

Similiter Ecclesia *super omnes Aposlolos* fundata dicitur. Ecclesia enim fundata est super doctrinam quam Apostoli ex missione et in auctoritate Christi prædicaverunt. Unde et Apostolus Paulus ad Ephesios scribit : « Superædificati super fundamentum Apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo lesu » (Eph., n, 20). Id quod S. Thomas ita explicat : « Qui (apostoli et prophetæ) intantum dicuntur fundamenta inquantum eorum doctrina Christum annuntiant » (Comment, in h. l.). Adiungit : « Idem est dicere Christum esse fundamentum et doctrinam Apostolorum et prophetarum cum Christum tantum, non seipsos praedicaverint ; unde accipere eorum doctrinam est accipere Christum crucifixum » (l. c.). Paulus vero in verbis adductis specialiter Ephesiis gratulatur quod per Apostolos et prophetas magnum mysterium vocationis gentium ad Ecclesiam cognoverint et inde « iam non hospites et advenæ, sed cives sanctorum et domestici Dei et superaedificati... in summo angulari lapide Christo lesu » facti fuerint.

Ultimo Petrus dicitur accepisse claves tanquam « *figura Ecclesiæ* ». Adversarii hoc ita interpretantur ac si Petrus claves tantum tanquam repræsentans Ecclesiæ acceperit. In qua tamen assertione habetur æquivocatio. Potest enim aliquis esse repræsentans duplici modo : uno modo tanquam delegatus, i. e. ex commissione aliorum, ut præsidens cameræ deputatorum, alio vero modo munere suo : ita rex est repræsentans regni. lamvero S. PP. nullo modo somniaverunt, B. Petrum vel R. Pontificem figuram Ecclesiæ gerere tanquam delegatum ab Ecclesia, sed e contra tenent, ipsum Ecclesiam repræsentare tanquam funda-

1. Ipse S. Thomas, qui certe primatum Petri et Romani pontificis agnovit, in II, 11, q. clxxiv, a. 6 scribit : « In tempore gratiæ (i. e. in N. T.) super revelatione facta Apostolis de fide unitatis et Trinitatis (Dei) fundatur tota fides Ecclesiæ, secundum illud Matthæi 16 : super hanc petram, sc. confessionis tuæ, ædificabo Ecclesiam meam ».

mentum divinitus positum et tanquam caput vel vicarium Christi. Atque hoc inculcant contra Tertullianum et Montanistas dicentes Petrum tantum « personaliter » a Deo claves accepisse, notando munus Petri ad constitutionem perrennem Ecclesiæ pertinere.

Itaque interpretationes apparenter divergentes S. Patrum primatum Petri præsupponnnt atque illum tantum sub ratione quadam theologica explicant, et quidem profundissime. Petrus quidem tanquam caput Ecclesiæ agnoscitur, tamen ut caput sub Christo ; fides Petri fundamentum Ecclesiæ dicitur, tamen ita ut Ecclesia per Petrum semper in vera fide conservetur ; Apostoli fundamentum Ecclesiæ affirmantur, tamen sub gubernio Petri ; Petrus figura et repræsentans Ecclesiæ dicitur, tamen ratione officii pastoris supremi. Unde merito Cone. Vatie, ad consensum perpetuum Ecclesiæ provocat, ac certe interpretatio protestantica sicut est contra tenorem S. Scripturæ ita et contra sensum Ecclesiæ veteris est.

Conclusio. — Quibus omnibus ex testimoniis tum S. Scripturæ tum traditionis ecclesiastic® certo constat :

1. S. Petrus præ omnibus aliis Apostolis *locum specialem.* in Ecclesia tenet, sc. fundamenti, capitis, clavigeri et pastoris fidelium.

2. Huiusmodi positio Petro competit *ex voluntate, ordinatione et determinatione Christi ipsius,* non vero ex posteriori institutione Ecclesiæ neque ex delegatione neque ex evolutione historica.

3. S. Petrus habet primatum *iurisdictionis* : nam testimonia minime insinuant, Petri præminentiam esse ex delegatione Ecclesiæ vel officium ab Ecclesia commissum (primatus inspectionis vel directionis), sed e contra omnia testimonia Petrum exhibent ut caput, fundamentum, clavigerum et pastorem divinitus institutum adeoque ut a Christo ipso consecutum potestatem super fideles (primatus iurisdictionis)1.

1. Immo notare oportet : idea primatus meræ inspectionis vel directionis ante reformatidnem in Ecclesia ne quidem extitit, sed tantum modo postea in Ecclesiam introducta est, partira

4. Potestas Petri extenditur *ad universam Ecclesiam* omnesque fideles, cum tota Ecclesia super Petrum sit ædificanda, omnes fideles ab ipso pascendi, claves ipsius regni coelorum ipsi sint commissi.

5. Denique primatus Petri non est charisma Petri personale sed munus ad Ecclesiæ constitutionem pertinens adeoque *perpetuo duraturum* in suis successoribus, ut Ecclesia Christi cuius cumque temporis super b. Petrum sit ædificata ab eoque pascatur ac confirmetur.

ex protestantisme, partim ex doctrina politica. Atque certo certius veteres, cum Petrum caput, pastorem et principem vocant, huiusmodi terminos in sensu illius temporis intelligunt, non vero secundum idoologiam vel terminologiam sæc. xvi et sequentium.

ARTICULUS QUADRAGESIMUS SEXTUS

De sede Romana S. Petri

I. Doctrina catholica. — Petrus secundum Actus Apostolorum primo quidem cum aliis Apostolis per quoddam tempus Jerusalem commoratus est (c. i ss.; *Gal.,* c. u); deinde secundum Eusebium (ad a. 2058) Antiochiæ primam Ecclesiam fundavit; denique tamen secundumConc*. Vatie. Sedem Romanam fundavit suoque sanguine consecravit; unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet (Sess. IV, ‹·. n).

II. Status quaestionis. — Usque ad sæc. xiii, teste Grotio (Annot. in Pet., v, 13) : « Romæ Petrum fuisse, nemo vero christianus dubitavit « : idem vel hæretici et pagani professi sunt. Rem esse dubiam, primo Waldenses et Marsilius Patavinus (in opere *Defensor pacis)* praetenderunt. Primus *Ulricas Velenus* a. 1520 contendit, Petrum Romæ non fuisse sed Hierosolymis passum esse. Quam sententiam ab hinc Protestantes communiter secuti sunt ac principaliter schola dicta Tuebingensis eam defendit (F. Ch. Baur, Zeller, Lipsius, Langen). Cf. de Groot, De Ecclesia, q. xv, a. 1, n. 2. Ex recentioribus plures protestantes (e. *g.* Hilgenfeld, Weizsàcker) admittunt, Petrum Romæ martyrium subiisse; immo Harnack confitetur, martyrium romanum Petri olim propter motiva protestantica et ex rationibus futilibus negatum fuisse atque errorem nunc esse apertum1. Insistunt tamen moderni in negatione episcopatus romani S. Petri.

III. Modus tractandi de commoratione romana S. Petri. — Factum commorationis et episcopatus Romani S. Petri tripliciter considerari potest. Primo ut factum pure histo-

1. *Die Chronologie der allch. Lit.,* 1897, p. 244. Cf. H. Lietzmann, *Petrus und Paulus in Rom,* 1915.

ricum : et sic pertinet ad historiam ecclesiasticam. Secundo ut dogma fidei : et sic ad theologiam dogmaticam pertinet. Tertio ut medium in demonstratione scientifica primatus Pontificis Romani. Theologia igitur apologetica episcopatum R. Petri tanquam fundamentum rationale successionis Romanorum Pontificum in primatu Petri considerat : supposito enim, Petrum a Christo accepisse primatum et quidem perpetuo duraturum, et Petrum cathedram suam Romæ collocasse, rationabiliter sequitur, Pontifices Romanos esse successores Petri in primatu.

IV. Sacra Scriptura circa commorationem romanam S. Petri.

S. Scriptura refert quidem actus quosdam Petri in Ecclesia primitiva Hierosolymitana (Ach, c. i-x ii) et continet duas epistulas Petri; nil tamen directe de ulteriori commoratione Petri narrat. Indirecte tantum in fine epistulæ primæ epistula tanquam Romæ scripta indicatur. Subiungit enim Petrus) : « Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone coelecta (v, 13). Nomine « Babylonis » significari Romam testantur veteres interpretes,, ut Papias et Clemens Alex. (cf. Euseb., *Hist. eccl.,* n, 14, 15), neque habetur Contraria traditio in favorem neque Babylonis antiquæ (quæ de reliquo deserta erat) neque Babylonis novæ (vel Seleuciæ) neque Babylonis in Ægypto neque Hierosolymæ. Denique « Babylon » erat figura Romæ ludæis notissima et aptissima : Babylon enim fuit civitas potens, elata, populo Dei inimica.

Cur vero S. *Scriptura non expresse commorationem Petri romanam referat,* facile explicatur. Protestantes quidem supponunt, locum cathedræ Petri necessario in S. Scriptura fuisse indicandum : at immerito, quia sufficiens erat, cathedram S. Petri alio modo Ecclesiæ fuisse notam. Actus deinde Apostolorum non intendunt ennarrare *omnem* historiam apostolorum, sed tantum historiam Ecclesiæ primitivæ Ilierosolymitanæ, cum apostoli adhuc Jerusalem remanserint, et historiam missionis inter paganos vel fundationem ecclesiarum S. Pauli. Denique ratio positiva vetabat publicare commorationem Petri ne periculum ipsi crearetur, præsertim ob invidiam ludæorum cl magistratuum romanorum.

Neque tamen aliquid contrarii ex. Scriptura S. deduci potest.

– Obicitur *primo silentium S. Pauli* de Petro in ep. ad Romanos vel in ep. ex Italia scriptis (ad *Phitipp.,* ad *Coi.,* ad *Ephes.,* ad *Phil.,* n, ad *Tim., ad Ileb.'),* similiter silentium *Aci.,* xxvni, 16 ss. — At hoc argumentum ex silentio nil probat. Nam non constat, S. Petrum illo tempore Romæ fuisse cum Paulus ad Romanos scriberet vel ex Italia ad alias Ecclesias : Petrus enim, ut Apostolus, gravem habuit obligationem exercendi munus missionarii, ita ut. etsi Romæ sedem suam collocasset, tamen ibi vix regulariter permanere potuisset.

Secundo obiciuntur quædani *facta* apparenter contraria. Ita S. Paulus narrat *(II Tim.,* iv, 16) : « *In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me derelinquerunt.* » At, supposito, Petrum tunc Romæ commorasse, quomodo Paulo coram iudice patrocinari potuisset ? Quærela igitur S. Pauli contra alios dirigitur. S. Paulus affirmat, se non praedicare, ubi Evangelium iam annuntiatum fuerit, *ne super alienum fundamentum* ædiflearet *(Rom., xv,* 20). At per hoc non excluditur, Petrum Romanis Christum annuntiasse. Certe Paulus, non obstante regula posita, durante captivitate sua Christum Romæ prædicare potuit, imrno debuit. De ‹ictero, conforiniter ad suam regulam, Paulus non nisi *ad confirmandos* Romanos et *praeteriens* Romam venire cupivit. *(Horn,,* i, 11 ; xv, 24).

V. Thesis : B. Petrum Romæ fuisse mortuum, ibique sedem suam collocasse, ex testimoniis veterum constat.

I. *Prob.* 1° c.r *testimonio Ecclesiæ Romanæ.* ——Primum testimonium habetur ex parte Ecclesiæ romanæ — uti expectanduin est. : nam ipsa ecclesia romana principaliter et præ omnibus aliis testimonium ferre potest ac debet utrum Petrus Romæ fuerit. In ep. ad Corinthios ecclesia romana per Clementem Rom. proponit exempla illorum qui, « propter zelum et invidiam », mala passi sunt. Propositis exemplis ex V. T. ep. continuat c. v s. : « Sed ut vetera exempla relinquamus, ad proximos athletas veniamus ; sæculi nostri generosa exempla proponamus. Propter zelum et invidiam, qui maximæ et iustissimæ coluinnæ

«rant, persecutionem passi sunt et usque ad mortem certaverunt. Ponamus nobis ante oculos bonos apostolos : Petrum qui propter zelum iniquum non unum aut alterum sed plures labores sustulit atque ita martyrium passus in debitum gloriæ locum discessit. Propter zelum et contentionem Paulus patientiæ praemium exhibuit... et martyrium subiit... Viris istis... magna electorum multitudo aggregata est qui suppliciis multis et tormentis... exemplar optimum *inter nos extilerunt.* Propter zelum persecutionem passae mulieres Danaidæ et Dircae... » Petrus igitur inter Romanos mortuus exhibetur. Hoc testimonium Romanum per saecula continuatur.

Prob. 2°. *Ex testimonio aliarum ecclesiarum.* — Accedit tamen testimonium positivum aliarum Ecclesiarum. Primo quidem Ecclesiæ *Antiochenae,* testis maxime qualiflcati. Ecquidem Ignatius Ant. in ep. ad Rom. scribit : « Non ut Petrus et Paulus vobis præcipio », id quod supponit, Petrum et Paulum Romanis præcepta dedisse. Ecclesia *Corinthiorum* per Dionysium Ep. testatur, Petrum et Paulum ecclesiam tum Corinthiorum tum Romanorum docuisse[1].

Testimonium ecclesiarum tum *Asiae* tum *Galliæ* S. *Irenaeus* exhibet, dicens : « Matthæus in hebræis ipsorum lingua scriptum edidit evangelium, cum Petrus et Paulus Romæ evangelizarent et fundarent Ecclesiam[2]. » Unde Ecclesiam Romanam « a gloriossimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ fundatam et constitutam Ecclesiam » vocat (I. c., in, 3, 2), atque subiungit : « Fundantes igitur et instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino episcopatum adminislrandæ Ecclesiæ tradiderunt » (1. c. m, 3, 3).

Africam Tertullianus repræsentat. Ipse scribit : « Videamus..., quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Evangelium et Petrus et Paulus, sanguine quoque suo signatum, reliquerunt[3]. » Idem Romanam Ecclesiam felicem vocat, sc. « cui totam doctrinam apostolicam sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni dominicæ adæquatur,

1. *Apud* Eusebium, *H. E.,* n, 25, 8.
2. *Adv. Hær.,* in, 1.
3. *Adv. Marc.,* iv, 5.

ubi Paulus Johannis exitu coronatur[1]. » *Eusebius* vero testimonium totius orientis græci refert, scribendo : « Petrus Apostolus, cum Antiochiæ primam fundasset Ecclesiam, Romam proficiscitur prædicans evangelium ; ipse post antiochenam ecclesiam etiam Romanæ praesidebat usque ad obitum suum » (ad a. 2058). Atque denique nulla Ecclesia contradicit.

Prob. 3°. *Ex sepulcro romano S. Pelri.* — Eusebius, postquam retulerat : « Paulus quidem Romæ capite truncatus, Petrus vero cruci suffixus fuisse eodem Nerone regnante traduntur », adiungit : « Quam quidem narrationem *abunde confirmant* Petri Paulique nomine insignita monumenta quæ in urbis Roinæ coemeteriis etiam nunc visuntur ». Et testem adducit Caium, virum catholicum qui Zephirini romanæ urbis episcopi temporibus floruit ; ita quidem loquentem : « Ego vero apostolorum tropæa possum ostendere ; nam sive in Vaticanum sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropæa eorum qui Ecclesiam illam fundarunt[2]. »

Ac certe sepulcrum Petri magnam vim argumenti habet[3]. Nam veritas huius testimonii confirmatur multipliciter. Primo enim accedit testimonium Ecclesiæ Romanæ quæ semper sepulcrum Petri venerata est[4]. Secundo accedit testimonium sive directum sive indirectum aliarum ecclesiarum : nunquam enim alia quædam ecclesia veritatem sepulcri romani negavit vel sepulcrum Petri sibi vindicavit: id quod inevitabiliter contigisset si Petrus alio in loco mortuus vel sepultus fuisset ; altera ex parte pii peregrini ex toto orbe catholico ad venerandum corpus et sepulcrum Petri Romam venerunt. Liceat tertio adiungere testimonium imperatoris *Constantini* qui sc. sepulcrum b. Petri

1. *De præscripL,* xxxvi.
2. Eusebius, *II. E.,* II, xxv, 5-7.
3. **J**. Wilpert, *La tomba di San Pietro* Romæ 1922. H. Grisar, *Homa alla fine det mondo antico* η. 183-192.
4. Liber Pontificalis habet de S. Anacleto (103) : « Hic memoriam beati Petri construxit et composuit, dum presbyter factus fuisset a beato Petro... Ubi autem et ipse sepultus est iuxta corpus beati Petri. » Duchesne, *Lib. Pontif.,* i, 125 : *XIigne tat.,* 127, 1115.

magnifice exornavit. « Liber Pontificalis » hæc habet : « Item his temporibus (papæ Silvestri) fecit Augustus Constantinus, ex rogatu Silvestri episcopi, basilicam beato Petro apostolo in templo Apollinis. Cuius loculum cum corpore S. Petri recondidit, ipsum loculum undique ex ære cyprio conclusit, quod est immobile. Ad caput (sc. loculi) pedes quinque, ad pedes pedes quinque, ad latus dextrum pedes quinque, ad latus sinistrum pedes quinque, subtus pedes quinque, supra pedes quinque. Sic inclusit corpus b. Petri apostoli et recondidit et ornavit supra ex columnis porphyreticis et alias columnas vitineas quas de Græcia perduxit. Fecit autem et cameram basilicae ex trimma auri fulgentem. Et super corpus beati Petri et æs quod conclusit, fecit crucem ex auro purissimo, pensantem libras centum quinquaginta, in mensuram loci (loculi). Ubi scriptum est hoc : Constantinus Augustus et Helena Augusta hanc domum regali simili fulgore coruscans aula circumdat, scriptum ex literis puris nigellis in cruce...l. » Habes hic quasi sigillum publicum imperatoris pro veritate sepulcri S. Petri!

Prob. 4° *ex facio publico successionis romanorum Pontificum in sede Petri.* — Romani Pontifices in tota Ecclesia tanquam successores B. Petri in episcopatu romano agnoscuntur. Primo loco catalogi antiquissimi episcoporum romanorum omnes a Petro tanquam a primo qui in Sede Romana sederit, incipiunt[1]. Secundo : Romani Pontifices expressis verbis tanquam successores in cathedra Petri agnoscuntur. Ita vel Tertullianus Papam Stephanum tanquam successorem Petri agnoscit, licet praetendat potestatem Petro « personaliter » collatam fuisse. Idem apud Firmilianum Cappadocem apparet. Cyprianus expressq scribit . « Factus est Cornelius episcopus..., cum Fabiani locus, i. e. cum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret[3]. » Postmodum testimonia abundant[4]. Agitur

1. Duchesne, l. c., i, 176 ; P. L., cxxvn, 1518.

2. Irenæus, *Adv. hær.,* m, 3 ; Hegesippus, apud *Eusebium, H. E.,* iv, 8 ; Eusebius, *H. E.,* m, 2 ; *Catalogus Liberianus,* etc

3. *Ep. LUI,* 8.

4. Optatus Milev., *De schismate Donati,* n, 3 ; Augustinus, *Ep. LIII ad Generosum ;* Epiphanius, *Hær.,* xxvii, n. 6.

igitur de *facto publico et notorio,* non tantum documentis cari accis, sed vila et actione publica confirmato. Id quod simul de argumento sequenti valet.

Prob. 5° *ex primalu Romanorum Pontificum.* — Uti ari seq. ostendemus, tota Ecclesia episcopos Romanos tanquam centrum Ecclesiæ agnovit. lamvero *ratio* et *causa* ob quam Romano Pontifici primatus attribuitur, nunquam alia erat quam quod sit *successor Petri in cathedra Romana.* Sicut igitur tota Ecclesia testimonium fert pro veritate primatus R. Pontificis, ita simul pro veritate episcopatus romani B. Petri[1].

VI. Difficultates protestantium circa episcopatum romanum S. Petri. — Uti iam diximus, Protestantes principaliter negant, Petrum fuisse episcopum Romanorum. Quæ tamen negatio in duplici *falso supposito* fundatur. Nam primo immerito generaliter negant existentiam episcopatus in tempore apostolico, secundo falso supponunt, Petrum non potuisse esse episcopum Romanorum et simul exercere munus missionarii vel Apostoli.

Attamen episcopatus Romanus S. Petri, probata eius commoratione et activitate in urbe Roma, vix speciali demonstratione indiget. Petrus enim, ut Apostolus, ubi evangelium prædicavit et Ecclesias fundavit, necessario munus episcopale exercuit. Sicut S. Paulus fuit episcopus « proprius » Ecclesiarum a se fundatarum, ita etiam S. Petrus. nisi forte in aliqua Ecclesia episcopum « proprium » instituerit : id quoti quoad Ecclesiam Romanam nullo modo est traditum, immo positive excluditur per constantem traditionem quæ Petrum usque ad mortem tanquam episcopum ecclesiæ Romanæ exhibet.

Attendendum est igitur ad conditiones particulares temporis apostolici vel apostolorum ipsorum, ut recte intelligatur quo sensu et quibus sub conditionibus specialibus Petrus Romæ cathedram suam collocasse dicatur. Ad rem optime Van Noort : « Ut Petrus episcopus romanus fuerit, nihil aliud requiritur quam ut specialem huius

1. Cf. Guidi, *Resecanto,* p. 162 apud Iungmann, *Dissert, in hist, eccl.,* i, 37.

Ecclesiæ curam per ultimum vitæ suæ stadium habitualiter gesserit, etsi interim satis diu abfuerit ad evangelium alibi prædicandum et forte etiam auxiliarem episcopum sibi constituerit[1] ». Itaque, sicut in ecclesia primitiva, primis annis post ascensum Domini, lerusalem fuit sedes episcopalis et centrum, ita, post dispersionem apostolorum, Petrus pruno Antiochiam in sedem et centrum elegit ac denique Romam. Inde denique traditio antiqua de sede romana S. Petri facile intelligitur ac episcopatus romanus Petri omnino constat[2].

1. *De Ecclesia,* p. 65.
2. De reliquo ad libros historiae ecclesiastic® remittimus.

ARTICULUS QUADRAGESIMUS SEPTIMUS

De Romano Pontifice ut successore Petri in primatu

I. Doctrina catholica. — Conc. Vatie., postquam declaraverat B. Petrum a Christo Domino claves regni accepisse, continuat : « qui (Petrus) ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus episcopis sanctæ Romanæ Sedis... vivit et præsidet et indicium exercet. Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit... Inde Conc. definit : « Si quis dixerit... Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem, a. s. » Simul repetit definitionem Conc. Florentini, dogmatizantis « sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, el ipsum Pontificem Romanum successorem esse heali Petri, principis Apostolorum, et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiæ caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere ; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro plenam potestatem traditam esse » (Sees. IV, c. m, 4).

Secundum igitur dogma catholicum Romanus Pontifex : *a)* est successor Petri in primatu super universam Ecclesiam ; *b)* habens eamdem potestatem, quam Petrus ut caput Ecclesiæ a Christo Domino acceperat; c) non ex institutione vel voluntate Ecclesiæ vel quibuscumque ex rationibus historicis sed ex voluntate Christi, disponentis sc. quod potestas Petro collata in suis successoribus legitimis usque ad finem mundi perduraret.

Totum dogma negatur a Photianis, llusitis et Wicclefitis, a Protestantibus, Vetero-catholicis et Modernistis, ut iam supra exposuimus.

11. Thesis : Romanus Pontifex est successor Petri in primatu.

Prob. 1°: Ex S. Scriptura. — Supra, art. 43 s., probavimus, secundum S. Scripturam, b. Petrum ex institutione divina habere perpetuos in primatu successores. Atqui Romanus Pontifex isque solus tanquam successor Petri in primatu agnoscitur. Ergo R. Pontifex vi promissionis Christi legilimus est Petri in primatu successor.

Explic. Ex mirabili quadam divinæ providentia^ dispositione factum est ut Romani Pontifices non tantum semper in Ecclesia tanquam successores Petri agnoscerentur, sed insuper in decursu totius historiae nullus alius episcopus successionem Petri sibi arrogasset. Atque ut viilimus in hac nunquam interrupta et publica successione Romanorum Pontificum præcipue nota apostolicitatis Ecclesiæ elucet. Simul tamen hoc factum legitimitatem successionis Romanorum Pontificum ostendit : probat enim, Humanos Pontifices secundum testimonium omnium ita manifeste Petro in primatu successisse ut nullus alius episcopus contradicere ausus fuerit. Nec ipse Photius, cum prætenderet, primatum cum imperatoribus Constantinopolim transmigrasse, se esse successorem Petri unquam asserere ausus estl. Inde vi promissionis divinæ Romanus Pontifex ipso facto tanquam legitimus successor Petri in primatu apparet.

Prob. 2° argumento a posteriori. — Uti supra, a. 24 et 26, vidimus, in Rom. Pontificibus speciale auxilium divinum manifeste apparet, tum quantum ad successionem nunquam interruptam (apostolicitas), tum quantum ad vim sanctificam, cum sc. Deus opus suum sanctificum principaliter per Ecclesiam Romanam et per Rom. Pontifices operatus sit, ut conversionem mundi ad fidem christianam, conservationem fidei, promotionem vitæ et sanctitatis christianæ (sanctitas). Atqui tale auxilium Dei speciale el supernaturale esset impossibile si Rom. Pontifex non

I. Cf. Hergenrôtiier, *Photius,* i, 657 ; m, 336. Theoph. Hahapin, *Primatus Pontificis Poinani in conc. chalc.,* Quaracchi 1923.

esset revera vicarius Christi et successor Petri in primatu divinitus instituto.

Expl. Quodsi Rom. Pontifex *re vera* non esset vicarius Christi, esset maximus adversarius Christi et Dei, immo merito Antichristus vocari posset. Rom. enim Pontifex in Ecclesia ut vicarius Christi admittitur, imperat in nomine Christi et Dei, ipsi obædientia præstatur ut voluntati et ordinationi Christi satisfiat : quæ omnia essent non tantum inania, sed perversa, horrenda, voluntati Christi maxime contraria, si sc. Rom. Pontifex non *revera* esset vicarius Christi, neque Deus tali adversario speciale et manifestum auxilium præstare posset. Itaque Deus ipse veritatem primatus Rom. Pontificum per copiam auxilii divini manifeste comprobat[1].

Prob. 3°. Ex testimoniis veterum. A. Prænotamina.

et) Sicut alia dogmata vel instituta Christi, ita et dogma et institutum primatus in Ecclesia non ab omni initio, sed succedentibus tantum temporibus magis magisque explicite cognitum est. Neque ratio adest cur dogma primatus præter regulam communem statim perfecte cognitum fuerit, sed e contra ex natura sua paulatim tantum explicationem habere potuit : prius enim primatum actu exerceri oportebat antequam perfecte cognosci potuisset.

b) Simul inde nihil obstat quin in determinanda natura primatus errores intervenire potuerint ; sicut iterum in aliis veritatibus revelatis explicandis contigit. Immo hoc quam maxime in determinanda natura primatus accidere potuit, quinimmo necessitate quadam morali accidere oportuit. Nam institutum primatus erat res omnino nova, non habens simile in historia humanitatis vel aliarum religionum. Quapropter in testimoniis vel ipsorum S. Patrum distinguendum est inter rem assertam et modum explicandi vel intclligendi.

c) Denique ex parte R. Pontificum distinguendum est inter *ius* primatus ipsum et inter *applicationem vel execu-*

1. *Argumenta* igitur pro veritate Ecclesiæ catholicæ *ex notis* simul sunt argumenta pro veritate primatus Romani Pontificis : nam Ecclesia catholico-romana proprie est illa quæ Romanum Pontificem sequitur.

lionein huius iuris : ipso enim iure indubie existente applicatio vel executio modificationes diversas subire potest ; similiter ex parte fidelium vel etiam episcoporum distinguendum est inter *agnitionem* primatus et *obœdientiam* præstitam : nam agnito etiam iure vel potestate, saltem in generali vel in confuso, subditi, sive ex malitia sive aliis ex rationibus, obœdientiam debitam quandoque denegare potuerunt.

Clemens scribit ex officio, non tantum consilia dat sed ordinationes ; scribit quin rogatus fuerit (i, 1 ; xlvii, 6, 7) ; se excusat quod tardius ad res Corinthiorum se converterit (i, 1) ; declarat Deum per seipsum ad Corinthios scribere (xlix, 1 ; lxiii, 2) ; obædientiam exspectat ad quam Corinthii sub peccato tenentur : « Gaudium et lætitiam nobis praestabitis si obædientes facti iis quæ scripsimus per Spiritum S... » (lxiii, 2) ; « sin autem quidam non obtemperaverint iis quæ ille (Deus) per nos dixit, cognoscant, offensioni et periculo non parvo sese implicaturos esse ; nos autem innocentes erimus ab hoc peccato » (lix, 1,2); denique duos delegatos mittit qui ipsum de pace et concordia restabilita certificent (lxv). Quæ omnia ostendunt ad officium curamque Ecclesiæ Romanæ pertinere ut Corinthii brevi ad pacem perveniant (lxiii, 4). Unde vel ipse Harnack admittit, in ep. Clementis « primatum de facto » (« faktischer Primat») ecclesiæ Romanæ enuntiari.

Undenam hæc potestas ecclesiæ romanæ super ecclesiam Corinthiorum ? Clemens originem vel rationem huius potestatis expresse non indicat. Tamen ex ipsa epistola sufficienter patet, potestatem talem non esse ex conditione civili urbis romanæ, sed ex institutione quadam divina. Nam tota epistola principium inculcat, constitutionem et ordinem Ecclesia· esse ex voluntate et institutione Christi. Quodsi rationem potestatis propriæ et officii Ecclesiæ romanæ non indicat, eam tanquam Corinthiis omnino notam supponit. lamvero nulla alia ordinatio divina extat vel in Ecclesia aliquando agnoscebatur nisi institutio Petri in caput Ecclesiæ et successio in sede romana. Itaque ep. Clementis directe quidem primatum Romanæ Ecclesiæ testificatur, indirecte tamen simul fundamentum primatus Romanorum Pontificum.

Simul etiam primatus Ecclesiæ Romanæ *super universam Ecclesiam* testificatur. Nam nulla adest ratio ob quam ecclesia Romana specialiter vel tantum super ecclesiam Corinthiorum potestatem habuerit. Etenim ecclesia Corinthiorum non fuit fundata ab Ecclesia Romana neque ad Italiam pertinet. Unde ratio potestatis Ecclesiæ Romanæ necessario est universalis, i. e. Ecclesia Romana sicut super Ecclesiam Corinthi, ita et super alias ecclesias potestatem habet.

2. Celebre testimonium *Ignatius Ani.* exhibet. Ipse enim in ep. ad Rom. ecclesiam romanam *tanquam ecclesiam capitalem et præsidentem prædical.* Id quod ex rationibus sequentibus patet.

a) Ex titulo emphalico quem Ignatius ecclesiæ romanæ tribuit, sc. « *ecclesiæ misericordiam consecutæ in magnificentia Patris altissimi et lesu Christi, filii eius unici* » — « *ecclesiæ dilcclæ et illuminatae voluntate eius* » (inscript). Ecclesia igitur romana speciale donum gratiæ a Deo et Christo accepit (misericordiam consecuta), donum quoddam quod tantum Dei potestas et magnitudo conferre potest (in magnificentia Patris altissimi). Similiter ecclesia romana est obiectum specialis illuminationis et dilectionis Dei (ecclesia dilecta et illuminata voluntate eius). Accedunt alia encomia emphatica quæ specialem conditionem ecclesiæ romanæ supponunt, præsertim si comparentur cum titulis aliis ecclesiis attributis (cf. inscript. ad *Eph., Mag. Trail., Phil., Smyrn.).*

b) Inter alios titulos ponitur quod Ecclesia romana « *præsidel in loco regionis Romanorum* ». « Præsidere » (προκάθηται) cum dicitur de ecclesia, secundum significationem obviam præsidentiam exprimit. Huiusmodi præsidium hic absolute prædicatur, quin sc. exprimatur obiectum præsidii ; tantum indicatur locus in quo præsideat, sc. in locol regionis romanorum. Sensus igitur est : Ecclesia Romæ præsidens, i. e. ecclesia Romana præsidium habet, est ecclesia præsidens, ecclesia capitalis. Cui præsideat, hoc loco non indicatur, sed potius absolute prædicatur : ecclesia capitalis[1].

c) Ignatius in encomüs prosequitur et adiungit : « *universo cælui caritatis præsidens* ». Textus græcus fert : προκαθήμενη τή αγάπη . Vox « præsidere », ut iam vidimus, secundum sensum obvium præsidium, potestatem, gubernium significat. « Dilectio vel caritas » (αγάπη) primario quidem virtutem caritatis significat, at simul etiam *commu-*

1. Alii, licet absque fundamento, nolunt legere : ἐν sed ἐν τυπψ.

2. Quidam tanquam obiectum præsidii ecclesias romanas indicanlal. Ignatius unam tantumeeelesiam Romanam nominal. Minus adhuc valet effugium de præsidentia super ecclesias syiriqrb/çàs rlas. ---- <?·*

nilalem christianam. Et quidem Ignatius repetitis vicibus termino «ἀγάπη, dilectio, caritas » utitur ad significandam aliquam ecclesiam vel fideles alicuius ecclesiæ, ut *Trail.,* x iii, 1 : «salutat vos caritas Smyrnæorum et Epliesinorum » ; *Philad.,* xi, 2 : « Salutat vos caritas fratrum in Troade » ; *Smyrn.,* xn, 1 et in ipsa ep. ad *Born.,* ix, 3 : « Salutat vos meus spiritus et caritas ecclesiarum quæ me exceperunt... » (cf. ix, 1). Hoc loco Ignatius terminum : « caritas », absolute adhibet ad significandos omnes fideles vel omnes ecclesias. Unde versio latina optime textum græcum reddit, scribendo : « quæ universo coetui caritatis præsidet ». Ecclesia igitur romana tanquam toti Ecclesiæ præsidens exhibetur[1].

d) Ignatius in ep. ipsa enuntiat quod Ecclesia sua in Syria per *ecclesiam romanam regitur.* Rogat enim Ignatius Romanos : « Memores estote in precibus vestris ecclesiæ Syriæquæ mei loco Deo pastore utitur. *Solus lesus Christus illam vice episcopi reget atque vestra caritas* » (ix, 1). Ecclesia igitur Romana potestatem episcopalem super ecclesiam Antiochenam habet (επισκοπήσει).

e) Huc accedit quod Ignatius ecclesiæ romanæ non vult imperare sed tantum fideles rogat, et quidem modo humillimo ; insuper in ecclesia romana nullam hæresim novit, sed eam e contra « expurgatam ab omni alieno colore » declarat (inscript.).

Ex his omnibus sufficienter patet, Ecclesiam Romanam secundum Ignatiuin esse caput totius Ecclesiæ, ecclesiam capitalem vel principalem, habere præsidium omnium fidelium vel ecclesiarum.

Ratio huius specialis conditionis Ecclesiæ Romanæ ab Ignatio non indicatur, neque Ignatius scribendo ad Romanos illam indicare oportuit. Tamen ratio pro ipso Ignatio non potest esse hæc quod Roma sit caput civile imperii.

1. Pearson, Rotte, Harnack et nunc communiter Protestantes textum ita interpretantur : *quæ in caritate eminet.* At primo præsidere (προκαθήμενη) non habet sensum : « eminere ». Secundo hic terminus regulariter cum genitivo alicuius loci vel societatis usurpatur : Exempla vide apud Funk, Patres apostol. in h. l. Tertio : si eminentia in caritate significanda esset, hic dativus esset adhibendus.

Sicut enim Clemens ita et Ignatius totam constitutionem et omnem ordinem Ecclesiæ ex voluntate Christi deducit. Insuper totus conceptus Ecclesiæ apud Ignatium est ita spiritualis et supernaturalis ut idea dominii temporalis nec locum habere possit. Conditio, dignitas et potestas ecclesiæ Romanæ aliam originem habere nequit nisi voluntatem Dei et Christi. Inde simul alia hypothesis excluditur quod sc. beneficientia maxima Ecclesiæ Romanæ sit ratio præsidii ipsius. Cum igitur nulla alia ordinatio divina extet quam institutio primatus in B. Petro, Ignatius illam tacite subaudit. Certe Ignatius Ecclesiam Romanam tanquam capitalem et principalem agnoscit ac veneratur.

Testimonium Ignatii specialem habel auctoritatem. Ignatius enim tanquam episcopus Antiochenus erat successor Petri in episcopatu Antiocheno. Ex hac ratione est testis qualificatus. Nam in Ecclesia Antiochena traditio de primatu Petri et de sede huius primatus optime nota esse debuit : si enim Petrus Antiochiæ mansisset ac mortuus fuisset, episcopus Antiochenus primatum in Ecclesia obtinuisset. lamvero Ignatius expresse renuit Romanis imperare, e contra expresse Ecclesiam Romanam tanquam principalem ac præsidentem agnoscit. Unde testimonium Ignatii de præsidentia Ecclesiæ Romanæ specialem habet valorem.

Pro *veritate huius testimonii* denique vel *forma* ipsius militat. Nam præsidentia *ecclesiæ* Romanæ attribuitur, quæ est forma antiquissima enunciandi primatum, ut etiam apud Clementem Rom. et apud Irenæuin. Deinde terminus « præsidere » est terminus generalis qui terminos S. Scripturæ (claves, fundamentum, pastor) optime reddit : habemus hic formulam primam græcam pro terminis Salvatoris, formula quæ est fundamentum et radix formularum posteriorum, usque ad terminum primatus iurisdictionis.

Polycarpus primatum romanum *facto* testificatur, cum in quæstione paschali, Romam veniens, ab Anicfeto pacem obtinuit[1].

1. Euseb., *H. E.,* v, 24, 17.

3. Celeberrimum est testimonium S. *Irenæi* quod etiam a Cone. Vatie, adducitur (Sess. IV, c. n). Irenaeus de Ecclesia Romana scribit[1] : « *Ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique*[2]*, conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio* ». His verbis Irenæus testificatur, Ecclesiam Romanam habere principalitatem super alias Omnes ecclesias atque omnes Ecclesias necessario Romanae ecclesiæ conformari sese debere.

Ut vis et ratio huius testimonii facilius et melius intelligatur, iuvabit, connexum huius dicti considerare. Irenæus in tertio libro Adv. hær. probare intendit contra Gnosticos, solam fidem Ecclesiæ catholicæ esse veram. Id quod sic probat : Sola doctrina apostolica est vera doctrina Christi (m, 1-2) : atqui doctrina Apostolorum in sola Ecclesia catholica habetur : ergo doctrina Ecclesiæ catholicæ sola est vera doctrina fidei.

Minor propositio, sc. quod doctrina Apostolorum in sola Ecclesia catholica habeatur, tripliciter probatur, sc. *a)* quia in Ecclesia catholica omnis ecclesia particularis habet eandem fidem, i. e. symbolum apostolicum ; *b)* quia in Ecclesia catholica sunt successores apostolorum (iit, 3, 1) ; c) quia adest testimonium Polycarpi, discipuli apostolorum (m, 3, 4).

Irenæus nunc per paries probare deberet quod omnes ecclesiæ particulares eandem fidem habent, sc. symboli apostolici ; tamen viam abbreviatam ingreditur. Etenim fidem omnium ecclesiarum particularium per fidem Ecclesiæ Romanæ probare incipit, dicendo : « Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximæ et antiquissimæ et ab omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem et adnuntiatam hominibus fidem

1. *Adv. kær.,* in, 3, 2.

2. M. d'Herbigny, loco : « in qua semper *ab his qui sunt undique* » hanc proponit textus correctionem: «in qua' semper *ab episcopis* (sc. Homards) qui sunt undecim ». *Rev. Bénéd.,* janv. 1910, (27), p. 103-108 ; *Theol. de Eccl.,* n2, 159.

per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos qui quoque modo vel per sibi placentiam malam vel vanam gloriam vel per cæcitatem et malam sententiam praeterquam oportet conligunt » (m, 3, 2). Irenæus igitur per fidem Ecclesiæ Romanæ, fidem aliarum Ecclesiam ostendere vult.

Sed qua ratione fides Ecclesiæ Romanæ probat, alias ecclesias habere eandem fidem ? Quia « ad hanc ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam ».

Sensus igitur huius dicti est : *omnis alia Ecclesia necessario eandem fidem habet ac Ecclesia romana ;* inde enim Irenæus ex fide Ecclesiæ Romanæ concludere potest : hæc est fides omnium ecclesiarum aliarum. Irenæus igitur fidem Ecclesiæ Romanæ tanquam normam omnium aliarum ecclesiarum statuit atque Ecclesiam Romanam tanquam normam aliarum ecclesiarum : id quod primatum Ecclesiæ Romanæ significat.

Irenæus tanquam rationem qua omnis ecclesia necessario in fide cum Ecclesia Romana conveniat, potentiorem (vel potiorem) eius principalitatem indicat ; i. e. auctoritatem et principalitatem (αὐθεντία) = primatum.

Hæc summaria consideratio confirmatur per inquisitionem specialem partium singularium dicti Irenæi.

Disputatur inter historicos de sensu particulae : *Necesse esi.* » Alii (ut Batiffol, Seeberg) hanc necessitatem tanquam logicam intelligunt ; alii tanquam necessitatem moralem (ut multi catholici) ; alii tanquam necessitatem naturalem (ut Koch et Harnack) ; at melius necessitas intclligitur tanquam necessitas *intrinseca* quæ sc. in constitutione Ecclesiæ universalis et in conditione speciali Ecclesiæ Romanæ fundatur : ratione constitutionis Ecclesiæ, ecclesiæ particulares ita se habent ad Ecclesiam Romanam ut necessario in fide cum ipsa conveniant. Vi huius necessitatis intrinsecae, derivantis ex divina constitutione Ecclesiæ, *per consequens* tum logice tum moraliter necessarium est, omnem ecclesiam cum Ecclesia Romana in fide convenire : ac sic potentior eius principalitas explicatur.

Particula : « *Omnis ecclesia* » a Funk et Harnack ad ecclesias apostolicas refertur : at immerito. Nam hæc

interpretatio est contra intentum, cum Irenæus probare intendat, omnes ecclesias *catholicas* eandem fidem habere ; similiter est contra ea quæ sequuntur, cum Irenæus ipse expresse dicat : « hoc est eos qui sunt undique fideles ». « Omnis ecclesia » igitur cunctas ecclesias particulares et catholicas significat.

Particula « *in qua* » non ad Ecclesiam Romanam refertur, sed ad « omnem ecclesiam ». Quæ sequuntur : « in qua semper ab his quæ sunt undique, conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio », determinant particulam « Omnis ecclesia ». Sensus est : omnis ecclesia particularis quæ semper traditionem apostolicam conservavit, quæ proinde catholica vel fidelis est, necessario cum Ecclesia Romana convenit. Harnack quidem et Funk ita Irenæum interpretantur ac si omnis ecclesia semper traditionem apostolicam conservasset — id quod est contra totum connexum : secus enim vel ecclesiæ gnosticæ fidem apostolicam conservassent !

« *Convenire.* » non significat « confluere » (Seeberg), sed concordare, conformem esse et consequenter sese conformare.

« *Polenlior principalitas* » evidenter rationem necessitatis conformitatis omnis ecclesiæ veræ catholicæ cum Ecclesia Romana indicat. Similiter hæc potentior principalitas Ecclesiæ Romana·, soli competit adeoque sola Ecclesia Romana est norma et regula fidei[1].

Ex his omnibus sufficienter primatus Ecclesiæ Romanæ patet atque Conc. Vatie, iure merito dictum Irenæi adducit[2].

1. Esser (.Bonn), Das *Irenæuszeugnis fur den Primal derrbmischen Kirche,* in *Kalholik* (Mainz), 1917, i, 289 ss., n, 16 ss. ; *idem., Nochmals das irenæuszeugnis,* etc., in *Théologie und Glaube* (Paderborn), 1922, 344-362 (contra Harnack, *Sitzungsberichle* der Berl. Ak. d. W., 1893, 939 ss., et H. Koch, *Theol. Sludien und Kritiken,* 1921, 54 ss.).

2. Doctrina Irenæi per facta concludentia confirmatur. Cum Rom. Pontifex *Vidor* (189-197) multas in Asia ecclesias excommunicasset, ob consuetudinem particularem circa tempus festi paschalis, Irenæus ipsi potestatem non denegavit, sed moderationem suasit (Euseb., *Hist. Eccl.,* v, 24, 11). Similiter Irenæus, adhuc presbyter, epistulam martyrum Lugdunensium Romam tulerat

4. *Tertullianus* indirecte tantum primatum R. Pontificis testatur. *Adversus Praxeam,* c. i narrat : « (Praxeas) tunc episcopum Romanum, agnoscentem iam prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ, et ex ea agnitione pacem ecclesiis Asiæ et Phrygiæ inferentem... coëgit et litteras pacis revocare iam emissas et a proposito recipiendorum charismatum concessare. » Romanus igitur Pontifex Montanistas Asiæ et Phrygiæ pace privavit, i. e. a communione Ecclesiæ separavit. In *De pudic.* 21 Tertullianus Rom. Pontificem sic alloquitur : « Præsumis et ad te derivasse solvendi et alligandi potestatem, i. e. ad omnem ecclesiam Petri propinquam. » : in quo supponitur quod Rom. Pontifex sit successor Petri in cathedra Romana et simul Ecclesia constituatur ex illis qui Petro et Romano Pontifici sint coniuncti (« ecclesia Petro propinqua »). Denique Rom. Pontifex ironice vocatur « summus Pontifex, episcopus episcoporum » (De pud., 1) : id quod in ipso certo conditionem specialem in Ecclesia supponit[1].

5. De S. *Cypriani* sententia plurimum disputatum est ac adhuc disputatur. *Gallicani* Cyprianum tanquam testem principalem adduxerunt. Nuperrime *H. Koch*[2] sententiam defendit, secundum Cyprianum Ecclesiam eo tantum sensu super Petrum ædificatam fuisse quod *prius leinpore* super Petrum ædificaretur, ita ut Petrus non caput sed symbolum tantum unitatis et originis divinæ Ecclesiæ esset, adeoque similiter Romanus Pontifex. Auctores tamen *catholici* communiter defendunt, Cyprianum primatum Romani Pontificis quidem tenuisse, sed in explicanda et applicanda vi et ratione primatus defecisse[3]. En rationes.

qua Eleutherius rogabatur ut novis erroribus Montanismi mederetur, « pacis ecclesiarum causa » (Eusebius, *H. E.,* v, 4k

1. Cf. A. d'Alès, *La théologie de Tertullien*2, p. 217 ; G. Esser, *De pudicitia, c.* xxi, *undder Primat des rômischen Bischofs,* in Der l\ vmoi.iK, 1902 (t. 26).

2. IL Koch, *Cyprian und der rômische Primat,* Leipzig, 1910 (Texte und Untersuchungen, xxxv, 1). Cf. E. W. Benson, *Cyprian. Ilislife. His limes. His Work.* London, 1897; J.-H. Bernard, *Th. Cyprianic Doctrine of the. Ministry,* 1918.

3. A. Seitz, *Cyprian und der rômische Primat.* Begensburg, 1911; Ion, Ernst., *Cyprian and das Papstlum,* Mainz, 1912 ; A. d'Alès, *Iu théologie de saint Cyprien.* Paris, 1922.

Cyprianus circa primatum Petri et Rom. Pontificis sequentia tenet *principia.*

a) Ecclesia super Petrum ædijicala esi. — Ita præsertim in « *De catholicæ Ecclesiæ unilale* », c. xl. Postquam verba Domini Mt., xvi, 18, 19 adduxerat, Cyprianus continuat : « Super unum ædiftcat Ecclesiam. Et quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat..., tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri apostoli quod fuit Petrus, pari consortio prædiii et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur. »

Secundum aliam versionem[1], Cyprianus post verba Mt., xvi, 18 s. adducta scribit : « Et eidem post resurrectionem dicit : Pasce oves meas. Super unum ædiftcat Ecclesiam et illi pascendas oves mandat. Et quamvis apostolis omnibus parem tribuat potestatem, unam tamen cathedram constituit et unitatis originem atque rationem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri quod fuit Petrus, sed primatus Petro datur, et una Ecclesia et cathedra una monstratur... Qui cathedram Petri, super quem fundata Ecclesia est, deserit, in Ecclesia se esse confidit[2]. »

Quibus verbis Cyprianus certe non id tantum significare intendit quod Ecclesia prius tempore super Petrum sit ædifïcata (Koch). Nam Cyprianus tenet, totam Ecclesiam cuiuscumque temporis esse super Petrum fundatam ; simulque eam esse fundatam super cathedram Romanam[3]

1. Versio B bonis ex rationibus ipsi Cypriano attribuitur, tanquam redactio alia, destinata et accomodata Ecclesiæ Romans in schismate Novatiani. Cf. Dom Chapman, in *Peu. Benedict.,* t. XIX, p. 246-254 ; 357-373 ; t. XX, p. 26-52; t. XXVII, 447-464. A. d'Alès, l. c., cvn, merito notat : « Impossible en effet d'admettre qu'un faussaire se soit assimilé la pensée et les expressions du primat de Carthage, au point d'exécuter sur son texte un pareil prodige de marqueterie. »

2. Idem, *De hab. uirg.,* c. x : « Petrus, cui oves suas Dominus pascendas luendasque commendat... super quem posuit et fundavit Ecclesiam », et Ep. XLIII, 5 : « Una Ecclesia et cathedra una stiper Petrum Domini voce fundata », et Ep. LXX, 3 : « Una Ecclesia super Petrum origine unitatis et ratione fundata. » Cf. A. d'Alès, I. c., p. 108.

3. « Cum Fabiani locus, i. e. cum locus Petri et gradus cathedra sacerdotalis vocaret » (Ep. LV, 8) : « navigare audent et ad

— quæ nondum extabat quando Dominus Ecclesiam super Petrum ædificavit ; — denique Cyprianus hoc sesusu Petrum ut fundamentum Ecclesiæ intelligit quod Dominus ei oves suas pascendas tuendasque commendavit (cf. De hab. virg., c. x, supra cit.).

E contra Petrus et Rom. Pontifex ut centrum· et fundamentum unitatis Ecclesiæ apparet. Cyprianus enim unitatem Ecclesiæ catholicæ probat ex eo quod super Petrum fundata est[1].

b) Ecclesia Romana est Ecclesia principalis, unde unitas sacerdotalis exorta est. — Ita Cyprianus Cornelio de schismaticis scribit : « Navigare audent et ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est[2] *(Ep.* 59, 14). Ecclesia « principalis » significat tum excellentiam præ aliis ecclesiis, tum rationem principii respectu ad illas, maxime quantum ad unitatem Ecclesiæ — « unde unitas sacerdotalis exorta est », — minime vero solam prioritatem temporis — quæ ecclesiæ Romanæ ne quidem competit[3].

c)· *Petrus et Rom. Pontifex habet primatum.* — Ita in « *De catholicæ Ecclesiæ unilale* », *c.* iv, versione B : « Hoc erant utique et ceteri apostoli quod fuit Petrus, sed primatus Petro datur»; simili modo schismaticos romanos accusat quod « contra pacem atque unitatem Christi rebelles cathedram sibi constituere et primatum adsumerc... conantur » (ep. 69, 8). Quæ vox « primatus » certe conditionem ecclesiæ romanæ specialem atque unicam in Ecclesia universali significat[4].

Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem » (Ep. LIX, 14) ; " Slephanus, qui per successionem cathedram Petri habere se prædicat » (Ep. LXXIII, 17).

1. Videsis A. d'ÀLÈs, l. c., p. 102-130. « Il ressort incontestablement que, selon la pensée de saint Cyprien, l'évêque de Rome occupe dans l'Église une position unique : héritier du siège de Pierre, fondement permanent de l'Église, centre et source de l'unité, pasteur universel et primat, dépositaire du pouvoir des clefs » (p. 129). Cf. infra explicationem dicti Cypriani per Papam Pelagium I.

2. Ep. LIX, 14.

3. Cf. A. d'Alès, l. c., p. 389-395.

4. Cf. A. d'Alès, l. c., p. 117-120.

Alia quidem occasione Cyprianus Papæ Stephano obicit : « Nec

d) Ecclesia Romana esi radix et matrix Ecclesiæ catholicæ. — Cyprianus ad Papam Cornelium scribens, protestatur : « Nos singulis navigantibus (Romani sc.), ne cum scandalo ullo navigarent, rationem reddentes, nos scimus hortatos esse ut catholicæ Ecclesiæ matricem et radicem agnoscerent et tenerent » (Ep. 48,3). Certe Cyprianus Afris Romam navigantibus indicaverat ut Romæ caverent a schismaticis (Novatianis) et partem legitimam tenerent quam, tanquam Ecclesiam super quam fundata est Ecclesia universalis, matrem ac radicem Ecclesiæ catholicæ vocat[1].

e) *Communicatio cum episcopo Romano necessaria est ad hoc ut aliquis sit membrum Ecclesiæ catholicæ.* — Cyprianus Cornelio Papæ suasit ut electionem suam episcopis Africæ denuntiaret, « ut te universi collegæ nostri et communicationem tuam, i. e. catholicæ Ecclesiæ unitatem pariter et charitatem probarent firmiter et tenerent » (Ep.48, 3). Similiter ep. Antoniani Cornelio transmisit, « ut sciret te (sc. Antonianum) sccum, h. e. cum catholica Ecclesia communicare » (Ep. 54, 1). Itaque communicare cum episcopo romano idem est ac communicare cum Ecclesia universali vel esse in Ecclesia catholica ; separari ab episcopo romano est separari ab Ecclesia ipsa : « qui cathedram Petri, super quam fundata Ecclesia est, deserit, in Ecclesia se esse confidit. » (De cath. Eccl. unitate, c. ivr vers. B.). Cum secundum Cyprianum extra Ecclesiam nulla sit salus, communicatio cum sede Romana est de necessitate salutis. Id quod de nullo alio episcopo particulari valet.

Inde concludimus. Doctrina Cypriani continet omnia illa principia quibus antiquitas primatum Romani Pontificis exprimebat, ita ut Cyprianus proprie sit testis traditionis : Cyprianus textus Mτ. et Joa., sensu catholico de Petro tanquam fundamento et pastore Ecclesiæ interpretatur, Ecclesiam Romanam tanquam ecclesiam principalem, primatialem, ut radicem et matricem Ecclesiæ universalis agnoscit, unionem vel communicationem cum

Petrus... vindicavit sibi... ut diceret se primatum habere » fEp. LXXI, m).

1. De aliis interpretationibus videsis d'Alès, l. c., p. 148-153,

Pontifice Romano tanquam conditionem salutis statuit. Cui doctrinæ praxis quoque saltem in hoc consentit, quod Cyprianus regulariter cum Ecclesia Romana communicat.

Altera tamen ex parte Cyprianus Romano Pontifici potestatem vel iurisdictionem super ceteros episcopos denegare videtur, et quidem tum factis tum dictis. Factis quidem, inquantum Cyprianus sententias iudiciales episcoporum a Romano Pontifice non esse retractandas defendit (Ep. 59, 14 ; 69, 17), ac maxime inquantum in quaestione de rebaptizandis resistit ordinationibus Papæ Stephani (Ep. 72, 73, 74, 75)[1].

Attendendum quidem est quod Cyprianus quantum ad iudicandas causas minus ius episcopi romani quam iustitiam et veritatem causæ respicit, defendendo sc. iustitiam et veritatem sententiæ latæ[2]. Simul Cyprianus in quæstione Marciani, episcopi Arelatensis Papam Stephanum monuisse videtur ut Marcianum (tanquam fautorem Novatiani) deponeret et alium episcopum institueret (Ep. 68). Nihilominus Cyprianus in omnibus his quæstionibus non tanquam subditum Rom. Pontificis se gerit[3].

Insuper Cyprianus *dictis* expressis Romano Pontifici potestatem super episcopos denegare videtur. Primo in « De catholicæ Ecclesiæ unitate », c. iv, proclamat : « Hoc erant utique et ceteri apostoli quod fuit Petrus, pari consortio prædíti et honoris et potestatis », et quod Dominus omnibus apostolis « parem potestatem » tribuit : quale dictum de sola æqualitate apostolatus explicari nequit. Secundo Cyprianus proponit principium, quod « habeat omnis episcopus pro licentia libertatis suæ arbitrium proprium, tamquam indicari ab alio non possit quam nec ipse possit alterum iudicare. » Inde exspectandum dicit « iudicium Domini nostri Iesu Christi qui unus et solus habet potestatem etpræponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione

1. Videsis A. d'Alès, l. c., p. 141-210.
2. D'Alès, I. c., p. 178.
3. A. d'Alès, l. c., p. 172 : « Les lettres de Cyprien ne sont pas d'un subalterne qui demande un mot d'ordre; elles sont d'un collègue qui croit se tenir à sa place en joignant la hardiesse à la déférence », et p. 199 : « Ses récriminations montrent clairement qu'il n'a ni accepté l'ordre ni compris la leçon » (sc. Stephani).

et de actu nostro iudicandi » (Ep. 59). Cf. Ep. 55, 21 et Ep. 72, 3. Unde Romano Pontifici Stephano obicit quod immerito se tanquam « episcopum episcoporum » gerat (Ep. 73), sicut iam antea Florentium episcopum increpaverat : « An tu qui te episcopum episcopi et iudicem iudicis ad tempus a Deo dati constituis ? » (Ep. 66, 3).

Inde sequitur *conclusio :* Cyprianus quidem tenet *principia* catholica de primatu Petri et Rom. Pontificis, *vim* tamen et *rationem* horum principiorum nondum penitus intellexit, imo quædam contraria principiis proposuit[1] ; tenendo tamen principia, simul *implicite* saltem doctrinam postmodum definitam tenebat[2].

Neque aliquid integritati et continuitati traditionis deperit. Nam Cyprianus quantum ad principia traditioni concordat, quantum vero ad defectus sententiæ tum sibi ipsi tum praxi et doctrinæ Ecclesiæ contradixit. Simul defectus doctrinæ cyprianæ facile explicatur, tum ex Cypriani instructione insufficienti (paucis annis post conversionem suam factus est episcopus), tum ex statu adhuc minus explicite doctrinæ de natura primatus, tum ex difficultate conditionum et quæstionuin agitatarum tempore episcopatus Cypriani (schisma, persecutiones, quæstio de rebaptizandis hæreticis). Itaque mirum non est, doctrinam Cypriani in quibusdam esse incompletam ; mirum tamen est, Cyprianum in testificandis principiis excelluisse.

Denique Cyprianus, cum Papa Stephanus minaretur se unionem cum eo rumpere, cessit : ne sc. separatus a cathedra romana, extra Ecclesiam fieret. Valet igitur dictum Augustini : « Cyprianus aut non sensit omnino quod eum sensisse recitatis (sc. Donatistæ), aut hoc postea correxit in regula veritatis, aut hunc nævum sui candidissimi pectoris cooperuit ubere caritatis... Accessit huc etiam quod

1. A. d'Alès ita de Cypriano iudicat : « Il se dérobe devant les conséquences »; (p. 200) « il n'a pas su voir jusqu'où doit s'étendre, pour ne pas être illusoire, le rôle du fondement de l'Église » (p. 201 ; cf. p. 206-209).

2. Cf. de hoc quæ scripsimus in *Introductio in historiam dogmatum,* art. 14 : de obscuratione in progressu dogmatico, p. 259-271.

tanquam sarmentum fructuosissimum, si quid in eo fuerat emendandum, purgavit Pater falce passionis[1]. »

6. Testimonia veterum ante Conc. Nicaenum paululum fusius pertractavimus quia adversarii moderni primatus praetendunt, hac in periodo primatum Rom. Pontificis fuisse ignotum. Abhinc vero a Gone. Nicæno primatus Rom. Pontificum adhuc magis *ut facium publicum constat* atque vel ab adversariis ut factum historicum admittitur. Neque tamen affirmamus, simul vim ac rationem primatus statim *perfecte* fuisse cognitam et agnitam, licet natura primatus praecise in periodo subséquente Conc. Nic. in dies magis explicata sit. Hic quidem *repetenda essent omnia testimonia veterum de primatu Petri* quippe cum omnes Rom. Pontificem tanquam successorem Petri agnoscant. Pauca tamen testimonia sufficiant, et quidem pro ecclesia græca testimonium Gregorii Naz., Joannis Chrysostomi et Basilii, pro ecclesia latina testimonium Hieronymi et Augustini — de testimonio Ecclesiæ Romanæ specialiter agendum erit.

S. *Gregorius Naz.* de Ecclesia Romana scribit : « Quem ad modum par est ut *quæ universis præsidel,* totam colat Dei concordiam[1] ».

S. *loannes Chrysostomus,* in conciliabulo ad Quercum inique depositus, ad Papam Innocentium I appellavit (404) : « Obsecro, ait, ut scribatis quod hæc tam inique facta... *non habeant robur...* ; illi autem qui adeo inique egisse deprehensi sunt, pænæ ecclesiasticarum legum subiaceant; nobis vero... litteris vestris et caritate vestra aliorumque omnium, quorum sc. et antea societate fruebamur, frui concedete[3]. » Chrysostomus igitur in Rom. Pontifice supponit potestatem cassandi decreta conciliabuli Ad Quercum, puniendi reos, restituendi Chrysostomo communionem cum Ecclesia catholica, ac denique quam maxime ius recipiendi appellationes[4].

Sicut Chrysostomus similiter S. *Basilius* Romam appel-

1. S. Aug., Ep. XC1I1, 10, 40 ; *P. L.,* xxxm, 340.
2. *Carm.,* l. II, v. 579.
3. *Ep. ad Innocent.* I, M. L., 1 u , 529 ss.
4. Cf. Caïd. N. Marini, *II primalo di S. Pielro,* ed. 2., p. 257-326.

lat : « Visum est nobis consentaneum, scribere Episcopo Romæ, ut quæ hic geruntur, consideret detque consilium... Ipse sua auctoritate negotium conficiat[1] ».

7. Ex latinis S. *Hieronymus* ad Damasum Papam scribit : « Beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædiflcatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio[2] »

S. *Augustinus* de primatu Rom. Pontificis expresse non tractat; at data occasione sententiam suam manifestat[3]. Episcopos Rom. ut successores Petri agnoscit : « Tenet (me) ab ipsa sede Petri... usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum[4]. » Sedes Romana est « cathedra Petri, cathedra apostolica ». Promissiones Petro factæ in Sede Romana implentur : « Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo patrum quis cui successit videte : ipsa est petra quam non vincunt superbæ inferorum portæ[5]. » In Ecclesia Romana « semper apostolicæ cathedræ viguit principatus[6]. » Communio cum episcopo Romano unionem cum Ecclesia Christi efficit[7].

Cui scntentiæ generali facta quoque, respondent. Secundum Augustinum est episcopi Rom. quæstiones in Ecclesia subortas finire. Circa quæstionem Pelagianam tenet : « Iam de hac causa duo concilia missa sunt ad sedem apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est[8]. »

1. S. Basilii M., *Epist. classis,* ir ; Ep. LXIX ; *P. G., xxxu,* 432.
2. Ep. XV.
3. Cf. Th. Specht, *Die. Lehre von der Kirche nach dem. hl. Augustin.* (Paderborn, 1892), p. 154-186 ; P. Batiffol, *Le catholicisme de saint Augustin,* 1920, p. 192-209, 347-472.
4. C. ep. fund., c. iv.
5. *Psalmus contra parlem Donali.*
6. Ep. XLIII, 7.
7. l. c.
8. Sermo CXXXI 6; M. L., xxxvm, 734. — Ex hoc dicto Augustini ortum duxisse videtur adagium : Roma locuta, causa linita. Batiffol, l. c., 404, nota 3 optime notat terminum « rescriptum ». Terminus videtur esse translatus ex terminologia imperii Romani, in quo præfecti provinciarum causis dubiis exortis « relationes » ad imperatores miserunt qui per «responsa » vel «rescripta » rem indicaverunt, ita ut huiusmodi responsa vel rescripta vim legis obtinerent. Rescriptum igitur sententiam finalem auctoritatis supremæ importat.

Similiter in Contra duas ep. Pelagian, (n, 5) respondet : \« Litteris beatæ memoriæ papæ Innocentii... de hac re idubitatio tota sublata est. » Denique Augustinus in quæstione » de appellationibus episcoporum ad romanæ Ecclesiæ sacerdotem » Papæ Zosiino consensit, sicut et instructiones Innocentii I et Zosimi de privilegiis Rom. Pontificum recognovitl : indirecte igitur omnem eorum sententiam (quam infra videbimus) testificatur. Augustinus tamen primatum R. Pontificis minus sub ratione potestatis vel honoris quam sub ratione officii et muneris Considerat : secundum ipsum in R. Pontifice residet auctoritas supremi ministerii circa doctrinam et unitatem Ecclesiæ conservandam, sub capite Christo : qui modus considerandi doctrinæ catholicæ et rerum veritati optime congruit.

Prob. 4° ex parte Romanorum Pontificum. — *a) Præ-nolamina.* 1. Adversarii primatus communiter testimonia Rom. Pontificum de primatu negligunt vel ut nullius ponderis considerant vel ut postulata arrogantiæ, superbiæ et ambitionis tractant.

E contra tamen evidenter constat : 1. Quodsi Rom. Pontifices *soli* primatum proprium affirmassent, tacentibus vel repugnantibus ceteris, testimonium Rom. Pontificum vim non haberet, assentientibus vero et confirmantibus ceteris, vim maximam habet.

2. Testimonium pro primatu *præcise el quam maxime ex parie Bom. Pontificum exspectandum, petendum et attendendum* est. Nam supposito primatu in Ecclesia Romana, Rom. Pontifices primario et quam maxime notitiam, conscientiam et cognitionem primatus habere debent, sicut possessor alicuius domus primus et quam maxime scit quisnam sit possessor illius domus, et sicut rex primo et maxime scit quod sit rex et quænam sit ratio potestatis regiæ. Accedit quod primatus non tam est honor vel possessio quædam, sed potius officium et potestas in utilitatem Ecclesiæ ; unde Rom. Pontifices ex mandato divino el sub pæna salutis æternæ obligantur ut Ecclesiam gubernent, fideles pascant, infirmos confirment, potestate sibi

1. Cf. Batiffol, l. c., p. 411-472.

data utantur, iura primatus urgeant ac vindicent, institutum primatus in praxim deducant atque successive explicent.

Unde in Rom. Pontificibus affirmatio et vindicatio primatus, applicatio et exercitium potestatis, repressio resistentiæ non est res arrogantiæ vel ambitionis, sed signum zeli pro gloria Christi et pro salute animarum, res obædientiæ et conscientiæ, exercitium muneris impositi : id quod etiam characteri et sanctitati Rom. Pontificum priorum saeculorum congruit, dum adversarii homines tam sanctos iniquissime calumniantur. Denique Rom. Pontifices vel in vindicando munere sive potestate urgenda sive resistentia reprimenda procedunt tanta religione, humilitate, patientia prudentiaque ut eos aliquando vel deficientes censearis. Inde testimonia subsequentia melius facile intelliges[1].

b) Testimonia. — Hic recensenda est tota historia Rom. Pontificum, incipiendo ab ep. Clementis ad Corinthios, acta et facta e. g. Soteris, Victoris, Zephirini, Callisti, Cornelii, Stephani I, Dionysii, Silvestri etc., quæ tamen ex historia ecclesiastica nota sunt. Sufficiant quædam testimonia magis explicita quibus sc. natura primatus maxime manifestatur.

Iulius I in ep. (xxxv) ad Orient, (a. 341) Eusebianos monet : « Curate... ui. ea corrigantur, sicut dixi, quæ contra canonem gesta sunt... Oportuit omnibus nobis rescripsisse... Episcopi enim erant qui vexabantur... Cur autem de Alexandrina potissimum ecclesia nihil nobis scriptum est,? An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et sic *hinc quod iuslum esi, decernatur* ? Sane, si quid erat suspectum contra episcopum illic, ad hanc oportebat Ecclesiam scripsisse. Nunc autem, qui nos non plene monuistis et pro lubitu egistis, nos vultis non instructos suffragari vobiscum. Nequaquam... Nam quæ accepimus a B. Petro Apostolo, ea vobis significo[2]. »

Papa *Siricius* scribit (a. 385) : « Portamus onera omnium

1. Quoad historiam primatus, cf. H. Grisar, *Rama al fine dei mondo antico,* n. 194-241 ; 541-550 ; *Diet, apol.,* v. *Papauté,* III, col. 1371-1422 ; P. Batiffol, *Le siège apostolique,* Paris,1924.
2. *Ep. Iulii,* 35 ; M. L., xxv, 308.

qui gravantur ; quin immo hæc portat in nobis beatus Apostolus Petrus qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit et tuetur hæredes... Præfatam regulam omnes teneant sacerdotes (= episcopi) qui nolunt ab apostolicæ petræ super quam Christus universalem construxit Ecclesiam, soliditate avelli[1]. » Et alio loco : « Quid ab universis ecclesiis sequendum sit, quid vitandum, generali pronuntiatione decernimus[2]. »

Zosimus (a. 418) (ep. 12) episcopos Africanos ita instruit : « Quamvis Patrum traditio Apostolicæ Sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de eius iudicio disceptare nullus auderet, idque per canones semper regulasque servaverit, et currens adhuc suis legibus ecclesiastica disciplina Petri nomini a quo ipsa quoque descendit, reverentiam quam debet, exsolvat : tantam enim huic apostolo canonica antiquitas per sententias omnium voluit esse potentiam, ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, ut et ligata solveret et soluta vinciret... Habet enim ipse cum omnium ecclesiarum tum huius maxime ubi sederat curam[3]. »...

Maxime *Leo* M. primatum Romani Pontificis edocet et exercet, « ita quidem, ut maior primatus per Ecclesiæ catholicæ praxim doctrinamque hodiernam nec vindicetur nec forte possit concipi[4]. » Leo M. appellationes Eutechetis, Flaviani, Theodoreti Cyr., Eusebii Dorylæi, recipit; iudicat Eutycheten, Flavianum, Dioscorum, Tim. Aelurum ; formulas fidei etiam pro conciliis œcumenicis determinat ; damnat et irritat conc. latrocinium Ephesinum ; Cone. Chalcedonensi munus exercendum stricte determinat ; concilium per legatos suos efficaciter dirigit : atque hæc omnia sine aliorum protestatione, immo consentientibus aliis præstat, hoc unico titulo quod sit successor Petri[5].

1. *Ep. ad Himerium,* episc. Tarracon.
2. *P. L.,* xiii, 1142.
3. Denz., cix ; M. L., xx, 676.
4. M. d'Herbigny, l. c., n, 136.
5. Cf. M. d'Herbigny, qui l. c., p. 120-152 optima inquisitione ostendit quomodo Leo M. inter brevissimum temporis spatium primatum iurisdictionis exercuerit.

Nec minus expressa est doctrina[1]. Ad Flavianum in Causa Eutychetis scribit : « Miramur Fraternitatem tuam quidquid illud scandali fuit Nobis silere potuisse et non potius procurasse ut primitus nos insinuatio tuæ relationis instrueret »[2], sc. ut eadem die ad imperatorem scribit : « Prius instrui nos oportet ut possit congrue... indicari[3] ». Rationem operis sui ita enuntiat : « Memor enim sum me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cuius a D. J. Ch. est glorificata confessio... et intelligo mihi aliud non licere quam ut omnes conatus meos ei causæ in qua universalis Ecclesiæ salus infestatur, impendam[4]. »

Atque merito celeberrima Leonis sunt verba, prolata in anniversario die assumptionis ipsius. » (Christus) etsi multis pastoribus curam suarum ovium delegavit, ipse tamen dilecti gregis custodiam non reliquit. De cuius principali æternoque præsidio etiam apostolicæ opis munimem accepimus... et firmitas fundamenti, cui totius Ecclesiæ superstruitur altitudo, nulla incumbentis sibi templi mole lacessit. Soliditas enim illius fidei, quæ in apostolorum principe .est laudata, perpetua est; et sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit... (sequuntur verba Mt., xvi, 16-19). Manet ergo dispositio veritatis et beatus Petrus in accepta fortitudine petra- perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non relinquit. Sic enim præ cæteris est ordinatus, ut dum petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur, dum regni cœlorum janitor constituitur, dum ligandorum solvendorumque arbiter, mansura etiam in coelis indiciorum suorum definitione, præficitur... Qui nunc plenius et potentius ea quæ sibi commissa sunt peragit et omnes partes officiorum atque curarum in ipso et cum ipso, per quem est glorificatus, exsequitur... His itaque modis... rationabili obsequio celebratur hodierna festivitas, ut in persona humilitatis meæ intelligatur, ille honoretur, in quo et omnium pastdrum sollicitudo cum commehda-

1. Cf. quæ iam supra, art. 45, n. 4 retulimus.
2. Ep. XXIII; M. L., 1 iv, 731.
3. Ep. XXIV ; l. c., 736.
4. Ep. LX1 ; M. L., 1 iv, 8740.

luium sibi ovium custodia perseverat, et cuius dignitas rliain in indigno hærede non deficit[1]. »

Similiter docet *Gelasius I.* Cum Leone M. statuit[2] : " Duodecim certe fuere apostoli paribus meritis parique dignitate suffulti. Cumque omnes æqualiter spirituali luce Inigerent, unum tamen *principem* esse ex illis voluit ‹.hristus eumque dispensatione mirabili in dominam gen-lium Romam direxit... præstans sedi quam ipse bene-dixit ut a portis inferi nunquam pro Domini promissione s incatur, omniumque sit fluctuantium *tutissimus portus.* In quo qui requieverit æterna statione gaudebit, qui vero contempserit, ipse videbit qualia genera excusationum in dic obtendat iudicii. « Simul rationem primatus instituendi assignat. Citatis sc. verbis Domini ad Petrum (Mt., Lc., Joa.) quærit : « Quare igitur ad Petrum tam frequens Do-mini sermo dirigitur?... Ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio et una monstraretur compago corporis Christi... et una esset Ecclesia, cui fideliter crederetur[3] ». Itaque « Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis i ieteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini el salvatoris primatum obtinuit : Tu es Petrus, inquiens, ‹4 super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam[4]... »

Practice *Gelasius* statuit : « Sicut id quod prima Sedes non probaverat, constare non potuit, sic quod illa censuit indicandum, Ecclesia tota suscepit[5] ». Etenim omnis veraciter Christianus scit, « uniuscuiusque synodi consti-tui um quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi sedem præ ceteris oportere quam primam... pro suo sc. principatu quam b. Petrus apostolus Domini voce perceptum ecclesia nihilominus subséquente et tenuit semper et retinet[6] ». Ita « sedes b. Petri apostoli *ius* habet *resolvendi,* utpote quæ de *omni Ecclesia fas habeat iudicandi* neque cuiquam de eius licet iudicare iudicio, si quidem ad

1. *Serm.* **III;** M. L., 1 iv, 145-147.
2. Tractatio de damnatione nominum Petri et Aeacii, Ep. XIV ; M. L., 1 ix, 90.
3. l. c., M. L., 1 ix, 89.
4. Ep. XL1I seu « Decretalis » M. L., 1 ix, 159.
5. Ep. XIII ad episc. Dardaniae, (a. 495) ; M. L., 1 ix, 67.
6. l. c., M. L., 1 ix, 63.

illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus[1] ».

In sic dicta formula *Hormisdæ* (a. 517) (addita ep. ad episc. Hispaniæ « Inter ea ») necessitas unionis cum Romano Pontifice inculcatur his verbis : « promittens in sequenti tempore sequestratos a communione Ecclesiæ catholicæ, *id est non consentientes Sedi apostolicæ* » non admittere[2].

Pelagius I (a. circ. 560), ep. 26, occasione schismatis « Trium Capitulorum » episcopum incertum merito sic increpat : « Adeone te... catholicæ fefellit veritas matris ut non statim schismaticum te conspiceres, cum a sedibus apostolicis recessisses?... Non legeras super Apostolorum principem a Christo Domino nostro Ecclesiam esse fundatam... (Mt., xvi, 18) ? Quod si legeras, *ubinam praeter ipsum credebas Ecclesiam,* in quo uno sc. apostolicæ sedes sunt ?... Sed idcirco uni primum quod daturus erat etiam omnibus dedit, ut, secundum b. Cypriani martyris id ipsum exponentis sententiam, una esse monstretur Ecclesia[3]. »

Sacramentarium Gelasianum (sæc. vi ?) protestatur : « Sancta Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis ceteris ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini et salvatoris primatum obtinuit : Tu es Petrus, inquiens, ... et in cœlo » (c. m)[4].

Concludamus verbis *Nicolai I,* a. 865, in ep. ad Michælem imperatorem Cpt. « Si nos non audieritis, ait, restat ut sitis apud nos necessario, quales Dominus noster Jesus Christus hos haberi præcepit qui Ecclesiam Dei audire contempserint, praisertim cum Ecclesiæ Romanæ privilegia, Christi ore in B. Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata et a sanctis universalibus synodis celebrata atque a cuncta Ecclesia iugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus, et quod Deus statuit, fir-

1. l. c., M. L., I ix, 66.
2. M. L., I x iii, 460.
3. Cf. Denz., ccxxx.
4. M. L., I ix, 159.

muni validumque consistit. Ille potissimum peccat qui Ihi ordinationi resistere tentât... Ista igitur privilegia lilii'· sanctæ Ecclesiæ a Christo donata, a synodis non doubla, sed iain solummodo celebrata et venerata, per quæ Him tam honor quam onus nobis incumbit..., nos cogunt imsque compellunt omnium habere sollicitudinem ecclesiarum Deil. »

Prob. 5°. Testimonia Conciliorum generalium. — Sicut lib ipsis Rom. Pontificibus, ita quam maxime a Conciliis (rcumenicis testimonia pro primatu Rom. Pontificis exspec- l unia et petenda sunt, tum factis tum dictis. Atque huiusmodi testimonia duplicem habent valorem. Primo enim iu Concilio generali, quo Ecclesia tota præsentatur, celebrando habitudo Romani Pontificis ad Ecclesiam universalem maxime apparet, secundo testimonium concilii generalis est testimonium Ecclesiæ universalis. Huc particulariter accedit quod concilia generalia priora apud græ- (os acta sunt adeoque testimonium ecclesiæ græcorum important. Atque omnia Concilia œcumenica vetera primatum Rom. Pontificis testificantur.

Ex Concilio *Nicaeno I* nullum quidem decretum expressum extat ; at constat factum quod Silvester duos delegatos ad illud misit, Vitonem et Vincentium, presbyteros qui cum Hosio Cordubcnsi Concilio *præsiderunt.* Cmie. *Sardicense,* (343) quod Conc. Nic. quodammodo continuavit, ius appellationis ad episcopum roinanum declaravit. In Conc. *Ephesino,* Philippus, delegatus Cœlestini I, mm nente Concilio declaravit :«Nulli dubium, immo sæculis omnibus notum est quod sanctus beatissimusque Petrus Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesia· catholicæ fundamentum, a Domino nostro lesu Christo, salvatore humani generis ac redemptore, claves regni accepit, solvendi ac ligandi peccata potestas ipsi data est : qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit, et indicium exercet2. » Idem Cœlestinus I Cyrilhim Alex, auctoritate Sedis Romanæ, vice sua, in Conc. Ephes.

I. M. I.., cxix, 938 ss.
·'. Mansi, iv, 1295 B.

uti iubet[1]. Ipse denique legatos suos ad Cone, monet : « Ad disceptationem, si fuerit ventum, vos de eorum sententiis iudicare debetis, non subire examen[2]. »

In *Cone. Chalcedonensi* celebrando Leo M. quæstionem exortam iam antea in ep. dogmatica ad Flavianum[3] determinaverat : qua coram Concilio perlecta Patres conclamaverunt : « Petrus per Leonem locutus est[4] ». In ipso Concilio Paschasinus, legatus Rom. Pontificis dixit : « Beatissimi atque apostolici viri Papæ urbis Romæ capitis omnium ecclesiarum, praecepta habemus, quibus praecipere dignatus est, ut Dioscorus...[5][6]». Atque Patres Concilii in ep. Synodi Leoni M. rescribunt : « Quibus tu quidem sicut membris caput præeras in his qui tuum tenebant ordinem®. » -

In Concil. Ludgunensi (1274) sequens *professio fidei* imperatori *Michæli Paleologo* (1274) proposita est : « Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet^ quem ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Rom. Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit[7]. »

Cone, denique *Florentinum,* consentientibus græcis, *definivit* « Sanctam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri, principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium christianorum patrem et doctorem existere ; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro lesu Christo plenam potestatem traditam esse ; quemadmodum etiam in gestis

1. *Ep. II ad Cyril., P. I..,* xx, 459.
2. Commonit. episcopis et presb. euntibus ad orientem, 8 maii 431.
3. Denz., 143 s.
4. Hardouin, ii, 305 E.
5. Mansi, vi, 566..
6. M. L., Liv, 951.
7. Denz., 461.

o·t umenicorum Conciliorum et in sacris canonibus contiIII·I url. X

Prob. 6°. Ecclesiæ particulares Rom. P. sequuntur. — I tcnique accedit *facium generale* quod sicut universa Ecclesia ita et *singulæ ecclesiæ parliculares Romanum Pontificem sequuntur :* ut historia ecclesiastica ostendit. Inlluxus quidem Rom. Pontificum quandoque fuit minus intensus, minus efficax, communicatio cum Sede Romana quandoque minus arcta vel viva, vis et ratio primatus a quibusdam, ut præcipue a Graecis, minus recte cognita et admissa, oboedientia debita non raro deficiens — attamen tota Ecclesia sicut in doctrina ita in factis admittebat, Romanos Pontifices esse successores Petri, habere potestatem super omnes ecclesias, ipsis esse obædiendum necessitate salutis, ut et omnes ecclesiæ data occasione et causa obædientiam præstabant. Illæ vero ecclesiæ qui obædienliam et unionem Sedi Romanæ denegaverunt, iudicio uni\ersali tanquam a vera Ecclesia Christi separatæ censebantur. Neque excipiuntur ecclesiæ græcæ, postmodum separatæ, et certe minime ecclesia Coptana. Ante Photium omnes ecclesiæ orientales sive per doctrinam sive per facta sese tanquam Ecclesiæ Romanæ subordinatas profitebantur ; post schisma iteratis vicibus primatum Rom. Pontificis professæ.sunt[2].

7. *Conclusio.* Quibus expositis *primo* falsitas sententiæ adversariorum primatus manifeste patet : secundum enim i dos episcopi romani fuissent eiusdem conditionis in Ecclesia ut alii episcopi : quæ assertio certe contra evidentiam loiius historiæ Ecclesiæ peccat. *Secundo :* primatus Rom. Pontificum ab omnibus aliquo modo fuit agnitus, sive in doctrina sive in factis, nec ullus alius episcopus Romano Pontifici æquiparabatur. *Tertio :* Ratio primatus Rom. Pontificum est exclusive successio in cathedra et potestate Petri. *Quarto :* absona est hypothesis Protestantium (I Modernistarum quod primatus Rom. Pontificum sit elïei Ius causarum historicarum, continuatio imperii ro-

I. Denz., 694.

2. Cf. prof. fidei imperatoris Paleologi (1274) in Cone. I.ugd. (D. 161) et definitionem Cone. Flor. (Denz., 694).

romani : Romani Pontifices sunt successores non Cæsarum sed Petri et vicarii Christi. *Quinio* denique primatus Rom. Pontificis ut *facium publicum* atque *notorium* in Ecclesiæ vita extat.

8. *De obscuratione notionis primatus in posteriori tempore.* — In Ecclesia temporis antiqui primatus certe agnitus fuit, et quidem sat explicite et distincte. Postea quædam *obscuratio* doctrinæ apud multos intervenit, remanente tamen praxi et exercitio primatus. Rationes huius facti facile constant. Nam primo populi qui territorium imperii Romani occupaverunt ac fidem susceperunt, paulatim ad constitutionem et regimen Ecclesiæ assuefacti sunt. Tempore tamen scholasticorum maiorum (sæc. xni) doctrina de primatu R. P. fuit iam quasi completa, ut apud S. Thomam, C. G. IV, 76 et II, II, q. i, a. 10l et S. Bonaventuram (Apologia pauperum, n. 16, ed. Quarracchi, VIII, 315).

Quædam *obscuratio* contigit tempore et occasione exilii Avenionensis et maxime schismatis occidentalis. Tamen vel in hac periodo cum plures circa naturam primatus errarent, Romanus Ppntifex ah omnibus tanquam caput Ecclesiæ agnoscebatur, Romani Pontifices tum factis tum dictis doctrinam veram inculcabant, schola S. Thomæ eam strenue defendebat (Turrecremata, S. Antoninus, Gaietanus) ac denique Ecclesia in praxi tenebat. Testimonium sensus Ecclesiæ habes in decreto Cone. *Florentini,* ad quod etiam Cone. Vatie, appellat, illud renovando. Subsequens error Gallicanorum et Febronianôrum manifeste sententia non Ecclesiæ sed partis cuiusdam erat, acriter impugnata a multis theologis ac denique statim ac multipliciter a summis Pontificibus damnata.

1. Adversarii primatus opposuerunt quod S. Thomas sententiam suam ex fontibus spuriis hausisset vel primatum tantum ex iure ecclesiastico deduxisset. At hi modum argumentandi scholasticorum non intelligebant. S. Thomas sententiam quam defendit non quidem ex textibus adductis hausit, sed ex doctrina in Ecclesia vigente. Textus vero adducuntur in confirmationem scientillcam doctrinæ Ecclesiæ. In quibus textibus afferendis, si quidam error intervenit, quid probat? Quodsi S. Thomas in II, II, q. i, a. 10, ad Decretales sese refert, eis tanquam loco theologico utitur ; postea tamen ad Lc xxn, 32 tanquam ad rationem propriam appellat.

ARTICULUS QUADRAGESIMUS OCTAVUS

De attributis primatus Romani Pontificis

I. Doctrina catholica. — Circa vim et rationem primatus Concilium Vatie, sequentia dogmata definivit :

1. Romanus Pontifex habet non tantum officium inspectionis vel directionis, sed potestatem *iurisdiclionis.*

2. Hæc iurisdictio est *universalis,* i. e. « in universam Ecclesiam, non tantum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent », adeoque est universalis quoad *loca, res et personas.*

3. Potestas est *plena,* ita sc. ut R. Pontifex habeat non tantum potiores partes, sed *lotam plenitudinem* potestatis, i. c. totam potestatem jurisdictionis quam Christus Ecclesiæ contulit. Adeoque R. Pontifex *per se solus,* et absque episcoporum aut Ecclesiæ consensu quamlibet rem ad iurisdictionem Ecclesiæ pertinentem peragere potest.

4. Potestas R. Pontificis est *suprema,* i. e. R. Pontifex nulli potestati subicitur, sive alicuius episcopi sive episcoporum omnium (sive dispersorum sive in Concilio congregatorum) sive Ecclesiæ universalis, sed e contra omnes sive fideles sive episcopi, sive disjunctive sive collective sumpti, Romano Pontifici subiciuntur. Adeoque non datur in Ecclesia potestas quæ sit maior quam potestas R. Pontificis vel ei æqualis, iudicium R. Pontificis a nomine est retractandum neque alicui de cius indicio iudicare (sc. ex potestate) licet, proindeque neque ab iudiciis Romanorum Pontificum ad cecumenicum Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifici superiorem appellare.

5. Potestas Romani Pontificis est *ordinaria,* i. e. res et personæ ecclesiasticæ ipsi subiciiuntur, non tantum ex rationibus vel in conditionibus extraordinaris et particularibus, ut in casu ordinis perturbati vel quando præsules inferiores officio suo desunt vel ex commissione episcoporum vel Concili, sed omnes personæ et omnia negotia ecclesia-

stica ad *officium* et potestatem R. Pontificis pertinent regulariter et semper, ex eo ipso quod de re ecclesiastica agitur. Potestas igitur R. Pontificis per se, regulariter et semper ad omnia negotia ecclesiastica sese extendit.

6. Potestas R. Pontificis est *immediata el vere episcopalis* i. e. Summus Pontifex non tantum in episcopos agere potest et iis mediantibus in fideles, sed R. Pontifex potest immediate et directe potestatem suam exercere, tum in omnes et singulas ecclesias tum in omnes et singulos pastores et fideles, tum seorsum tum simul omnes. R. igitur Pontifex est proprie et immediate caput et pater et doctor omnium Christianorum, adeoque « cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorum singuli quam omnes simul officio hierarchical subordinationis veræque obedientiæ obstringuntur ».

7. Potestas R. Pontificis est *immediate a Chrislo,* i. e. R. Pontifex potestatem suam non accipit a communitate fidelium, sed illam habet tanquam successor Petri cui ipse Christus Dominus primatum contulit, adeoque ex vi illius primæ collationis.

II. Sententiæ contrariae. — Plures errores circa naturam potestatis Rom. Pontificis in Ecclesia ipsa surrexerunt.

1. *Doclrina conciliaris.* Tempore et occasione schismatis occidentalis apud plures sententia invaluit *de superiorilate Concilii supra Papam :* quæ sententia quidem prius Papam dubium respiciebat, mox vero et Papam certum. Fundamentum doctrinæ erat opinio concilium cecumenicum (absque Papa) Ecclesiam catholicam repræsentare et potestatem immediate a Deo habere. De facto vero conceptus politicus mediævalis de constitutione regnorum civilium ad constitutionem Ecclesiæ transferebatur. In concilio Pisano (1409), Constantiensi (1414-1418) et Basiliensi pars patrum errorem approbavit[1].

1. Concilium *Pisanum* neque fuit cecumenicum neque est approbatum — contra Gallicanos qui illud cecumenicum declaraverunt. Cf. A. Weiss, *Historia eccl.,* II, i, p. 529, nota 5. Cone, vero *Conslantiense* tempore sess. IV et V, in quibus error de superioritate Concilii sancitus est, neque fuit cecumenicum neque illa decreta

2. *Bicherianismus.* Richer (Edm.) in libro suo *De ecclesiastica el politica potestate* (1611) tenet, Rom. Pontificem esse caput *ministeriale* tantum Ecclesiæ adeoque eius potestatem esse limitatam, non se extendere ad corpus episcoporum ac proprie tantum interpretationem et executionem canonum spectare, utique loco et nomine Ecclesiæ et Cone, generalium. Itaque hæc doctrina negat, in Romano Pontifice esse potestatem plenam et supremam jurisdictionis ac tantum primatum inspectionis et *directionis* admittit; simul docet errorem, potestatem Romani Pontificis esse ab Ecclesia universali acceptam1.

3. *Gallicanismus.* « Declaratio cleri Gallicani » (1682) sequentes errores defendit : a) Romano Pontifici potestas quidem rerum spiritualium, non vero civilium et temporalium tradita est ; *b)* Apostolicæ Sedi plena quidem potestas rerum spiritualium competit, tamen valent decreta Cone. Constant, de auctoritate Conciliorum generalium ; c) usus potestatis apostolicæ moderandus est per canones Cone, generalium et per ius commune, imo valent etiam consuetudines Ecclesiæ gallicanæ2. Quæ declaratio ab Innocentio XI, Alexandro VIII et Pio VI damnata est. Peccat

conlirmationem Pontificis obtinuerunt : teste enim Turrecremata *(Summa de Ecclesia,* n, 94) sola oboedientia Iohannis XXIII in illis decretis formandis intererat et Martinus V ea tantum confirmavit quæ « conciliante!· statuta sunt et non aliter ». Cone, denique Basileense fuit quidem cecumenicum, attamen eius decreta ab *Eugenio IV* cum hac clausula approbata sunt : « absque præiudicio iuris, dignitatis et præeminentiæ S. Sedis apostolicæ », e contra *Eugenius* definitionem Cone. Florentini (1439) de primatu Horn. Pontificis approbavit.

1. Puis VI sequentes duas propositiones Synodi Pistoriensis damnavit quibus doctrina Richerii resumitur.

Prop. 2 : « Propositio, quæ statuit, potestatem a Deo datam Ecclesiæ, ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum ; sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas : haeretica.

Prop. 3. Insuper quæ statuit, Romanum Pontificem esse *caput ministeriale,* sic explicata ut Rom. Pontifex non a Christo in persona B. Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua valut Petri successor, verus Christi vicarius ac totius Ecclesiæ caput, pollet in universa Ecclesia : hæretica ». Denz., 1502 s.

2. Denz., 1322-24.

autem dicta declaratio principaliter per falsum intellectum plenitudinis potestatis R. Pontificis.

4. Febronianismus el losephinismus. — Errores Gallicani mox in Germaniam transierunt, acceptis quibusdam modificationibus. *Febronius* (Hontheirn) in libro « De statu Ecclesiæ et legitima potestate Romani Pontificis » (1763) inter iura *essentialia* et *accidentalia* primatus distinguit : essentialia intelligit ea quæ divinitus primatui annexa sunt, accidentalia vero illa quæ iure humano ex causis historicis Rom. Pontificibus accesserunt. lamvero tantum primatum inspectionis et directionis tanquam ius essentiale agnoscit, potestatem R. Pontificis maxime deprimit et quasi evacuat atque e contrario potestatem episcoporum indebite augere conatur (systema episcopalismi)1. Tempore Mariæ Theresiæ et losephi II, Febronianismus præsertim in ditionibus austriacis ad praxim deductus est, et maximo quidem cum damno animarum, ac inde nomen *losephinismi* accepit.

III. Attributa primatus R. Pontificis probantur.

Prob. 1. *Ex S. Scriptum :* Christus Dominus verbis quibus primatum instituit, illum nullo modo tanquam primatum inspectionis vel directionis tantum, neque tanquam primatum limitatum, Ecclesia* universali subiectum vel

1. Pius VI, in Brevi *Super soliditate* dammando librum canonist» *Eybel* « Was ist der Papsl » ? febronianis hosce errores obicit : « Quemlibet episcopum vocal uni a Deo ad gubernationem Ecclesiæ non minus quam Papam, nec minore præditum esse potestate : Christum eandem per se Apostolis omnibus potestatem dedisse : quidquid aliqui credant oblinere et'concedi solum a Pontifice, posse idipsum... perinde obtineri a quolibet episcopo : voluisse Christum Ecclesiam reipublicæ more administari : et quidem regimine opus esse præside pro bono unitatis, verum qui non audeat se aliorum, qui simul regunt, negotiis implicare ; privilegium tamen habeat négligentes cohortandi ad sua implendi munia : vim primatus hac una prærogativa contineri supplendae aliorum negligent!», prospiciendi conservationi unitatis hortationibus el exemplo : Pontifices nil posse in aliena diœccsi præterquam extraordinario casu : Pontificem caput esse, quod vim suam ac firmitatem teneat ab Ecclesia : licitum sibi fecisse Pontifices violandi iura episcoporum, reservandique sibi absolutiones, decisiones, appellationes... » Denz., 1500.

ab ipsa acceptum indicat, sed e contra tanquam primatum veræ jurisdictionis, tanquam potestatem plenam et supremam circa universam Ecclesiam atque ut immediate a Christo acceptam.

Ecquidem facile patet, quod per verba : « super te ædificabo Ecclesiam meam — tibi dabo claves regni cœlorum — confirma fratres tuos — pasce oves meas » exprimitur :

1° Potestas *iurisdictionis,* i. e. potestas in alios tanquam in subditos, ut art. 43-45 ostensum est ;

2° Potestas *universalis,* quia tota Ecclesia super Petrum ædificatur, omnes fratres et oves Petro committuntur ;

3° Potestas *plena,* inquantum Ecclesia, claves, fratres et oves uni Petro simpliciter committuntur ;

4° Potestas *suprema,* inquantum iterum tota Ecclesia, omnes fratres et oves Petro subiciiuntur ;

5° Potestas *ordinaria,* inquantum functio et officium Petri nullo modo ad casus extraordinarios restringitur, sed e contra regimen Ecclesiæ, confirmatio fratrum et officium pastorale simpliciter Petro imponitur ;

6° Potestas *immediata,* inquantum Ecclesia tota, fratres ipsi et oves Petro committuntur ;

7° Potestas *immediate* a Christo accepta, inquantum Christus nullo, ne quidem minimo indicio, potestatem Ecclesiæ gubernandæ Ecclesiæ universali vel corpori episcoporum tradit, sed e contra directe ipsi Petro.

Mirari merito quis poterit, verba Domini tam expressa ‹•l clara, a viris catholicis doctissimis et piissimis, in sensu contrario intellecta et exposita fuisse. Id quod tamen inde contigisse videtur quod plures ideis falsis præoccupati non tam verba Domini exposuisse quam ideas suas Christo imposuisse videntur. Inter præsupposita illa falsa primum locum obtinet conceptus democraticus circa constitutionem Ecclesiæ. Idem in questione de infailibilitate Rom.Pon-Pontificis accidit.

Prob. 2. Ex traditione : Principia generalia. — Ecclesia vel us *a) textus* S. Scripturæ circa primatum nequaquam secundum sententiam gallicanam-febronianam, sed conformiter ad doctrinam Cone. Vatie, interpretata est, ita quidem ut attributa singula succedentibus tantum temporibus darius et distinctius cognoscerentur; ὀ) in *praxi*

primatum Rom. Pontificum minime tanquam officium inspectionis vel directionis, ab Ecclesia commissum et nomine eius exercitum ac per voluntatem Ecclesiæ vel episcoporum limitatum, intellexit, sed e contra tanquam officium et potestatem immediate a Christo collatam. in universam Ecclesiam suprema atque apostolica auctoritate exercendam.

B. *In particulari.*

Non opus est, novos textus adducere, cum iisdem textibus et factis historicis quibus primatus ipse probatur, simul eius vera vis et ratio enuncietur. Quæstio est de interpretandis textibus et factis. lamvero doctrina et praxis veterum omnino contraria est sententiæ gallicano-febronianæ.

α) *Potestas iurisdictionis.* — Secundum Gallicanos et P'ebronianos potestas R. P. non est vera potestas iurisdictionis — doctrina vero et praxis antiquitatis R. Pontifici potestatem, principalitatem et curam respectu aliarum ecclesiarum attribuit — ad modum quo episcopi potestatem in propria diocesi habent.

b) Potestas ***universalis.*** Gallicani et Febroniani potestatem R. P. restringunt ad certos limites, vetus vero traditio nullam causam excipit, licet principaliter in causis maioribus insistat. Quodsi enim veteres urgent, in causis maioribus ad R. P. esse recurrendum, sensus est, in his *necessario* esse recurrendum; simul quælibet causa ex circumstantiis adiunctis « causa maior » fieri potest, ut maxime ex historia patet. Neque ab antiquis distinctio ponitur quod quod R. P. habeat quidem potestatem in singulas ecclesias distributive sumptas, non vero in omnes collective sumptas — e contrario enim primario ponitur potestas R. P. in Ecclesiam universalem ut talem.

c) Potestas plena. — Gallicani potestatem inter R. P. et Ecclesiam vel corpus episcoporum dividunt, et Febroniani insuper potestatem divinitus acceptam (« iura essentialia ») ad solam inspectionem et vel directionem restringunt — veteres vero e contrario *ipsi et soli* R. Pontifici potestatem in universam Ecclesiam et quoad omnes causas attribuunt, ac similiter iidem R. Pontifici absolutam potestatem regendi, pascendi, ligandi atque solvendi

ut divinitus datam adscribunt. Certe nulla idea traditioni magis est contraria quam idea limitationis potestatis pontificiae, eo vel magis quod potestas episcopi in propria dioecesi quasi illimitata considerabatur.

d) Potestas suprema. — Gallicani et Febroniani ponunt, potestatem R. P. subordinatam esse vel universali Ecclesiæ vel corpori episcoporum vel Concilio generali — traditio vetjs e contra tenet, Ecclesiam universalem sicut super Petrum ædificatam, ita et eius curæ commissam esse ; simul expresse statuitur principium quod Summa Sedes a nullo indicatur. Denique potestas suprema R. P. ex eius habitudine ad Concilia cecumenica manifeste apparet.

e) *Potestas ordinaria.* — Gallicani et Febroniani officium R. Pontificum ut extraordinarium considerant, utpote ipsi competens ex rationibus particularibus, non vero vi officii vel causæ — veteres vero officium R. P. ut ordinarium considerant, sc. ut competens ratione mandati divini circa Ecclesiam regendam, pascendam et confirmandam, ut competens ratione potestatis ligandi atque solvendi.

/) Potestas immediata. — Gallicani et Febroniani putant, R. Pontificem tantum mediantibus episcopis in res et personas diœcesum potestatem exercere posse — vetus vero Ecclesia quidem tenet, Rom. Pontificem episcopis præcipere, sed simul tenet, eius ordinationes et decreta valere pro omnibus et singulis fidelibus. Id quod certe patet quoad decreta in quæstionibus fidei ; simul tamen quoad res disciplinares et regimen Ecclesiæ : ham non tantum episcoporum, sed ecclesiarum, irijimo fidelium omnium cura, confirmatio et regimen R. Pontificibus commissum esse asseritur. Gallicani igitur et Febroniani immerito sic argumentantur : R. P. præcipit episcopis — ergo non immediate fidelibus. Secundum traditionem antiquam res e contrario se habet : causa eo ipso quod a R. P. indicata est, simpliciter iudicata est. Denique Gallicani et Febroniani iudicium de causa confundunt cum executione indicii.

pj *Potestas B. P. immediate a Christo accepta.* — Error denique fundamentalis ac quasi radicalis Gallicanismi et tebronianismi est quod R. P. potestatem suam mediante Ecclesia universali accipiat. Quæ sententia manifeste a mente Ecclesiæ antique alienissima est. Nam omnes vete-

res unanimiter in Rom. Pontifice eam solam potestatem profitentur quam Christus immediate Petro contulit. Aliis verbis : secundum traditionem veterem R. P. potestatem super Ecclesiam habet, non quidem ut mandatarius Ecclesiæ vel episcoporum, sed ut successor Petri et vicarius Christi.

Quæ cuncta facile patent ex testimoniis adductis. Merito igitur Cone. Vatie, tum ad « aperta sacrarum litterarum testimonia », tum ad Rom. Pontificum et Conciliorum generalium « disserta perspicuaque decreta » appellat. Error vero Gallicanorum et Febronianorum inde explicari potest quod constitutionem Ecclesiæ nimis ad analogiam constitutionis et originis potestatis civilis interpretabantur, ac denique explicatur ex jnfluxu schismatis occidentalis, idearum protestantismi nec non ex aversione politica.

Prob. 3 *ex ratione theologica :* Rom. Pontifex potestatem primatus habet *a)* ut *vicarius Christi,* i. e. ut vices Christi gerens, ut regimen Christi visibiliter continuans, ut caput visibile regni Christi in terris ; *b) in bonum Ecclesiæ,* ut sc. Ecclesia Christi in unitate fidei, regiminis et communionis conservaretur atque in bonis omnibus spiritualibus promoveatur. Atque ex utroque capite primatus necessario qualitates a Cone. Vatie, assignatas habet. Ergo.

Prob. minor. Potestas alicuius vicarii sequitur naturam potestatis illius cuius est vicarius. lamvero Christus cuius Rom. Pontifex est vicarius, habet potestatem veram iurisdictionis in universam Ecclesiam, supremam, plenam, etc. Jdeoque ex natura rei Petrus eiusque successores sicut potestatem ab ipso Christo obtinent, ita etiam plenam atque supremam potestatem. Atque in hoc præcipue error Gallicanisini et Febronianismi consistit quod Romanum Pontificem tanquam ministrum Ecclesiæ, non vero tanquam vicarium Christi ipsius considerant : inde enim omnes alii errores sequuntur.

Ad *b).* In societate bene ordinata vis ac potestas capitis talis est qualis ab bonum societatis consequendum necessaria est. lamvero conservatio unitatis Ecclesiæ et bonum spirituale, quod est finis regiminis Rom. Pontificis, exigit ut Rom. Pontifex habeat potestatem plenam atque supremam, secus enim neque unitas efficaciter conservari pote-

ı-il neque bonum spirituale efficaciter promoveri : quodsi enim potestas non est plena atque suprema, resistentiæ locus apertus est ac regimen proinde inefficax redditur et finis obtineri nequit : id quod præcise ex historia Gallieanismi et Febronianismi patet : summa enim confusio, l urbatio unitatis, periculum schismatis et hæresis ac denique summum damnum animarum inde ortum est.

Conf. Unitas Ecclesiæ in fide, cultu, regimine et in communione fidelium est bonum quod necessitate summa obtineri oportet sicut et salus animarum : unde eadem necessitate, sicut unum caput Ecclesiæ necessarium est, ita et, potestas ipsius necessario plena atque suprema esse debet.

Neque valet in hac re analogia inter societatem civilem et Ecclesiam. Unitas enim quæ in societate civili requiritur, non est tam arctæ necessitatis sicut unitas quæ in Ecclesia requiritur, neque bonum ad quod societas civilis est instituta, est tam altum vel tam necessarium sicut bonum animarum quod est finis Ecclesiæ.

Denique Christus unitatem Ecclesiæ tanquam notam veræ Ecclesiæ promiserat : unde Christus necessario Ecclesiam ita constituere debuit ut unitas efficaciter conservari posset. Atque in hunc finem caput unicum totius Ecclesiæ instituit cum potestate plena ac suprema, sicut et de facto per huiusmodi potestatem postmodum succedentibus temporibus unitas Ecclesiæ efficaciter conservata est atque bonum animarum efficaciter promotum[1].

Prob. 4°. *Per doctrinam S. Thomæ* : Aquinas optime sic argumentatur[2].

a) « Manifestum est quod quamvis populi distinguan-

1. Optime S. Thomas, C. G., iv, 76: « Ad unitatem Ecclesiæ requiritur quod omnes fideles in fide conveniant. Circa vero ea quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri ; per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur igitur ad unitatem Ecclesiæ conservandam quod sit unus qui toti Ecclesiæ præsit. Manifestum est autem quod Christus Ecclesiæ in necessariis non deficit quam dilexit et pro ea sanguinem suum fudit. Non est igitur dubitandum quin *ex ordinatione Christi unus loti Ecclesiæ præsit* ».

2. C. G., iv, 76.

tur per diversas dioeceses et civitates, tamen sicut una est Ecclesia, ita oportet esse *unum populum* christianum. Sicut igitur in spirituali populo unius ecclesiæ requiritur unus episcopus, qui fit totius populi caput, ita in toto populo christiano requiritur quod *unus* sit *lotius Ecclesiae caput.* »

b) « Nulli dubium esse debet quin Ecclesiæ regimen sit optime ordinatum, utpotc per eum dispositum per quem reges regunt... Optimum autem regimen multitudinis est ut regatur per unum[1] : quod patet ex fine regiminis, qui est pax : pax enim et unitas subditorum est finis regentis. Unitatis autem congruentior causa est unus quam multi. Manifestum est igitur regimen Ecclesiæ sic esse dispositum ut *unus loti Ecclesiæ* præsit[2]. »

c) « Ecclesia militans ex triumphanti Ecclesia per similitudinem derivatur... In triumphanti autem Ecclesia unus præsidet qui etiam præsidet in toto universo, sc. Deus... Ergo in Ecclesia militante unus est qui præsidet universis... »

Aliud argumentum iam supra retulimus. Omnia huiusmodi argumenta ostendunt : contra græcos quidem quomodo primatus sit conformis constitutioni concretæ Ecclesiæ, iinmo necessario ex illa consequatur ; contra Gallicanos el Febronianos vero ostenditur necessitas primatus iurisdictionis, cum plenitudine potestatis supremæ, ut « *unus præsil universa· Ecclesiæ* ».

IV. Obiectiones. — Liceat in antecedens notare : plures, immo quasi omnes difficultates temporis antecedentis ex falso intellectu praerogativarum primatus exortæ sunt vel ex timore vano ; inde huiusmodi difficultates post definitionem Concilii Vaticani, facta iam luce plena circa vim et rationem primatus, evanuerunt.

Ob. 1. Plenitudo potestatis supremæ periculum libertatis inducit, occasionem tyrannidis præbet ac abusui potestatis locum aperit. Atqui libertas in Ecclesia servari oportet, tyrannis a regno Christi excluditur ac abusus potestatis summum damnum inferret. Ergo plenitudo potestatis est contra naturam Ecclesiæ et voluntatem Christi.

1. Sc. per se loquendo.
2. Explicationem huius argumenti habes in arg. antecedente.

Resp. a) Huiusmodi argumentum *nimis* adeoque nihil probat. Etenim periculum abusus potestatis in damnum libertatis omni potestati coniuncta est; unde iuxtà tenorem argumenti omnis potestas abolenda esset : id quod nec Gallicani nec Febroniani admittunt.

Z») Huiusmodi periculum est *per accidens,* i. e. non sequitur ad potestatem ipsam, sed ad voluntatem inordinatam eorum qui potestate sunt instructi : unde corrigendi sunt homines, non vero potestas neganda.

c) Dictum periculum in Ecclesia est *minimum.* Excluditur absolute quoad res fidei et morum ob infallibilitatem It. Pontificis ; excluditur moraliter quoad res disciplinares et regimen Ecclesiæ, tuin propter defectum potestatis materialis in Summis Pontificibus, tum propter assistentiam Spiritus Sancti qui Ecclesiæ non tantum in definitione revelatorum, sed etiam in regimine assistit, tum etiam propter cooperationem Ecclesiæ universalis : abusus enim potestatis nequaquam in tota Ecclesia admitteretur.

De facto historia Ecclesiæ tum ante definitionem Vaticanam tum potissime post illam luculenter ostendit, periculum abusus in Ecclesia fuissë minimum; e contra fautores Gallicanismi et Febronianismi libertatem ecclesiasticam ludibrio potestatis sæcularis tradiderunt, dum Pontifices Romani illam strenue defendebant, usque ad hodiernum diem.

Ob. 2°. Potestas ministerialis est potestas directionis, subordinata potestati superiori atque per illam limitata. Atqui potestas Rom. Pontificis est potestas ministerialis, quia est in bonum Ecclesiæ. Ergo potestas R. Pont, non est neque plena neque suprema.

Resp. Potestas ministerialis est subordinata et limitata, <list. : potestas ministerialis ratione originis, cone., ratione finis, nego.

Ad min. Potestas Rom. pontificis est ministerialis, contradist. : ratione finis, conc. ratione originis, subdist. : relate ad Christum, conc., relate ad Ecclesiam, nego.

Explic. Potestas dicitur ministerialis dupliciter : uno motio ratione originis, inquantum sc. ab alio accipitur et in nomine et sub directione illius exercetur : ita potestas ministrorum regum est ministerialis ; alio motio inquantum

habetur et execetur non in utilitatem propriam sed in bonum communitatis : ita etiam potestas regum debet esse ministerialis. lamvero potestas Romani Pontificis est quidem ministerialis ratione finis : nam Petrus et successores eius habent potestatem in bonum Ecclesiæ, non vero incommodum proprium, ut patet ; non vero est potestas ministerialis ratione originis, quasi sc.sit ab Ecclesia universali accepta et secundum eius dictamen exercenda. Est vero potestas Romani Pontificis ministerialis relate ad Christum atque sic R. Pontifex est quidem vicarius Christi, habet potestatem subordinatam potestati Christi et exercendam secundum voluntatem et ordinationem Christi. Inde evanescit obiectio principalis Richerianorum et aliorum.

Ob. 3°. Plures prepositi immediati et ordinarii in una eademque societate repugnant vel saltem confusionem creant. Atqui potestas episcoporum est immediata et ordinaria. Ergo potestas R. Pontificum non potest esse simul ordinaria et immediata.

Besp. Duplex potestas imme liata et ordinaria repugnat, dist. ; non ordinata ad invicem, conc. ; ordinata ad invicem, nego.

Explic. Duplex potestas immediata et ordinaria, quarum una alteri non subor linatur, merito admitti nequit ; quodsi vero una altari subordinatur, nulla habetur repugnantia, sicut experientia communis ostendit, ut in diversis societatibus civilibus vel in ordinibus religiosis, ut e. *g.* in ordine Prædicatorum, ubi prior eonventualis, prior provincialis et Magister generalis sunt [superiores immediati et ordinarii. lamvero in Ecclesia episcopi quidem sunt prepositi immediati et ordinarii suorum subditorum, at ipsi eodem modo Romano Pontifici sunt subordinate Id quod Gallicani et Febro liani quidem negare conati sunt ac per hoc ipsum ordinem Ecclesiæ perturbaverunt, non admittentes sc. in Rom. Pontifice potestatem veram iurisdictionis supremæ in corpus episcoporum.

Ob. 4°. Unius societatis non est nisi unum caput. Atqui caput Ecclesiæ est Christus. Ergo aliud caput, sc. Romanus Pontifex, excluditur.

Besp. Unius societatis non est nisi unum caput, dist. ;

eiusdem potestatis et ordinis, conc. ; diversæ potestatis, ita ut aliud caput sit subordinatum, nego.

Atqui Christus est caput Ecclesiæ : cum potestate superiore quam potestas Rom. Pontificis, conc. ; eiusdem potestatis et ordinis, nego.

Expl. Certe in una eadeinque societate non possunt esse duo capita eiusdem potestatis et ordinis ; bene tamen unum caput supremum et aliud caput subordinatum. Iamvero in Ecclesia Christus est caput supremum, quod habet potestatem altioris ordinis quam Romanus Pontifex, ita ut ille Christo sit subordinatus sicut vicarius domino. Inde nulla repugnantia. Ratio vero institutionis capitis vicarii est quia Christus Ecclesiæ iam non est visibiliter præsens et omnis societas visibilis caput visibile exigit. Unde cessat hæc obiectio quæ est principalis Græcorum, simul tamen, licet sub alio respectu, Gallicanorum.

S. Thomas obiectionem optime his verbis per argumentum ad hominem refutat. « Si quis autem dicat, quod unum caput et unus pastor est Christus, qui est unus unius Ecclesiæ sponsus, *non sufficienter respondet.* Manifestum est enim quod ecclesiastica sacramenta ipse Christus perficit : ipse enim est qui baptizat, ipse est qui peccata remittit, ipse est verus sacerdos qui se obtulit in ara crucis et cuius virtute corpus eius in altari quotidie consecratur ; et tamen, quia corporaliter non cum omnibus fidelibus præsentialiter erat futurus, elegit ministros, per quos prædicta fidelibus dispensaret. Eadem igitur ratione, quia præsentiam corporalem erat Ecclesiæ subtracturus, oportuit ut alicui committeret qui loco suo universalis Ecclesiæ gereret curam1... »

V. De ratione connexionis primatus cum Sede Romana. — Fide divina constat, Romanum Pontificem cumque solum esse successorem Petri in primatu. Inde tamen oritur quæstio qua ratione et quomodo primatus coniunctus sit cum Sede Romana. Ad confusionem evitandam tria hic distinguenda sunt.

1. *Quomodo facium est ut Petrus Sedem suam Itoniam con-*

I. C. G., iv, 7fi.

tulerit ? Duplex datur possibilitas : aut enim *Christus* ipse Petro revelavit ac ordinavit ut urbem Romam eligeret aut *Petrus* ex electione propria Roman elegit. Primum sustineri nequit. Nam huiusmodi revelatio necessario esset publica et in deposito fidei extaret. lamvero in traditione nihil de' ea reperitur. Quodsi in pluribus documentis asseritur, Ecclesiam Rom. habere primatum « disponente Domino » vel « ex dispositione divinal », sensus est quod primatus Rom. Pontifici competat iure divino, non vero ex institutione vel commissione Ecclesiæ. E contra Christus Petro id reliquisse videtur, ut ipse tanquam fundamentum et caput Ecclesiæ locum sedis suæ eligeret. Certo tamen supponendum est, Petrum ex illuminatione quadam speciali et conformiter ad divinam providentiam Romam elegisse atque electionem suam divinitus confirmatam fesse per gloriosum martyrium[1]. Inde solvitur altera quæstio.

2. *(Quatiam ex ratione Rom. Pontifex est successor Petri in primatu ?* Hæc quæstio facile solvitur. Respondendum est enim : Supposita Sede Romana b. Petri et morte eius in hac sede, *Rom. Pontifex est successor Petri in primatu ex vi divinæ institutionis primatus in Petro.* Christus enim Dominus, primatum Petro conferendo, ita istum Petro contulit ut perduraret in eius successoribus : successor autem Petri est qui ipsi in sede sua succedit. Atque Cone. Vatie, declaravit : « Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is *secundum Christi ipsius institutionem* primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. »

3. Inde denique solvitur quæstio *quo iure primatus episcopatui romano annexus sit.* Autores veteres diversimode sentiunt : alii, ut D. Soto[3], ponunt, connexionem esse de iure divino, supposita tamen coniunctione (ius mixtum), alii ut Johannes a S. Thoma[4][5]dubitant de iure divino (ius ecclesiasticum), alii simpliciter ius divinum ponunt, ut Caietanus[®].

1. *Leo* M., citatus a Cone. Vatic., Sess. IV, c. ii.
2. Gelasius I : « Christus eum (sc. Petrum) dispensatione miraoili in hominam gentium Romam direxit ut in præcipua urbe vel prima primum et præcipuum dirigeret Petrum. » *Tract. De damnatione nominum Petri et Aeacii,* vm.
3. *IV Sent.,* d. 24, q. n, a. 5.
4. *Cursus theol.,* de auct. s. Pont., a. 4, 9.
5. *De Rom. Ponti/, instil., c.* xnr.

Post declarationem tamen Cone. Vatie, de *ratione* connexionis primatus cum Sede Romano melius tenendum esse videtur quod primatus *iure divino* episcopatui romano coniunctus sit, i. e. secundum Christi ipsius institutionem. Neque obstat quod Petrus ex propria electione sedem suam Romæ collocant : hæc enim electio et factum historicum sedis romanæ et mortis Petri in hac sede est tantum *conditio,* non vero *ratio* iuris divini obtinendi. Simili quodam modo omnis sacerdos est sacerdos de iure divino, non vero tantum de iure humano vel ecclesiastico (unde nulla potestas huius mundi sacerdotium alicui auferre potest), et tamen consecutio sacerdotii a factis humanis dependet, ut a consensu ordinandi, ab approbatione episcopi, ab ordinatione effectiva et ab aliis huiusmodi. Petrus igitur ipse Romam elegit, at quod eius successor habeat primatum, est ex ordinatione Christi[1].

4. Inde sequitur :

a) *Primatus inseparabiliter Sedi Romanæ coniunctus est,* ita sc. ut nulla potestas nec civilis nec ecclesiastica primatum a Sede Romana separare ac in alium episcopum transferre valeat. Corollarium patet : etenim secundum Christi ipsius institutionem successor Petri nec alius primatum in Ecclesiam habet. Neque ulla potestas neque civilis neque ecclesiastica efficere potest ut alius quam R. Pontifex sit successor Petri in cathedra Romana. Unde Pius IX damnavit sententiam Nuytz, professoris Taurinensis (Syll., prop. 35) quæ tenet : « Nihil vetat alicuius Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, suminum Pontificatum a romano episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri. »

b) Ecclesia Urbis Romæ vel Sedes R. Pontificum in promissionibus vel *in charismate Petri participat.* Cum «•nim Ecclesia universalis ædifieata sit supra Petrum tanquam fundamentum inexpugnabile, etiam Ecclesia Urbis Romæ ut sedes vel cathedra Petri est inexpugnabilis et *indefectibilis.* Unde Ecclesia Urbis Romæ nunquam totaliter interibit, i. e. semper ibi erunt fideles qui ecclesiam constituant, immo ipsa Urbs *Roma* erit *æterna,* vi sc. promissionis Petro factæ : poterit quidem minui, ita tamen

1. Reliqua iuristis relinquimus.

ut remaneat ecclesia quædam vel sedes episcopatus. Nec Domino media deficiunt ad conservandam Romam.

c) Ecclesia et Urbs Romana præterquam Domino proprie *Petro debet quod sit caput Ecclesiæ :* unde sicut Domino ita et Petro specialem gratitudinem, amorem, oboedientiam exhibere debet nec non honorem, præcipue in eius successoribus. Simul *vera* dies natalis Urbis Romæ erat illa in qua Dominus dixit : « Tu es Petrus, etc., « vel in qua Petrus Romæ mortuus est. Ac denique vera Roma æterna non est Roma politica sed Roma Petri successorumque eius.

ARTICULUS QUADRAGESIMUS NONUS

De infallibilitate Romani Pontificis

1. Doctrina catholica. — 1. Cone. Vatic.[1] post definitionem primatus *Rom. Pontificis* doctrinam de eiusdem *magisterio* infallibili definit. Quoad magisterium Concilium determinat, in ipso primatu supremam quoque *magisterii potestatem* comprehendi.

Ratione huius supremi magisterii ad Rom. Pontifices præ cæteris pertinet, « fidei veritatem defendere et si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones suo indicio definire » vel generaliter « traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodire et fideliter exponere ». « Huic pastorali muneri ut satisfacerent, Rom·. Pontifices indefessam semper operam dederunt ut salutaris Christi doctrina apud omnes terræ populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur « atque » ea tenenda definierunt quæ Sacris Scripturis et Apostolicis traditionibus consentanea, Deo adiutore, cognoverunt. »

Atque « omnes venerabiles Patres amplexi et sancti doctores orthodoxi venerati et secuti sunt » doctrinam ab Apostolica Sede propositam, « plenissime scientes hanc *Sancti Petri sedem ab omni semper errore illibatam permanere* secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam : Ego rogavi pro te etc. » (Lc., xxn, 32). Magisterio igitur supremo infallibilitas coniuncta est.

2. *Finis* infallibilitatis magisterii Rom. Pontificis ita determinatur : « Hoc igitur veritatis et fidei nunquam deficientis charisma Petro eiusque in hac cathedra successoribus divinitus collatum est ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus cælestis doctrinæ

1. Scss. IV, c. iv ; Denz., 1832-1840.

pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur atque suo fundamento innixa, firma adversus inferi portas consisteret. » Unde definitio infallibilitatis R. Pontificis tanquam omnino necessaria declaratur, inquantum « hac ipsa ætate salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur ».

3. Denique *infallibilitas* R. P. his verbis *definitur :* « Docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus : Romanum Pontificem cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit ; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ irreformabiles esse. »

II. Explicatur definitio Vaticana. — 1. *Subiectum* infallibilitatis est : *Romanus Pontifex,* i. e. illa *persona* quæ est Romanus Pontifex, utpote ratione officii. Infallibilitas igitur merito dicitur personalis, inquantum primario et per se personæ determinate competit, non quidem tanquam ex indole et vi intellectuali personæ proveniens, sed ut ipsi vi muneris competens.

2. *Obiectum* infallibilitatis sunt *definitiones ex cathedra :* « cum ex cathedra loquitur ». Locutio e cathedra ab ipso Concilio exactissime determinatur, et quidem quatuor conditiones assignantur.

Locutio vel definitio ex cathedra habetur :

a) Cum Romanus Pontifex « omnium Christianorum pastoris et doctoris munere fungitur », i. e. cum *ut Romanus Pontifex* loquitur : per hoc negative dicitur quod R. Pontifex non est infallibilis si licet Rom. Pontifex existons, tamen ut persona privata loquitur vel docet, ut. e. g. Benedictus XIV in suis operibus theologicis conscribendis vel quilibet R. P. in suis quotidianis locutionibus.

b) Cum R. P. « pro sua suprema apostolica auctoritate » aliquid docet, i. e. *cum utitur sua suprema auctoritate :* potest enim aliquis auctoritate pollere quin ea in loquendo

yel docendo utatur. Effectus autem usus auctoritatis est obligatio subditis imposita ut ea accipiant quæ ab auctoritate proponuntur. Ideoque ut definitio ex cathedra habeatur, requiritur ut fidelibus *obligatio* imponatur doctrinam propositam accipiendi vel tenendi. Negative inde sequitur, definitionem ex cathedra non adesse cum R. Pontifex quidem ut pastor et doctor omnium fidelium loquitur, quin tamen utatur sua suprema auctoritate, quin sc. omnes obliget ad doctrinam propositam accipiendam. Itaque neque definitio ex cathedra neque infallibilitas habetur cum Rom. Pontifex quidem ut Rom. Pontifex loquitur, tamen consiliando tantum, vel suadendo vel exhortando vel simpliciter proponendo doctrinam tanquam bonam quin proprie obliget. Atque hac ratione e. g. Leo XIII in plurimis suis magnificis Encyclicis doctrinam christianam et catholicam ut Rom. Pontifex, ut pastor omnium omnibus proposuit, at tantum insinuando, consiliando, exhortando, suadendo, simpliciter proponendo, non vero definiendo ex cathedra, adeoque non formaliter infallibiliter[1].

c) Cum R. Pontifex « *doctrinam de fide vel moribus* » definit. Hic obiectum materiale determinatur. « Doctrina de fide vel moribus » est *doctrina revelata,* est doctrina per se revelata, quæ sc. ad aedificationem doctrinæ christianæ pertinet vel quæ, depositum fidei constituit et in S. Scriptura et divinis traditionibus continetur[2].

1. Uti palet, huiusmodi doctrina R. Pontificum, licet non sit proprie infallibilis, tamen summam habet auctoritatem theologicam, ut infra, art. 67 exponemus.

2. Disputatur inter theologos utrum per particulam « doctrina de fide vel moribus »; significetur tantum doctrina formaliler vel immediate revelata an simul doctrina virtualiter vel mediate revelata. Certe constat, comprehendi ad minus doctrinas formaliler vel immediate revelatas, sive explicite sive implicite. Virtualiter vel mediate tantum revelata comprehendi minus probabile videtur ; saltem *vi definitionis.* Nam definitiones Conciliorum sunt formaliter et proprie accipiendæ : doctrina vero de fide vel moribus proprii et formaliler revelata significat ; deinde secundum sententiam communem, comprobatam per C. I. C., can. 1323, § 3, declarata seu definita dogmatice res nulla intelligitur nisi id manifeste constiterit » : cum igitur manifeste non constet, etiam mediate vel vir-

Cum Romanus Pontifex ea polleat infallibilitate qua dii vinus Redemptor Ecclesiam suam instructam esse voluit, infallibilitas Rom. Pontificis *primario* quidem est circa immediate revelata, *secundario* circa ea quæ sunt connexa cum revelatis : infallibilitas circa ipsa revelata est dogrpa definitum, infallibilitas circa connexa cum revelatis est doctrina catholica.

d) Cum R. P. doctrinam « ab universa Ecclesia tenendam definit », i. e. requiritur *sententia definitiva.* Uti iam supra vidimus, Ecclesia aliquam doctrinam fidelibus imponere potest quin iudicium proprie infallibile circa illam ferat, idque fit cum iudicium fit quidem ex auctoritate, non tamen est definitivum. Sententia vero definitiva dicitur ex eo quod secundum voluntatem et intentionem Ecclesiae quaestioni finis imponitur, quod, sicut dicit S. Thomas, quæstio « finaliter determinatur[1] ». Huiusmodi sententia definitiva in rebus fidei et morum habetur cum doctrina omnibus *tanquam revelata et credenda proponitur.* Ita Pius IX doctrinam de Immaculata Conceptione B. M. V. tanquam « a Deo revelatam atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam » definivit ; similiter ipsum Cone. Vatie, infallibilitatem Rom. Pont, ut « divinitus revelatum dogma » definit.

Cum hæc ultima conditio sententiae definitivae alias conditiones includat atque maxime formalis sit, ad diiudicandum utrum aliquod indicium sit infallibile, sufficit statuere quod habeatur iudicium definitivum quo aliqua doctrina tanquam credenda proponitur. Idem dicendum est quoad indicia circa ea quæ cum revelatis sunt connexa.

3. Inde oritur *quæstio, undenam constet, aliquam sententiam esse definitivam.* Resp. Constat : a) per formulam expressam qua Rom. Pontifex utitur, ut « definimus tanquam dogma » « definimus tanquam doctrinam revelatam »; *b)* ex obligatione imposita profitendi aliquam doctrinam, ut in antiquis symbolis, in professione fidei Concilii Triden-

tualiter tantum revelata ad doctrinam fidei vel morum pertinere, illa sub definitione vaticana cadere non videntur.

De reliquo ad acceptionem diversam termini « revelationis-virtualis » attendendum est : ei. a. 33 III.

1. II, II, q. i, a. 10.

fini vel quoad aliquas propositiones luramenti contra errores Modernistarum ; c) ex declaratione, quod aliter sentientes sint hæretici vel alieni a fide vel exclusi ab unitate Ekclesiæ ; d) ex pænis quæ aliter sentientibus infliguntur, uti anathema adiunctum iudiciis veterum Conciliorum. Notandum tamen est, pænam excommunicationis vel anathema non tantum iudiciis dogmaticis, sed etiam aliis decisionibus adiungi, adeoque non semper signum esse defipitionis ex cathedra ; e) quandoque vero iudicium solumfnodo ex circumstantiis vel ex traditione (ex sententia theologorum) vel ex posteriori declaratione Rom. Pont, constat, immo circa non paucas decisiones hucusque inter theologos disputatur, utrum sc. sint definitivae an non, utrum sint doctrinales an disciplinares tantum.

4. Inde definitio ex cathedra proprie habetur, cum Romanus Pontifex ut Romanus Pontifex, utendo sua suprema auctoritate, doctrinam aliquam ad res fidei vel mores pertinentem tanquam revelatam et ab omnibus credendam definit ac proponit.

5. *Ratio* vel *causa infallibilitalis* Rom. Pont, est « *assistentia divina ipsi in beato Petro promissa* ». Circa hoc nota sequentia, a) Ratio infallibilitatis non est neque indoles Rom. Pontificis (ut scientia theologica vel sanctitas) neque studium adhibitum neque consilium a peritis petitum neque aliquid huiusmodi, sed exclusive assistentia Spiritus Sancti, i. e. auxilium divinum qua Rom. Pont, præservalur ne erret in definitione ex cathedra et qua illuminatur ut verum definiat (cf. a. 31).

b) Assistentia, ut supra (l. c.) exposuimus, distinguitur a revelatione et inspiratione : unde « Petri successoribus nequaquam Spiritus sanctus promissus est ut eo revelante novam doctrinam patefacerent », neque R. Pontifices in definienda doctrina a Spiritu Sancto moventur ut auctor inspiratus Sacræ Scripturæ, sed promissum est ipsis auxilium supernaturale Dei ut « traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent ».

c) Huiusmodi assistentia Rom. Pontifici promissa est *in beato Petro,* i. e' Rom. Pont, est infallibilis vi assistentiæ ll Petro promissæ, et quidem immediate a Christo Domino r

per quod excluditur quod R. P. infallibilitatem habeat mediante Ecclesia.

d) Infallibilitas R. P. est proprie *charisma,* adeoinie independens a conditionibus personalibus.

6. Infallibilitas R. P. non est alia sed una eademoue qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit. Inde fictio duplicis infallibilitatis in Ecclesia excludimir1 ; simul insinuatur, per definitionem infallibilitatis R|. P. nil novi in Ecclesia poni, ita ut vel adversarii infallibilitatis Rom. Pont, eam facilius admittere possint, sc. qui infallibilitatem Ecclesiæ non negarint ; denique iam hic statuitur, non Rom. Pont, per Ecclesiam, sed Ecclesiam pe» Rom. Pontificem habere infallibilitatem.

7. Denique sententia gallicana-febroniana tanquam falsa declaratur : definitiones ex cathedra sunt *ex se,* inquantum sunt definitiones poritificiæ, non vero ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles vel infallibiles.

8. Inde *infallibilitas Rom. Pontificis definitur : est charisma quo Romanus Pontifex per assistentiam divinam in definienda doctrina de fide vel moribus errare non potest.*2

1. Alia quæstio est, utrum plura *subiecia* infallibilitatis distinguenda sint. Qua in re sequentia breviter notentur, i. Certe sunt plura subiecia infallibilitatis, sc. Ecclesia universalis credens, i. e. omnes fideles *simul cum Rom. Pontifice,* Ecclesia universalis docens, l. e. omnes episcopi simul cum Romano Pontifice ; denique Boni. Pontifex ipse solus. Atque id manifeste per verba Concilii insinuatur, cum dicitur, Romanum Pontificem ea pollere infallibifitate qua divinus Redemptor Ecclesiam suam instructam esse voluit. 2. Cum vero quæritur, utrum Ecclesia universalis, sive credens sive docens, *ut distincta a Rom. Pontifice,* sit infallibilis, duplex habetur sententia theologorum, alia affirmans, alia negans. Atque sententia negans videtur esse verior : nam Ecclesia sive credens sive docens (i. e. corpus episcoporum) non intelligitur ut *Ecclesia,* nisi ut est coniuncta cum capite suo, i. e. cum Rom. Pontifice, adeoque neque ut subiectum infallibilitatis. 3. Nil tamen obstat quin Spiritus Sanctus non tantum Rom. Pontificem sed etiam alios *immediate* illuminet, tamen ratione conjunctionis cum Romano Pontifice. Cf. de hac controversia Ae. Dorsch. *Instit. theol. fund.,* 308 ss.

\111 Sententiæ erroneæ. — 1. Protestantes communiter pessime circa sensum et naturam infallibilitatis errant : vel enim illam intelligunt tanquam impeccabilitatem vel tanquam potestatem absolutam proponendi quamcumque doctrinam, etiam falsam, ut dogma revelatum et credendum, vel tanquam potestatem mere iuridicam[1]. Certe omnes quam maxime infallibilitatem R. P. negant.

2. In Ecclesia catholica infallibilitatem Rom. Pont. omnis illi negaverunt qui potestatem plenam ac supremam iurisdictionis in Rom. Pontifice non admiserunt. Ita Petrus de Alliaco cum Iohanne Gerson et aliis qui sæc. xiv et seq. superioritatem Concilii supra Papam tenuerunt. Similiter *Gallicani* quorum in « Declaratione » quarta est propositio :« In fidei quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes eiusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse iudicium nisi Ecclesiæ consensus accesserit. » Itaque speciem quandam infallibilitatis admiserunt, rem tamen negaverunt, sc. ob erroneam interpretationem positionis Rom. Pont, in Ecclesiæ constitutione. Ad salvanda tamen testimonia traditionis et decreta ecclesiastica proposita est duplex distinctio : prima, distinctio inter Sedem et sedentes, sc. quod Sedes Apostolica quidem errare non posset, bene tamen sedentes (De Luzerne, Bossuet) ; secunda distinctio, inter infallibilitatem in decisis et in decidendis, eo sc. sensu quod Rom. Pont, errare nequeant in decisis, attamen in decidendis.

Post tempus Cone. Vatie, constituta est secta Vetero-

1. Harnack ulterius procedit, affirmando doctrinam de infallibilitate pontificia esse quandam doctrinam secretam': «Ueberden wahren Stand der Dinge dart man sich durch die katholischen üogmatiken nicht tàuschen lassen » *(Dogmengeschichle,* III3, 684). Ipse putat, totam doctrinam Ecclesiæ factam fuisse arbitrariam atque omnia dogmata, immo dogma ipsum, esse in periculo (l. c. 683 ; Wesen des Christentums, 160), denique ironice quærit, utrum Summus Pontifex declarari nequeat tanquam » incarnatio quædam specialis Dei · (I. c., 681). —Vix credibile videtur quam absoni conceptus de infallibilitale tempore Concilii Vaticani et hucusque libellis publicis ventitabantur.

Catholicorum, negantium infallibilitatem Rom. Pont, tanquam innovationem contrariam doctrinæ Ecclesiæ veteris (Dollinger, Schulte, Langen).

Doctrinam *Guentheri* iam supra, p. 284, exposuimusy

Modernistæ, uti patet, infallibilitatem R. P. vi systematis reiciunt ; similiter Græci separati, utpote negantes primatum Romani Pontificis1.

1. Historiam controversi» de infallibilitate Rom. Pontificis videsis : *Dici, apol.,* v. *Papauté,* III, col. 1434-1531.

ARTICULUS QUINQUAGESIMUS

Infallibililas Romani Pontificis probatur

Thesis : Romanus Pontifex cum ex cathedra loquitur, est infallibilis.

I. Probatur ex S. Scriptura. — lidem textus quibus verus primatus Rom. Pon. probatur, simul infallibilitatem probant ; immo probato primatu infallibililas facile patet[1].

1. Mt., xvi, 18. Christus declarat voluntatem suam ædificandi Ecclesiam supra Petrum tanquam petram : « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. » Petrus igitur est fundamentum a quo Ecclesia firmitatem et stabilitatem habet. Ad Ecclesiam vero pertinet vera fides, et quidem tanquam pars essentialis. Ergo Ecclesia *per Petrum* in vera fide semper stabit adeoque eo magis Petrus ipse semper fidem veram tenebit, i. e. in fide non errabit, eritque infallibilis.

Christus prosequitur : « Et portæ inferi non praevalebunt adversus eam. » His verbis Christus promissionem explicitam adiungit dé indefectibilitate Petri in fide adeoque de infallibilitate[2].

1. Unde explicationem supra datam supponimus.

2. In Concilio Vaticano facta est obiectio (Dinkel, Maret) : firmitas alicuius ædificii primario quidem a firmitate fundamenti dependet, at simul etiam a connexione et a firmitate columnarum ædificii : columnas vero Ecclesiæ episcopos esse : inde concludendum esse, Rom. Pontificem simul cum episcopis, non vero solum esse infallibilem.

Resp. Certe ad firmitatem ædificii firmitas tum fundamenti tum columnarum requiritur ; adeoque in Ecclesia tum Rom. Pontifex tum corpus episcoporum (ad quod etiam Rom. Pont, pertinet) sunt subiectum infallibilitatis. Similiter tamen certum est, parietes et columnas alicuius ædificii per fundamentum sustentari et firmari ; adeoque in Ecclesia pastores reliqui (sc. præter R. P.) per Rom. Pontificem firmati creduntur. Atque hic est sensus verborum Ilomini, sc. Ecclesiam quidem esse inexpugnabilem, sive omnes fideles in credendo, sive omnes episcopos in docendo, sed Ecclesiam huiusmodi firmitatem habere per firmitatem fundamenti, quod est Petrus ; adeoque Petrum ex se esse firmum ac infallibilem in rebus fidei.

2. Lc., χχπ, 32 : « Ego rogavi pro te ut non defwiat fides tua et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. » His verbis Christus non iam per metaphoram sed expressis verbis confirmationem Petri in vera fide tanquam effectum orationis suæ promittit ; simul adiungit officium et præceptum confirmandi fratres, in fide vera. « Fratres » autem sunt omnes fideles Christi cuiuscumque temporis (Mτ., xii, 50). Petrus igitur erit infallibilis in fide et Ecclesiam ipsam in vera fide firmabit.

Obicilur :

a) Petro promittitur ut *non peccet* contra fidem.

Besp. E contra promittitur quod fides Petri non deficiat ; deficeret autem fides Petri si vel veram doctrinam fidei definiendo reiceret vel falsam doctrinam tanquam veram definiret.

3) Promissio Petro facta ad solum Petrum pertinet, non vero ad eius successores, cum dicitur : Tu aliquando « conversus », id quod ad solum Petrum pertinet.

Besp. Primo : Christus iam antea absolute promisit ut fides Petri non deficeret adeoque independenter ab eius conversione. *Secundo :* particula « conversus » probabilius non de conversione a negatione Domini intelligitur, sed hoc sensu : Tu autem ex tua parte, sc. quod sicut Dominus Petro firmitatem in fide exoravit, ita Petrus ex sua parte iterum fratres confirmaret. *Tertio :* etiamsi particula « conversus » ad solum Petrum referatur, tamen manet eius officium confirmandi fratres, i. e. fideles. Ideoque Petrus ille qui aliquando Dominum negavit, fratres, i. e. fideles Christi, in fide confirmabit, sive in persona propria sive in suis successoribus : illius enim Petri Rom. Pontifices sunt successores.

γ) Confirmatio fratrum Petro tantum pro tempore passionis et mortis Christi, usque ad ascensionem, committitur.

Besp. Ista restrictio per textum non probatur sed excluditur, cum promissio et mandatum Domini sint absoluta.

3. **J**oa. xxi, 15-18. Christus dicit Petro : « Pasce agnos meos, pasce oves meas. » Quibus verbis Christus Petro potestatem et officium committit, in nomine et in auctoritate Christi .Ecclesiam pascendi pabulo doctrinæ-verbum enim doctrinæ primum pabulum est gregis rationalis ; —

simul omnes christifideles obligantur aci doctrinam Petri «Ilusque successorum accipiendam, et quidem tanquam ex mandato Christi ct ut doctrinam Christi. lamvero in lali mandato, potestate et obligatione includitur quod Petrus semper doctrinam Christi neque aliam proponat : secus fideles ex mandato Christi ipsius ad tenendam dot- l rinam Christo contrariam obligarentur, quod est absurdum. Verba igitur Christi idem sonant ac : per te, Petrum, fideles meos pabulo veræ doctrinæ fidei pascam.

4. *Corollaria,* a) Itaque Christus, sicut primatum iurisdictionis, ita et infallibilitatem Petri eiusque successorum *modo concreto* enuntiat, sc. verbo suo divino promittendo ‹‹l constituendo quod Petrus eiusque successores indefectibiliter, invincibiliter, ut divinitus firmati, id tenebunt ac docebunt quod Christus constituerat atque docuerat : quo modo Christus infallibilitatem per modum facti verbo suo divino stabilit.

b) Similiter *error conceptus gallicani-febroniani* facile *apparet.* Etenim : a) in omnibus illis textibus Petrus minime tanquam per Ecclesiam firmatus apparet, sed e contra tanquam immediate a Christo firmatus et tanquam causa firmitatis vel infallibilitatis Ecclesiæ ; β) minime tantum sedes vel series successorum Petri ut firmata et indefectibilis proponitur, sed e contra directe ipse Petrus eiusque successores atque iisdem mediantibus sedes ipsa ; γ) Pelius eiusque successores minime tanquam infallibiles in iis quæ ab aliis iam decisa fuerint, præsentantur, sed e contra alii per ipsos habebunt veritatem adeoque etiam in quæstionibus oriundis, ita ut Sedes apostolica infallibilis sit in decidendis, sc. ad fratres confirmandos et pascendos; o) denique fides et doctrina Petri eiusque successorum minime ex consensu Ecclesiæ erit vera ac valida, sed e contra doctrina et fides Petri erit vera et valida quia est Petri, utique a Deo in vera fide confirmati, adeoque non Petrus per Ecclesiam, sed Ecclesia per Petrum in vera fide confirmabitur.

c) Atque hoc modo Cone. Vatie, erroribus in Ecclesia subortis doctrinam fundamentalem ipsius Domini opposuit eiusque sensum verum exposuit : sicut Petrus non est minister Ecclesiæ subditus sed caput supremum, ita Petrus

non discit per Ecclesiam, sed Ecclesia per Petruin docetur, pascitur ac in veritate fidei infallibiiiter stabilitur.

II. Prob. ex primatu Rom. Pontificis. — Infallibilitas necessario ad primatum sequitur. Vi enim primatus iurisdictionis tota Ecclesia Romano Pontifici in rebus ecclesiasticis obligatione obædientiæ subditur, et quidem ex voluntate Christi : iamvero inter res ecclesiasticas prima et fundamentalis est res fidei. Unde omnes fideles vi primatus divinitus tenentur ut definitiones dogmaticas Rom. Pontificis teneant, et quidem fide : ad hoc enim fit definitio ut fide teneatur. Atqui definitiones Rom. Pontificis fide teneri non possunt nisi possibilitas erroris in eis excludatur, quia fides divina assensum importat qui possibilitatem erroris excludit[1]. Ergo Rom. Pontifex, vi primatus, in definienda doctrina de fide vel moribus necessario erit infallibilis.

Confirm. Supposito quod Rom. Pontifex ex cathedra loquens posset errare, sequeretur quod fideles, ex oboedientia in Christo debita, tenerentur ad credendum aliquid contra Christi Evangelium : quod est absurdum. Qua ex ratione Cone. Vatie, docet : « Hoc igitur veritatis et fidei nunquam deficientis charisma Petro eiusque successoribus divinitus collatum est, ut *excelso suo munere in omnium salutem fungerentur,* ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus coelestis doctrinæ pabulo nutriretur. » Simul inde patet, errantes circa vim et rationem primatus simul et in errorem circa infallibilitatem inductos fuisse.

Simul optime S. *Thomas*[2] argumentatur ; cum docet, ad Rom. Pontificem pertinere, fidei symbolum ordinare, i. e. definitiones dogmaticas proferre. S. Doctor sic probat : « Nova editio symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores : ad illius igitur auctoritatem pertinet editio symboli, ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur : hoc autem pertinet ad auctoritatem summi

1. *Cone. Vatic., De fide,* can. 6 ; S. Thomas, II, II, q. i, a. 3.
2. II, II, q. i, a. 10 ; Cf. I, q. xxxvi, a. 2 ad 2 ; II, II, q. n, a. 2, ad 3 ; *De Pol.,* q. x, a. 4 ad 13 ; C. G,. iv, 76.

Pontificis, ad quem maiores et difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in Decretalibus. Unde et Dominus Le. xxii Petro dixit, quem summum Pontificem constituit : ego pro te rogavi, Petro, ut non deficiat fides tua... »

III. Prob. ex parte Ecclesiæ vel ex necessitate unitatis in fide. —« U*na fides* debet esse totius Ecclesiæ... quod servare non posset nisi quæstio fidei exorta determinaretur per eum qui toti Ecclesiæ præest, ut sic eius sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur[1] » : huiusmodi autem finalis determinatio supponit infallibilitatem. Optime Doni. *Donnez*[2] : « Tantam debet summus Pontifex in Ecclesia auctoritatem habere quanta est necessaria ut in unitate fidei fideles contineantur. Sed ad huiusmodi unitatem necessaria est in summo Pontifice infallibilis definiendi potestas... Quia in Ecclesia frequenter oriuntur quæstiones de fide ; at vero si non esset in Ecclesia iudex unus qui eas lites componeret, essent in Ecclesia perpetuæ dissensiones in doctrina fidei ac proinde Ecclesiæ unitas periret. Quod si quis dicat, ad hunc finem satis esse quod infallibilis auctoritas sit in Concilio universali — contra hoc est quod huiusmodi controversiæ de fide frequenter oriuntur in Ecclesia et necesse est ut remedium in promptu habeatur paratum ; at vero universale Concilium toties congregari et difficile et impossibile est. Rursus etiam, si in promptu esset congregare concilium, quid fiet si patres concilii inter se dissentiunt ? Et quid si maior illorum pars (quod fieri potest) falsam sententiam tueatur ? Tunc sane non alius relinquitur portus nisi ad Christi vicarium confugiamus, qui unus quæstiones omnes componet. » Hæc ille.

Confirm. Ecclesia universalis ex promissione divina est indefectibilis in fide. Iamvero huiusmodi indefectibilitas a Deo effici potest : aut inquantam Deus singulos fideles omnes directe illuminat, confirmat ac quodammodo infallibiles reddit, aut inquantum corpus episcoporum immediate et directo in vera fide stabilit ac illuminat et per

1. S. Thomas, II, II, q. i, a. 10.
2. *Comant,* in II. II., l. c., 1586, coi. 97.

illos fideles cæteros, aut inquantum Deus immediate caput Ecclesiæ illuminat, confirmat ac infallibile reddit et per cum corpus tum episcoporum tum fidelium. lamvero nemo non videt, primum et alterum esse inconveniens — multiplicarentur enim miracula in infinitum, — tertium vero esse conveniens tum naturæ sociali Ecclesiæ tum habitudini Christi ad Ecclesiam tum generalibus legibus, providentiæ divinæ.

Atque hoc sensu Conc. Vatie, docet, infallibilitatem Rom. Pontificis esse medium ordinarium et proportionatum quo « sublata schismatis occasione, Ecclesia tota una conservaretur atque suo fundamento innixa, firma adversus inferi portas consisteret. » « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. »

IV. Prob. ex traditione. — A. Prænotamina. — 1. Recolantur quæ de successiva cognitione primatus diximus. 2. Infallibilitas R. Pontificis intime cum primatu eiusdem connexa est : infallibilitas enim est. *qualitas* quædam vel prærogativa specialis alicuius partis primatus, i. e. summi magisterii ; unde infallibilitas simul cum primatu successive perfectius cognita est. 3. Infallibilitas R. P. quia est qualitas quædam *primatus,* primitus non tam sub ratione infallibilitatis' adeoque non sub ratione propria quam sub ratione potestatis primatus vel magisterii summi cognita ac considerata est. 4. Denique infallibilitas temporibus succedentibus per varias formulas vel sub forma variorum principiorum in quibus explicite vel implicite exprimitur, edocetur.

B. Principia et formulæ quibus infallibilitas R. Pontificis in traditione enuntiatur. — 1. *Fides Ecclesiæ Romanæ est norma cui aliæ ecclesiæ sese conformare debent.* — Hoc principio fides roinana ut norma fidei Ecclesiæ universalis statuitur : id quod esse nequit nisi possibilitas erroris in ea excludatur, i. e. non absque infallibilitate.

2. *Fides Ecclesiæ Romanæ esi absque defectu.* — Sensus huius principii est quod fides Ecclesiæ Romanæ errorem excludat.

3. *Fides Petri ei Rom. Pontificum,* successorum eius, *est*

indefectibilis propter promissionem Christi Petro factam (Lc., xxii, 32) : infallibilitas hoc modo enuntiatur quod Petrus et Rom. Pontifices ut personæ publicæ a vera fide deficere nequeunt, et quidem ex promissione Christi.

4. *Ecclesia aedificata esi super fidem Petri* et successorum eius. — Hoc principio supponitur indefectibilitas Ecclesiæ universalis in fide et tanquam *ratio* huius indefectibilitatis statuitur fides sempiterno vera Petri et successorum eius, qua mediante Ecclesia universalis ipsa in vera fide stabilitur ac firmatur.

5. *Quæsliones fidei subortæ per Rom. Pontifices finaliter sunt determinandae.* — Hoc principio infallibilitas R. P. *per modum muneris, officii et potestatis* enuntiatur, sc. ut per iudicium R. P. Ecclesia in fide vera conservetur : Rom. igitur Pontifex in tali iudicio errare nequit adeoque infallibilis est. Hæc formula iam magis explicita est. Definitio Conc. Vat. illam proprie sequitur, sensum eius exactissime determinando.

6. *Principium : ratione primatus universa Ecclesia Rom. Pontifici subesse tenetur, maxime in quaestionibus fidei.* Infallibilitas, ut supra vidimus, est pars integralis primatus Rom. Pontificis. Nam potestas primatus ad quaestiones fidei sese extendit, et quidem quam maxime, potestas autem suprema ac universalis circa determinandam fidem infallibilitatem involvit. Ecclesia igitur, recognoscendo et sequendo Rom. Pontifices tanquam caput Ecclesiæ, practice et implicite saltem infallibilitatem Rom. Pontificis tenebat et profitebatur, credendo sc. fide divina ea quæ Rom. Pontifices credenda definierant. Atque hoc modo diam nunc Ecclesia infallibilitatem Rom. Pontificis practice profitetur.

Corollaria. — 1. Erraverunt omnino illi qui prætenderunt, infallibilitatem R. P. *in traditione* non edoceri; educetur maxime, licet aliis et aliis sub conceptibus, non tamen minus efficaciter quam per terminum infallibili-lalis.

2. Erravit Dollinger, asserendo, a veteribus tantum *factum* concedi Sedis Romanæ fidem esse immaculatam, possibilitatem vero erroris non excludi. Nam veteres non

tantum factum historicum testificantur, sed simul absolute edocent, fidem romanam esse simpliciter veram eamque tanquam regulam fidei statuunt ; simul veteres huiusmodi privilegium ad promissionem Christi reducunt ac isto sensu textus Mt., Lc. et Ioa. explicant.

3. Erraverunt illi qui primatum et infallibilitatem R. P. tanquam merum privilegium *iuridicum* consideraverunt,, cum veteres infallibilitatem regulariter tanquam donum a Christo in Petro collatum considerant.

C. Testimonia particularia SS. Patrum. — S. *Ignatius Ani.* dupliciter infallibilitatem Ecclesiæ Rom. testificatur, licet implicite : *primo,* agnoscendo primatum eius (vide supra, art. 47, η. n, c) ; *secundo*,agnoscendo veritatem fidei Romanæ, scribendo ad Rom. (c. m) : « Neminem unquam fascinastis : alios docuistis. Ego vero illa quoque firma esse volo quæ *docetis* et præcipitis. » In inscriptione ep. ad Rom. vocat Romanos « ab omni alieno colore expurgatos ».

S. *Irenæus* proprie fidem Ecclesiæ Romanæ tanquam normam fidei omnium ecclesiarum Christi statuit ; simulque necessitatem unionis cum Ecclesia Romana, utpote in fide, testificatur : « ad hanc enim ecclesiam, ait, propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam » *(Adv. hær.,* in, 3). Cf. supra, p. 420 ss.

S. *Cyprianus* eodem modo primatum et infallibilitatem Rom. Pontificis testificatur. Nam profitendo, Rom. Pontificum esse successorem Petri, super quem Ecclesia aedificata est, admittendo necessitatem unionis cum Rom. Pontifice, necessario quoque fidem Rom. Pontificis sequi debet, sicut huius fides est necessario et vera et absque errore, i. e. infallibilis. Atque id expresse significare videtur, scribendo de Romanis quod ad eos « perfidia non possit habere accessum » (Ep. 59). Ecquidem Cyprianus rationem et vim infallibilitatis Rom. Pontificis perfecte non tetigit, ut nec primatus. Attamen, licet Stepha.no restitisset, denique tandem cessit ipsi, ne sc. a radice et matrice catholicæ unitatis separaretur[1].

1. Ct. A. d'Alès, l. c., p. 218 ss.

S. *Ambrosius* docet : « Ubi Petrus, ibi Ecclesia ; ibi nulla mors, sed vita aeterna ; et ideo addidit (Christus) : et portæ inferi non praevalebunt ei, et : Tibi dabo claves regni cælorum[1]. » Id quod sic explicat : « Fides est Ecclesiæ fundamentum ; non enim de carne Petri, sed de fide dictum est quia portæ mortis ei non prævalebunt, sed confessio vicit infernum[2]. »

S. *Hieronymus* ad Theophylum (Ep. 63, 4) scribit : « Scito nobis nihil esse antiquius quam Christi iura servare nec Patrum transferre terminos semperque meminisse romanam fidem, apostolico ore laudatam. » Et in *ep. ad Damas.* : Apud vos solos incorrupta patrum servatur hæreditas. » Inde profitetur : « Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, i. e. cathedræ Petri consocior ; super illam petram ecclesiam aedificatam scio... » (M. L., XXII, 355).

S. *Augustini* iam audivimus celebre effatum : « Iam de hac causa (sc. pelagiana) duo concilia missa sunt ad sedem apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est » *(Sermo* 131, 6). Rom. Pontificis igitur est quæstiones fidei finire, i. e. definire, ita sc. ut eius definitio inconcussa fide ab omnibus teneatur. Unde Conc. Carthag. et Milev. I. quæstionem pelagianam finire noluit, sed hoc indicium ab Innocentio I postulavit. Facto autem indicio « causa finita est », « dubitatio tota sublata est » (C. duas ep. Pelag. II, c. m, n. 5). De cetero infallibilitas Rom. Pontificis implicite continetur in principiis S. Augustini de primatu, ut supra exposita sunt[3].

Sententiam ecclesiæ syriacæ S. *Ephræm* reddit, ex ore Christi Petrum alloquendo: « Simon, discipule mi, ego te

1. *In Ps.* xl, n. 30.

2. *De ineam.,* v.

3. Cf. Specht, *Die Lehre von der Kirche nach detn hl. Augustin,* 170 ss., 331 ss. ; P. Batiffol, *Le catholicisme de S. Augustin,* p. 381-410. De ecclesia africana Batiffol, l. c., p. 441 notat : « I.'Afrique est en matière de foi scrupuleusement unie ù Home. » Ouantum ad quæstionem de circumcisione, Augustinus tenet, Petrum non in sententia errasse, sed tantum per simulationem Paulo ansam arguendi dedisse. Ep. I,XXXII, c. n, n. 11-Cf. Specht, l. c., p. 325-28.

constitui fundamentum Ecclesiæ sanctæ, petram vocavi te antea quia tu sustinebis totum meum ædificium ; tu es inspector eorum qui ædificant mihi Ecclesiam in terris ; *si quid reprobrum ædificare velint, tu fundamentum reprimas eos ; tu es caput fontis a quo hauritur doctrina mea* : tu es caput discipulorum meorum ; per te omnes gentes potabo[1]. »

Ex Orientalibus Cyrillus Alex., Epiphanius, Theodorus Stud, ac Maximus Confessor audiantur.

S. *Cyrillus Alex,* sic Lc.,xxn, 32 interpretatur : « Firmamentum et magister esto eorum qui per fidem ad me accedunt. »

S. *Epiphanius* promissionem Christi de Petro ut fundamento Ecclesiæ sic explicat : « Quarum portarum nomine hæreses et hæreseon conditores intelliguntur ; omnibus quippe modis in eo stabilita fides est, quia cœli claves accepit, in terra solvit et ligat in cœlo ; in eo siquidem subtiliores quælibet fidei quæstiones reperiuntur » (Ancorat. 9).

Theodorus Studila ad Paschalem Papam scribit : « Audi apostolicum caput, a Deo præposite pastor ovium Christi, ianitor regni cælorum, petra fidei, super quam ædifieata est catholica ecclesia ; Petrus enim es tu, Petri sedem exornans et gubernans... Tibi dixit Christus Deus noster : *Et lu aliquando conversus confirma fratres* tuos. Ecce tempus, ecce locus... Terreto, supplicamus, hæreticas feras calamo divini verbi tui. (P. G.. 99. 1151, 1154).

Aslerius Amasenus prædicat : « Per Petrum, verum ac fidelem pietatis doctorem effectum, Ecclesiarum stabilis inflexaque formatio consistit... isque ipse rectam nihilque perversi habentem fidei professus regulam, cunctisque nobis inviolabili lege tradens pietatis sermonem[2]... »

Denique S. *Maximus* Confessor præclare confitetur : « Omnes orbis terrarum fines et qui ubique gentium Dominum vere rectaque fide confitentur, velut in solem seinpiternæ lucis in sanctissimam Romanam Ecclesiam eiusque confessionem ac fidem recta intortis oculis respiciunt...

1. *Sermo IV,* apud Lamy, I, p. 74 s.
2. Asterius Amasenus, *Homil. VIII in SS. Petrum et Paulum ; P. G*, xl, 268. 280.

Ab initio enim quando ad nos Dei Verbum assumpta carne descendit, unicam firmam basim ac fundamentum omnes ubique Christianorum ecclesiæ quæ ibi (Romæ) est maximam nacti sunt habentque ecclesiam, ut in quam iuxta Salvatoris promissionem portæ inferi handquaquam prævaluerint, sed quæ rectæ fidei in ipsum ac confessionis claves habeat, hisque qui cum pietate accedant, quæ vere natura est solamque pietatem aperiat[1] ; claudat vero atque obstruat omne os hæreticorum[2]... »

D. Testimonia Rom. Pontificum. — Speciale argumentum præbent ipsi Rom. Pontifices, sicut et Conc. Vatie, declaravit. Atque vis argumenti ex parte Rom. Pontificum duplex est : primo enim isti habent conscientiam charismatis indeficientis veritatis indeque summa auctoritate quæstiones fidei subortas definiunt; secundo Ecclesia universa definitiones pontificias sequitur ac eas fide divina et catholica tenet.

Proindeque hoc loco recensenda esset tota historia magisterii pontificii. Sufficiat tamen notasse : plures hæreses solius Rom. Pontificis sententia damnatæ sunt, ut Montanismus per Zephyrinum, Pelagianismus per Innocentium I, Nestorianismus per Cælestinum, Monophysitismus per Leonem M., et sic deinceps usque ad damnationem Modernismi per Pium X. Quodsi quædam hæreses per Concilia œcuinenica damnatæ atque eradicatæ fuerunt, tamen iudicium Rom. Pontificum intercessit, sive antecedens sive consequens.

En quædam testimonia particularia.

Præclarissima sunt verba *Sixti III,* ep. 6(433) : « Expertus es negotii præsentis eventu quid sit sentire nobiscum. *Beatus Petrus Apostolus in successoribus suis quod accepit hoc tradidit.* Quis ab eius se velit separare doctrina quem ipse inter Apostolos primum magister edocuit ? Absolutam et simplicem fidem et quæ controversiam non habet accepit, quam utique meditari semper et in qua manere debemus ut sensu puro sequentes apostolos inter aposto-

1. i. e. solam veram pietatem edocet.
2. P. G. 91 138 s.

licos esse mereamur. Non parum nobis oneris, non parum laboris incumbit ut ecclesiæ Domini macula desit et ruga. »

Celeberrimum est efïatum *Hormisdæ* (517)1, citatum a Conc. Vatie. : « Prima salus est rectæ fidei regulam custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri lesu Christi praetermitti sententia dicentis : Tu es Petrus et super hanc petram ædifîcabo Ecclesiam meam. Hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia *in Sede apostolica dira maculam semper esi catholica servata religio*2. »

Atque formula professionis continuat : « Et ideo spero ut in una communione vobiscum quam Sedes Apostolica prædicat, esse merear, *in qua est integra et verax chrislianæ religionis et perfecta soliditas.* »

Pelagius II (585), in ep. ad episcopos schismaticos Istriæ, ad Lc., xxn, 31 s. appellat (sicut ad Mt., xvi, 16 et Joa., xxi, 15) atque adiungit : « Veritas mentiri non potuit *nec fides Petri in æternum quassari poterit vel mutari* : nam cum omnes discipulos diabolus ad excribandum poposcerit, pro solo Petro se Dominus rogasse testatur *el ab eo voluit ceteros confirmari...* »

Gregorius I, in ep. ad Theodolindam, iv, 33 (594), scribit : « In vera fide persistite et *vitam vestram in petra Ecclesiæ, id est in confessione Petri* apostolorum principis, *solidate...* »

Nicolaus I in ep. ad Bulgares (106) (866) eos sic instruit : « Sufficientia nostra ex Deo est et beatus Petrus qui in sede sua vivit et præsidet dat quærentibus fidei veritatem. Nam et sancta Romana Ecclesia semper sine macula fuit et sine ruga, nimirum quia ille hanc instituit cuius fidei confessio divinitus extitit approbata; ad quam videlicet Christianitatis fidem, licet eius mysteria consummate nullus intelligere valeat, vobis insinuandam, inspirante Deo, ecce scripta nostra... destinavimus... »

1. Denz., 171.

2. Sensus est : quia Ecclesia Christi quæ semper fidem veram tenet, super Petrum fundata est, in Sede apostolica fides semper immaculata conservatur atque id etiam rerum effectibus probatur.

E. Testimonia Conciliorum generalium. — Conc. Vatic, speciali modo ad testimonium Conciliorum generalium appelât, eorum imprimis in quibus Oriens cum Occidente in fidei caritatisque unionem conveniebat. Vis particularis Imius argumenti patet.

Concilium Ephesinum. Cælestinus I ad Patres Ephesinos scripserat : « Direximus... Arcadium et Projectum episc. el Philippum presbyterum qui iis quæ aguntur, intersint, cl *quæ a nobis antea statuta* sunt, exequantur. Ouibus praestandum a vestra sanctitate non dubitamus assensum. » Patres deinde sententiam ferentes respondent : « Coacti per sacros canones et epistolam sanctissimi Patris nostri... Cœlestini Romanæ Ecclesiæ episcopi... ad lugubrem hanc contra eum (Nestorium) sententiam necessario venimus. » \tque Philippus, Rom. Pontificis legatus, dixit : « Gratias agimus sanctæ... Synodo, quod litteris... Papæ nostri vobis recitatis *sancta membra... sancio capiti... vos adiunxistis.* Non enim ignorat vestra Bcatitudo, totius *fidei vel etiam ipostolorum caput esse B. Apostolum Petrum*l. »

Concit. Chalcedonen.se. Leo M. iam ante Conc. in ep. dogmatica ad Flavianum, ep. Cpt., quæstionem de duabus in Christo naturis indicaverat. Id quod expresse Patribus Concilii intimat, sicut et sententiam Conc. tanquam confirmationem propriæ definitionis declarat : « quæ (Deus) nostro prius ministerio definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu » (Ep. 120). Atque Patres ‹ ione., lecta Leonis ad Flavianum epistola, conclamaverunt : « Omnes ita credimus... *Petrus per Leonem loculus est.* » Denique Conc. ad Leonem scripsit : « (fidem) ex præcepto legislatoris venientem usque ad nos ipse servasti, *vocis beati Petri omnibus constitutus interpres* et eius fidei bcatificationem super nos adducens... Ouibus tu quidem *sicut membris caput præes* » (Inter ep. Leonis 98).

Concit, œcumen. VI (Cpt. Ill). Papa Agatho iam ante Conc. errores Sergii damnaverat simulque iusserat, definitiones suas illibatas custodiri. Circa hoc in ep. i. ad \ugustos (lecta in Conc., act. IV) docet : «Beatus esse pronuntiatus est Petrus : qui et spirituales oves Ecclesiæ ab

I. Harduin, i, 1471,1506.

ipso Redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit : cuius annitente præsidio hæc apostolica eius ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est : cuius auctoritatem, utpote apostolorum omnium principis, semper omnis catholica Christi ecclesia et universales synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt, omnesque venerabiles Patres apostolicam eius doctrinam amplexi, per quam et probatissima Ecclesiæ Christi luminaria claruerunt, hæretici autem falsis criminationibus ac derogationum odiis insecuti... Hæc est... veræ fidei regula...[1]. »

Concilium rescripsit : « Tibi, ut primæ Sedis antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum sit relinquimus, stanti super firmam fidei petram, libenter acquiescentes veræ confessionis litteris, a vestra paterna beatitudine ad piissimum imperatorem missis : quas ut a summo apostolorum vertice divine perscriptas agnoscimus... Ipsos (hæreticos)... anathematibus interfecimus, ex sententia per sacras vestras litteras de iis prius lata[2] ».

In *Cone.* V/If (cpt. IV) omnes Patres formulæ Hormisdæ, supra relate, subscripserunt.

Denique in Cone. *Lugdunensi* II Græci professi sunt : « (Rom. Pontifex) « sicut præ ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent iudicio definiri[3][4] »

F. Confirmatio ex doctrina S. Thomæ[1]. — Jam supra, arg. II et III, doctrinam S. Thomæ ex parte retulimus. Omnis vero sententia Aquinatis ita resumi potest : *Ad Romanum Pontificem, tanquam caput quod toti Ecclesiæ præesl, pertinet, quæstiones fidei subortus definire, ita ut eius definitiones ab universa Ecclesia fide inconcussa teneantur ; atque ad hoc ipsi in beato Petro a Domino promissa est*

1. Harduin, iii, 1079 s.
2. Harduin, iii, 1438 ; cf. Straub, l. c. n, 357.
3. Denz., 466.
4. Doctrina S. Thomæ eiusque scholæ optime exponitur ac defenditur a R. Bianchi O. P., *De constitutione monarchica Ecclesiæ et de infallibititate Romani Pontificis iuxta D. Thomam Aquinatem eiusque scholam.* Romæ, 1870, p. 35-154.

infallibilitas in fide, ut sc. per Petrum, eiusque successores universa Ecclesia in vera fide conservaretur et confirmaretur.

Qua ratione S. Thomas in II, II q. i, a. 10 docet, ad Romanum Pontificem pertinere « *fidei symbolum* ordinare » et « *finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur* ». Atque adiungit S. Doctor : « *Unde et* Dominus Lc., xxn Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit : « Ego rogavi pro te etc. » Idem Aquinas in resp. ad 2 et 3 confirmat. — Similiter De Pot., q. x a. 4 ad 13. Aquinas docet : « Sicut posterior Synodus potestatem habet interpretandi Symbolum a priori Synodo conditum ac ponendi aliqua ad eius explicationem, ita etiam *Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest...* Nec est necessarium quod ad eius expositionem faciendam universale Concilium congregetur, cum quandoque id fieri prohibeant bellorum dissidia[1]. » luxta igitur S. Thomam definitiones dogmaticæ Romanorum Pontificum sunt ex se obligatoriae, irreformabiles adeoque infallibiles, utpote ex promissione Domini Petro facta.

Id quod S. Doctor aliis in locis hoc modo expresse edocet quod asserit, universalem Ecclesiam per Romanos Pontifices in fide errare non posse, non vero viceversa — ut antiinfallibilistæ praetendunt. In 4 dist 20 q. i a. 3 S. Doctor sic argumentatur : « Ecclesia generalis non potest errare : quia ille, qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia, dicit Petro, super cuius confessione Ecclesia fundata est : Ego pero te rogavi... » Similiter II, II, q. n, a. 6 ad 3 : « Universalis Ecclesiæ (fides) non potest deficere, Domino dicente Lc., xxu : Ego pro te rogavi... »

Iterum iuxta S. Thomam Sedes vel Ecclesia Petri quidem a fide deficere nequit, at ratione promissionis Petro et in ipso eius successoribus factæ[2]. In *Comment,* in Mt. S. Doctor ad verba : « Super hanc petram etc. » notat : « Specialiter Petri domus, quæ est fundata super petram, non diruetur... impugnari potest, expugnari non potest. *Et*

d. Conclusiones quas Bossuet ex verbis S. Thomæ : « quæ omnia patent ex gestis Synodi Chalçedonensis » deduxerat, optime refutatas habes apud Bianchi, l. c., p. 42 ss.

2. Cf. Bianchi, l. c., p. 148-154.

portæ inferi non prævalebunl adversus eam... In Constantinopoli fuerunt hæretici et labor Apostolorum amissus erat : sola Petri Ecclesia inviolata permansit. Unde Lc., xxn, 32 : Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et hoc non solum refertur ad Ecclesiam Petri, sed ad fidem Petri... » Similiter in opusculo *De Symbolo Apostolorum* : « Sola Ecclesia Petri... semper fuit firma in fide. Et cum in aliis partibus vel nulla fides sit vel sit commixta multis erroribus, Ecclesia tamen Petri et fide viget et ab erroribus munda est. *Nec mirum, quia* Dominus dixit Petro, Lc., xxn : Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. »

Caietanus et *Bannez* in *Comment, ad II. II,* q. i, a. 9. 10 notant, apud S. Thomam pro eodem computari auctoritatem (et infallibilitatcm) universalis Ecclesiæ, generalis synodi et Papæ,sc. quia, ut S. Thomas ipse docet, universalis Ecclesiæ « auctoritas *principaliter* residet in Summo Pontifice » (TT, II, q. xi, a. 2 aci 3).

Optime denique *Orsil* doctrinam S. Thomæ his verbis resumit : « Nec Romani Pontificis fides nec fides universalis Ecclesiæ deficere, potest. Sed ideo deficere non potest fides universalis Ecclesiæ, quia deficere non potest Romani Pontificis fides. Nam ideo pro Petro Christus oravit, ut non deficeret fides eius, ut ipse cæteros fratres, universalem repræsentantes Ecclesiam, super ipsum velut immobilem petram et fundamentum ædificatam, in fide contineret et confirmaret[1]. »

G. Conclusio. — luremerito igitur Conc. Vatie, infallibilitatem Rom. Pontificis in definienda doctrina de fide vel moribus definivit, « traditioni a fidei christianæ exordio perceptæ fideliter inhærendo ». Quæ traditionis doctrina certe *Gallicanis el Febronianis* non favet. Etenim : primo, traditio nullo modo docet, definitiones Rom. Pontificum per consensum Ecclesiæ universalis fore irreformabiles, sed contra sententiam Ecclesiæ universalis determinan-

1. *De Rom. Pont, auctoritate,* L IV, c. xvi, apud Bianchi, i. c., p. 50.

2. Post exposita licitum erit nobis praeterire sententiam (Tteusch etc.) quæ tenet, S. Thomam doctrinam suam ex solo iure ecclesiastico vel ex fontibus corruptis hausisse.

dam esse per iudicium Pontificis ; secundo : non tantum Sedes sed sedentes habent promissionem divinam et iis mediantibus Sedes ipsa fit infallibilis ; tertio : Rom. Pontifices minime tantum in iain decisis infallibiles erunt, sed proprie in decidendis, i. e. in indicandis fidei quæstionibus subortis adeoque proprie in definiendis doctrinis de fide vel moribus. Denique recentiores impugnatores infallibilitatis (Vetero-catholici) contra omnem tenorem traditionis affirmant, Rom. Pontifices in definienda doctrina fidei infallibiles non fuisse habitos. E contra Gone. Vatie, doctrinam traditionis, fideliter secutum est, sensum eius explicavit, præsertim determinando, quid denique sit « quæstiones fidei definire ».

V. Solvuntur obiectiones. — Tempore præsertim Conc. Vatie, obiectiones contra infallibilitatcm pontificiam abundaverunt. At quasi omnes difficultates ex deficienti notitia vis et naturæ infallibilitatis procedebant : id quod usque nunc accidit.

A. Difficultates theologicae. — 1. Infallibilitas est dogma novum adeoque reiciendum.

Besp. Infallibilitas est dogma novum quoad propositionem, conc., quoad doctrinam, nego.

Mira est hæc trita obiectio in ore præsertim theologorum et historicorum. Quot enim « dogmata nova » incipiendo a Conc. Nic. usque ad Conc. Vatie, ad credendum proposita sunt ! Certe adversarii infallibilitatis pontificiæ infallibilitatem Romani Pontificis tanquam rem ac doctrinam religioni et ecclesiæ extraneam consideraverunt : at immerito. Etenim infallibilitas Rom. Pontificis ad ipsam Ecclesiæ constitutionem pertinet, sc. ut charisma primatum consequens. Similiter definitio de infallibilitate Rom. Pontificis non est revelationi et Ecclesiæ extranea, sed tantum explicatio ac determinatio doctrinæ S. Scripturæ, traditionis divinæ et doctrinæ veteris Ecclesiæ.

Denique ista obiectio *ex [also præsupposito* procedit : dum enim quoad alia dogmata evolutio, i. e. successiva cognitio et propositio, admittitur, quoad infallibilitatem (et primatum) iam ab omni initio Ecclesiæ cognitio per-

fecta et propositio expressa postulatur. Ita iam Bossuet *{Gallia orlhod.,* n. 93). Attamen dogma infallibilitatis est dogma sicut alia dogmata, immo ex natura sua propria magis quam alia dogmata successive tantum perfectius cognosci ac expresse definiri potuit.

Bossuet quidam instat (l. c., n. 97), charisma infallibilitatis non potuisse latere, quia secus *inutile* fuisset. At huiusmodi charisma nunquam inutile remansit : licet enim quandoque minus perfecte cognosceretur, nunquam tamen proprie latebat, ut vidimus. Denique hoc unum est principale ut sc. Ecclesia de facto per Romanos Pontifices in vera fide conservaretur : id enim est finis principalis charismatis infallibilitatis.

Ob. 2. Per dogma infallibilitatis Rom. Pontificis constitutio et status Ecclesiæ mutatur[1].

Besp. Definitio infallibilitatis pontificiæ *exercitium* magisterii supremi facilius et efficacius reddidit, conc., constitutionem divinam Ecclesiæ mutavit, nego : e contra adversarii ius divinum Rom. Pontificum impugnaverunt ac praxim sæcularem Ecclesiæ immutare conati sunt. Atque de facto post Cone. Vatic, gubernatio et vita Ecclesiæ eadem remansit, tantummodo est magis expedita.

Ob. 3. Infallibilitatis dogma periculum abusus inducit et nimii graviminis fidelium per nova dogmata.

Besp. Huiusmodi periculum est minimum atque nullius momenti. Primo enim per ipsum dogma infallibilitatis pontificiæ periculum erroris in definitionibus futuris excluditur ; secundo abusus infallibilitatis non est timendus propter providentiam Spiritus S. circa Ecclesiam ; tertio, tota historia Ecclesiæ demonstrat, Rom. Pontifices non nisi necessitate coactos vel inductos ex gravibus rationibus quæstiones fidei sollemniter definisse. Inde infallibilitas non gravamen, sed tutelam fidelium, tranquilitatem conscientiæ ac unitatem fidei importat. Denique historia Ecclesiæ post Cone. Vatie, vanitatem et inanitatem istius timoris manifeste ostendit.

1. Ita præsertim Vetero-catholici, multi historici protestantici (maxime Harnack) ac gubernia quædam (ut veteris Austriæ).

Ob. 4. Infallibilitatis dogma inquisitionem theologicam inutilem reddit.

Besp. Nullo modo. Rom. enim Pontifex infallibilis creditur, non quod novas revelationes accipiat neque quod per revelationem novam de quæstionibus fidei subortis edoceatur, sed per assistentiam divinam qua in iudicio de fidei doctrinis ferendo ab errore præservatur. Infallibilitas igitur iudicium proprium adeoque inquisitionem supponit. Atque de facto inquisitio maxime matura omnes definitiones dogmaticas usque huc factas præcessit. Tantummodo quandoque speciali inquisitione vix opus est : ita e. g. doctrina modernistica tam evidenter dogmatibus iam definitis opponitur, ut non iam inquisitione sed damnatione et actione opus fuerit.

Ob. 5. Infallibilitas in iudicio ferendo nec psychologice nec theologice explicari potest nisi forte quod Rom. Pontifex tanquam instrumentum inconscium Dei ponatur : id quod est absonum.

Besp. Infallibilitas in dogmate definiendo optime explicatur : primo quidem per doctrinam philosophicam de influxu Dei in intellectum ac voluntatem humanam ; secundo per doctrinam fidei de gratia qua mens humana illuminatur ; tertio per doctrinam theologorum circa influxum Dei in animum humanum. Maxime et optime infallibilitas explicatur per doctrinam S. Thomæ circa motionem divinam (I, q. cv et loci paralleli) et circa prophetiam (II, II, q. clxxi-clxxiv).

Ob. 6. Omnes veteres hæresiarchæ practice saltem R. P. infallibilitatem negaverunt, quin tamen huiusmodi negatio ipsis tanquam culpa imputaretur. Infallibilitas igitur R. P. tanquam res fidei non agnoscebatur.

Besp. Certe hæresiarchæ infallibilitatem R. P. practice negaverunt ; et in hoc a fidelibus distinguuntur, qui sc. orta quæstione definitiones R. P. secuti sunt atque sic practice privilegium R. P. confessi sunt. Quod autem adiungitur, hæresiarchos inde non fuisse inculpatos, minime verum est : inde enim proprie tanquam hæretici habiti sunt et fuerunt quod definitiones fidei R. PP. non acceperunt. Historia igitur hæresum est testimonium principii traditionis, ad Romanum Pontificem pertinere, quæstiones

fidei subortas finaliter determinare, utpote infallibiliter, ut eorum definitio ab omnibus inconcussa fide teneatur.

Ob. 7. Patres et scriptores veteres ecclesiastici, de regula fidei scribentes, ad infallibilitatem R. P. mimime appellant ; ego illam neque admiserunt.

Besp. Veteres de infallibilitate R. P. non tractaverunt sub *nomine* regulæ fidei, transeat ; sub alio nomine et respectu, nego.

Explic. Sicut supra in argumento ex traditione exposuimus, veteres infallibilitatem R. P. sub determinatis rationibus consideraverunt, licet non sub ratione vel saltem nomine « regulæ fidei ». Nam « regula fidei » apud veteres significat *doctrinam* quæ est fundamentum ac summa totius doctrinæ fidei. Atque hac ex ratione præcipue symbolum apostolicum tanquam regula fidei statuitur. Unde scriptores, de regula fidei scribentes, ad infallibilitatem R. P. non appellant, nisi indirecte. Ita Tertullianus, Irenæus, Augustinus, Gennadius et Vincentius Ler. directe quidem sub nomine regulæ fidei doctrinas exponunt quæ veram fidem constituunt ; indirecte tamen ad infallibilitatem R. P. appellant, cum omnes illi auctores expresse vel practice doctrinam Ecclesiæ Romanæ tanquam regulam fidei defendendam teneant.

13. Difficultates historicae. — Adversarii maxime in quibusdam factis historicis instant qua; errorem in Rom. Pontificibus probare videntur. Attamen quantum ad omnia facta adducta generaliter responderi potest quod non agitur de definitionibus ex cathedra, ita ut quæstio infallibilitatis non tangatur. Ideoque breviter ad has obiectiones respondebimus, præsertim cum facta relativa in historia ecclesiastica adamussim exponantur ac de reliquo iam sufficienter sint discussa.

1. *Casus Papse Liberii.* Opponitur, Papam Liberium formulæ arianæ eique hæreticæ subscripsisse adeoque errasse.

Besp. Liberius nec formulæ hæreticæ subscripsit nec subscribendo aliquid ex cathedra definivit.

Explic. Certe constat, Liberium Papam alicui formulæ Sirinicnsi subscripsisse. At *primo* non subscripsit aliquid definiendo : subscripsit enim sicut cæteri episcopi assen-

sum præstando neque unquam in Ecclesia illa formula ut obligatoria proposita est ; *secundo* Liberius formulæ secundæ subscripsit quæ non est hæretica, licet ambigua ; *tertio* vel huiusmodi subscriptio vi ac metu extorta fuit.

2. *Casus Papæ Honorii.* Opponitur, Honorium Papam in quæstione de duabus voluntatibus in Christo errasse adeoque a Concilio VI tanquam hæreticum damnatum fuisse, approbante postmodum Leone II.

Besp. Honorius primo nihil dogmatice definivit ; secundo nullum errorem proposuit, sed tertio tantum de negligentia in fidei puritate defendenda et curanda accusatur. Casus itaque Honorii est extra quæstionem.

Explic. 1. Honorius nil dogmatice definivit. Honorius in ep. ad Sergium illum hortatur ut « unius vel geminæ operationis vocabulum » evitet (ep. 1), recusat sententiam ferre : « Non nos oportet unam vel duas operationes definientes prædicare » (Ep. 2), sed hoc grammaticis relinquit (Ep. 1). Hæc non sunt loquentis ex cathedra.

2. Honorius nullum errorem docuit — Nam confitetur « D. N. I. Ch. Filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operatum divinitus atque humanitus » (Ep. 1); affirmat « duas naturas... inconfuse, indivise et inconvertibiliter propria operari » (Ep. 2) ; cum scripserit « Unam voluntatem fatemur D. N. J. Ch. », unitatem moralem voluntatis humanæ in Christo intelligit, sc. quod non fuisset contrarietas carnis et spiritus, i. e. peccatum, in Christo[1].

1. Teste S. Maximo, in *disp. cum Pyrrho,* abbas Ioan. Saniponus, (|uo in litteris conscribendis usus erat, Honorius, in ep. ad Constantium. imp. dixit : « Unam voluntatem diximus in Domino, non divinitatis eius et humanitatis, sed humanitatis dumtaxat. Cum enim Sergius scripsisset quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, respondit : unam voluntatem diximus, Christum, non duas contrarias voluntates, habuisse, *carnis sc. et spiritus,* sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quæ naturaliter eius humanitatem insigniret » (M. L., xci, 330). Atque verba ipsius ep. Honorii consonant quibus dicit : « Profecto a divinitate assumpta est notra natura, non culpa : illa profecto, quæ ante peccatum creata est, non quæ post praevaricationem vitiata, quæ *repugnaret legi mentis eius.* Nam lex alia in membris aut voluntas diversa non fuit vel contraria salvatori, quia super legem nalusest humanae conditionis ».

3. Honorius in errore corrigendo defecit. — Posita enim quæstione de una vel duabus voluntatibus in Christo, propositoque errore de una voluntate in Christo, Honorius vi sui officii errorem detegere ac doctrinam veram exponere debuisset ; similiter cum « unam voluntatem in Christo » fateretur, ansam erroris præbuit.

Eodem sensu tum a Cone. œc. VI (681) tum a Leone II damnatus esse videtur. Nam Concilium damnat primo *epistolam* Honorii ad Sergium tanquam « alienam ab apostolicis dogmatibus et a definitionibus Conciliorum et cunctorum probabilium Patrum », ac deinde Honorium ipsum anathematizat, « eo quod invenimus *per scripta* quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus eius mentem secutus est, et impia dogmata confirmavit[1]. » Damnatur igitur epistola Honorii et propter epistolam Honorius ipse.

Iamvero epistola considerari et damnari potest aut secundum sensum ab auctore intentum aut prout ab adversariis intelligebatur et prout secundum scipsam exponi ac intelligi poterat. Atque de facto Monotheletæ ad epistolas Honorii appellaverunt et epistola ansam monotheletismi præbuit, cum « unam in Christo voluntatem » fateretur. Unde Concilium merito tum epistolam tum Honorium ipsum damnare potuit, non quidem hoc sensu ac si Honorius subiective et personaliter monothelitismum professus fuisset, sed hoc sensu quod epistula, prout a monotheletis adducebatur et prout vi textus accipi potuit, esset aliena a veritate, mentem Sergii sequeretur ac impia dogmata confirmaret.

Eodem modo Leo II (682) Honorium anathematizavit[2], sc. « qui hanc apostolicam Ecclesiam *non apostolicæ traditionis doctrina lustravit,* sed profana proditione immaculatam *fidem maculari permisit* (παρεχώρησε) « vel » qui *flammam* hæretici dogmatis *non,* ut decuit apostolicam auctoritatem, *incipientem extinxit,* sed *negligendo fovit*[3]. »

1. Kirch, *Enchiridion fontium h. e.,* n. 974-976.
2. Kirch, *Enchiridion,* 977, 979.
3. Alii putant, ipsam mentem Honorii per Concilium damnatam fuisse, huiusmodi vero sententiam a Leone II mitigatam atque

3. *Casus Galilæi.* Opponitur quod die 5. Martii 1616 damnata fuerit doctrina Galilei Galilæi de immobilitate solis et mobilitate terræ, et quidem ut contraria S. Scripturis et quod a. 1633 ipse Galilei ad carcerem damnatus fuerit.

Resp. Huiusmodi damnatio *primo* non fuit actus Romani Pontificis sed Congregationis Inquisitionis — adeoque infallibilitatem Rom. Pontificis non tangit; *secundo* non fuit sententia definitiva[1].

hac restrictione. Concilium approbatum fuisse. At Leonem II a Concilio dissentire non apparet atque alia sententia proposita intentioni Concilii et Leonis II et rerum circumstantiis magis consentire videtur : tota enim res fuit in eo ut epistulæ et auctoritas Honorii errori monotheletico non faveret ; ad quem finem sufficiebat damnatio epistulæ prout iacebat et damnatio Honorii tanquam auctoris epistulæ et negligentis in errore confutando.

[1] Alios « casus » praetermittimus cum manifeste constat, non esse quaestionem de definitione dogmatica.

CAPUT VU

De Conciliis œcumenicis

Societatum maiorum proprium est ut ii quibus cura societatis incumbit, in unum conveniant ad deliberandum et statuendum de bono communi societatis. Id quod quidem diversimode fit, secundum diversam constitutionem singularum societatum. Atque etiam in Ecclesia huiusmodi conventus ab omni initio reperiuntur, qui nomine proprio synodi vel concilia vocantur. Secundum Actus Apostolorum (c. xv), iam Apostoli cum senioribus convenerunt ad deliberandum et statuendum de necessitate circumcisionis et observationis legis mosaicæ (Concilium Apostolorum) ; postmodum plurima concilia episcoporum sequuntur, inter quæ Concilia œcumenica eminent.

Inde tractabimus :

1° De *notione* Conciliorum œcumenicorum ;

2° De eorum *convocatione, celebratione et approbatione ;*

3° De eorum *auctoritate ;*

4° De eorum *infallibilitate.*

ARTICULUS QUINQUAGESIMUS PRIMUS

De Conciliis œcumenicis[1]

I. Notiones. — 1. *Concilium* (synodus) *œcumenicum vel universale* est *conventus legitimus episcoporum ex toto orbe christiano convocatorum ad indicandum et statuendum de rebus ecclesiasticis.*

1. M. Canus, *De loc. theol.,* l. V ; D. Bannez, ***In II, II,*** q. i, a. 10 ; Bellarminus, *Controversial christ, fid.,* tract. *De. Conciliis el Ecclesia ;* De Groot, *Summa de Ecclesia,* q. xin ; A. Straub,

Vox synodi vel concilii antiquitus significavit tum locum conventus tum conventum ipsum ad deliberandum, maxime episcoporum. Distinguebantur tamen concilia mixta, ea sc. in quibus comites et magistratus civiles simul cum episcopis convenerunt, et concilia ecclesiastica, i. e. episcoporum tantum.

Concilia ecclesiastica iterum distinguebantur inter *particularia,* i. e. unius metropolitæ vel regionis, *generalia,* i. e. alicuius provinciae ecclesiasticae, patriarchatus, vel totius orientis, et *œcumenica* vel *universalia,* i. c. totius Ecclesiæ. Distinguuntur insuper concilia *nalionalia,* i. e. unius nationis, et concilia *provincialia,* i. e. alicuius provinciae ecclesiasticae.

Ab huiusmodi conciliis episcoporum distinguitur *synodus diœcesana,* i. e. conventus cleri cum suo episcopo ad agendum de iis quæ ad particulares cleri populique diœcesis necessitates vel utilitates referuntur (G. I. C., can. 356)[1].

Nobis hic de solis conciliis œcumenicis agendum est.

2. In Concilio œcumenico constituendo distinguendum est inter convocationem, celebrationem (actionem) et approbationem concilii. Concilium erit œcumenicum *convocatione* cum omnes episcopi convocati fuerint[2] ; erit œcumenicum *celebratione* cum in decretis ferendis tota Ecclesia repraesentata fuerit ; erit œcumenicum *approbatione,* cum decreta a Rom. Pontifice pro Ecclesia universa approbata fuerint.

Inde distinguuntur : *a)* Concilia quæ sunt œcumenica tum quoad convocationem tum quoad celebrationem tum quoad approbationem, ut posteriora Concilia œcumenica.

De Ecclesia, thesis 23 ; J. Forget, *Dici. apol. de la foi calli.,* verbum : conciles.

Quantum ad *historiam* Conciliorum cf. : Mansi, *Sacrorum Conciliorum novael amplissima collectio;* Collectio Lacensis, vol. VII: *Acia el decrela Cone. Vaticani ;* Hefele, *Konzilienyeschichle,* ed. 2. (Hergenrôther), trad, gall., 1907 ss. ; Granderath el Kirch, *Geschichie des Vaille. Konzils* (trad, gall., 1908) ; Finke, *Acta Cone. Conslanciensis,* I, 1896; Eiusdem : *Forschungen und Ouellen zur Geschichte des Konsianzer Konzils,* 1889.

1. Cf. Benedictus XIV, *De synodo diœcesana.*

2. In C. I. C., habetur : « Dari nequit Œcumenicum Concilium quod a Romano Pontifice non fuerit convocatum » (can. 222, § 1).

b) Concilia œcumenica quoad celebrationem et approbationem licet non iam quoad convocationem, ut Conc. I, III, IV, V, VI, VIII.

c) Concilia œcumenica quoad approbationem tantum, ut Conc. II et VIT (Conc. Cpt. I et II).

d) Concilia approbata universaliter vel partialiter tantum.

Praxis enim Conciliorum œcumenicorum, teste historia, successive sese evolvit:ut natura rei secum ferebat. Primo apparent concilia particularia — quorum numerus iam sæc. II magnus est. Subsequuntur Concilia « generalia ». In his, propter rei momentum et præcipue, quia quæstio de rebus fidei fuit, quandoque Romani Pontifices intervenerunt, sive tantum decreta approbando, sive etiam convocando et determinando quoad actionem et decreta facienda. Ita Concilium Cpt. I quoad convocationem et celebrationem fuit Concilium « generale », i. e. ditionis Patriarchæ Cp., postmodum tamen universale per approbationem Romani Pontificis. Similiter Cone. Cp. II, utpote celebratum contra voluntatem Romani Pontificis, licet postmodum (partialiter) approbatum. Alia Concilia vetera fuerunt quidem convocata a Romanis Pontificibus, utpote quia de rebus fidei, ad universalem Ecclesiam pertinentibus, tractabant ; non tamen proprie omnes episcopi convocabantur, sed potius episcopi græci-inter quos sc. disceptatio fuit ; — fuerunt tamen œcumenica quoad tractationem, ob præsentiam delegatorum Rom. Pontificis et simul aliorum episcoporum latinorum. Denique omnia huiusmodi Concilia sunt œcumenica quoad approbationem ; at quidam partialiter tantum : ita Gone. Cp. I est approbatum tantum quoad decretum dogmaticum, non vero quantum ad canonem qui episcopo Cp. primum locum post episcopum Romanum attribuit ; similiter can. 28 Conc. Chalc. non fuit approbatus. Eodem modo postmodum quoad Conc. Constantiense tantum decreta conciliariter facta approbata fuerunt, reiecto expresse decreto de superioritate Concilii supra Papam[1].

3. *De membris Conc. œcumenici.* 0c) *Convocandi* sunt

1. Cf. Denz., 6572.

de iure divino *omnes episcopi actualiter iurisdiclionem in propria diœcesi habentes* (episcopi residentiales). Conc. enim œcumenicum eSt conventus episcoporum et repræsentat Ecclesiam hierarchicam et docentem, ad quam iure divino episcopi actualiter iurisdictionem habentes pertinent etiam nondum consecrati (C. I. C., can. 223, § 1).

Ex iure positivo vocantur ad Concilium in eoque ius habent suffragii deliberativi (C. I. C., can. 223) :

α) S. R. E. Cardinales, etsi non episcopi ;

b) Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, episcopi residentiales, etiam nondum consecrati ;

c) Abbates vel Praelati nullius ;

d) Abbas primas, Abbates Superiores Congregationum monasticarum, ac supremi moderatores religionum clericalium exemptarum, non autem aliarum religionum, nisi aliud convocationis decretum ferat ;

e) Etiam episcopi titulares, vocati ad Concilium, suffragium obtinent deliberativum, nisi aliud in convocatione expresse caveatur.

« Theologi ac sacrorum canonum periti, ad Concilium forte invitati, suffragium non habent, nisi consultivum » (C. I. C., can. 223, § 3).

3) Ad Conc. (actione) œcumenicum effective constituendum *præsenlia tot ac talium episcoporum requiritur, ut Ecclesia universalis moraliter repræsentala censeatur*[1]. Unde non requiritur præsentia omnium simpliciter episcoporum, immo ne quidem maioris partis. Moralis vero repræsentatio Ecclesiæ secundum diversas rerum conditiones diversimode haberi potest. Ita octo vel exactius sex ex octo Conc. oecumenicis veteribus[2] fuerunt principaliter conventus ecclesiæ orientalis ; adfuit tamen numerus sufficiens episcoporum latinorum ad repræsentandam ecclesiam occidentis, præsertim quia Rom. Pontifex per legatos suos interfuit. Cum enim circa res quæ in illis sex Conciliis agebantur, in occidente quasi nulla quæstio esset, pauci episcopi ex occidentalibus sententiam ecclesiæ occidentis

1. Cf. M. Cano, *De locis Iheol.,* v, 3.

2. Conc. Cpt. I el II neque convocatione neque celebratione œcumenicum fuit.

repræsentare poterant, maxime vero Rom. Pontifex. Quantum ad ecclesias orientis, directe Patriarchæ convocabantur, qui certum numerum suorum suiïraganeorum episcoporum secum ducerent.

Ut habeatur decretum *Concilii* præter alia maior numerus Patrum consentientium requiritur, ut ex natura rei patet.

II. Doctrina catholica. — Auctoritas et infallibilitas Conciliorum universalium iam in veteri Ecclesia tamquam doctrina fidei recognita fuit : primo quidem *per modum facli,* inquantum in quæstionibus gravioribus, præsertim fidei, ad Concilia generalia factus est recursus atque eorum definitiones ab universa Ecclesia acceptæ fuerunt ; deinde vero *per modum doctrinæ,* inquantum expresse fides in definitiones Conciliorum tanquam catholica et necessa.iia declarabatur (Cf. infra ad th. IV).

Doctrinam et fidem *præsenlis Ecclesiæ* optime Codex I. C. resumit, sequentibus canonibus :

1. « Dari nequit œcumenicum *Concilium* quod *a Romano Pontifice* non fuerit *convocatum.* Eiusdem Romani Pontificis est œcumenico Concilio per se vel per alios *præesse,* res in eo tractandas ordinemque servandum constituere ac designare, Concilium ipsum transferre, suspendere, dissolvere, eiusque decreta confirmare » (can. 222).

2. « Concilii decreta vim definitivam obligandi non habent nisi a Romano Pontifice fuerint *confirmata* et eius iussu *promulgata* » (can. 227).

3. « Concilium œcumenicum *suprema* pollet *in universam Ecclesiam poleslate* » (can. 228, § 1).

4. « A sententia Romani Pontificis non datur ad œcumenicum Concilium *appellatio* » (can. 228, § 2). Hic canon est contra doctrinam gallicanam-febronianam' de superioritate Concilii supra Papam, damnatam a Conc. Vali<·., profitente : « Sedis apostolicæ, ouius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum neque cuique de eius licere iudicare indicio. Quare a recto veritatis tramite aberrant qui affirmant, licere a iudiciis Roma-

norum Pontificum ad œcumenicum Concilium appellare[1]. »

5. *Sollemne indicium* (de credendis) pronuntiare proprium est tum *œcumenici Concilii* tum Romani Pontificis ex cathedra loquentis » (§ 1323, § 2) : *infallibililas* Concilii œcumenici.

III. Sententiae erroneae. — Tempore antiquo suprema auctoritas conciliorum œcumenicorum universaliter fuit recognita, simul tamen ius et auctoritas Romani Pontificis quoad convocationem et confirmationem Concilii ; tamen neque conditiones infallibilitatis neque habitudo Concilii ad Romanum Pontificem ab omnibus, præsertim a Græcis, clare ct perfecte fuerunt intellect®. In medio ævo surrexit error doctrinæ conciliaris quæ Concilio generali auctoritatem supra Papam tribuebat. Quam sententiam *Çonradus de Gelenhusen* in *Epistola Concordiae* defendit (1380), Joh. *Gerson* patrocianabatur[2]. In *Concilio Con-.danliensi* pars Patrum (Sess. IV et V) decrevit : « (Conc. Const.) » potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscumque status vel dignitatis, etiamsi papalis existât, obædire tenetur in his quæ pertinent ad fidem[3] ».

Eundem errorem tenet « *Declaratio cleri Gallicani* » (1682), defendens sc. decreta Conc. Constantiensis de auctoritate Conciliorum generalium quæ sessione quarta et quinta continentur, sc. quod Concilium (Constantiense) « potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscumque status vel dignitatis, etiamsi papalis existât, obædire tenetur in his quæ pertinent ad fidem ». *Febroniani,* sicut et *Fticheriani* Rom. Pontificem quam maxime Conc. œcumenico subordinaverunt, utpote considerantes Rom. Pontificem tanquam ministrum Ecclesiæ universalis et Concilii œcumenici. Omnes eiusmodi errores, uti patet, ex errore circa vim et rationem primatus sequuntur.

Prolestantes Conciliis œcumenicis tum auctoritatem tum infallibilitatem denegant. Lutherus vantitabat : « Via nobis

1. Sess. IV, c. in ; Denz., 1830.
2. In sermone *De auferibilitate Papæ ab Ecclesia.*
3. Mansi, xxvii, 585, 590.

fa<ta est enervandi auctoritatem Conciliorum et libere contradicendi eorum gestis et iudicandi eorum decreta[1]... »

Modernislae, uti patet, Conciliis omnem auctoritatem infallibilem denegant[2].

In *Syllabo* Pii IX damnatur propositio (23) : « Romani Pontifices et Concilia œcumenica... etiam in rebus fidei et morum definiendis erraverunt. »

1. Denz., 769.
2. Cf. Decr. *Lamentabili,* prop. 4, 6, 31.

ARTICULUS QUINQUAGESIMUS SECUNDUS

De convocatione, celebratione et confirmatione Conciliorum œcumenicorum

I. Thesis : Concilia œcumenica auctoritate Romani Pontificis convocanda, celebranda et approbanda vel confirmanda sunt.

Prob. 1. *Ex primatu liomani Pontificis.* — Vi primatus Rom. Pontifex habet curam et potestatem plenam, supremam, ordinariam ac immediatam circa omnes personas ac res ecclesiasticas. Atqui convocatio, præsidium et confirmatio Concilii œcumenici ad res ecclesiasticas pertinent. Ergo.

Minor facile patet. *Personæ* vel membra Concilii sunt episcopi qui tum ut fideles tum ut episcopi summo pastori ut pascendi et regendi commissi sunt. Neque obici potest quod episcopi ut in unum congregati et ut repræsentantes Ecclesiam regimini Rom. Pontificis non subdantur : nam Ecclesia universalis non est supra Papam, sed e contra cura Ecclesiæ universalis proprie ad Romanum Pontificem pertinet. *Actio* deinde vel celebratio Concilii manifeste est negotium ecclesiasticum ac per consequens obiectum potestatis pontificiae. *Decreta* denique Concilii non minus Ecclesiam respiciunt adeoque regimini Rom. Pontificis subiciuntur. Itaque ex natura ipsa primatus convocatio, actio et confirmatio Conciliorum ad auctoritatem Rom. Pontificis pertinent.

Prob. 2°. *Ex natura Concilii œcumenini.* — Concilium œcumenicum est conventus episcoporum ad deliberandum de rebus quæ ad universam Ecclesiam pertinent, ad facienda decreta quæ universam Ecclesiam obligent. Atqui talis conventus convocari, dirigi ac vim obtineri potest ab eo solo qui potestatem universalem super omnem Ecclesiam habet : id quod solius Romani Pontificis est. Ergo.

Minor prob... Episcopi particulares potestatem super universam Ecclesiam non habent : neque singillatim sumpti, ut patet, neque collectim sumpti, qui nullus singularis episcopus potestatem super alium episcopum habet, sed tantum in sua diœcesi.

Neque quis dicat episcopos, ut in unum congregatos, potestatem in universam Ecclesiam obtinere, sc. per unionem quandam potestatis vel per commissionem Ecclesiæ. Etenim *a)* conventus *materialis* episcoporum id certe non efficit; *b)* unio *formalis* absque interventu superioris potestatis non habetur; c) ecclesia universalis potefstatcm illam committere nequit, cum episcopi potestateqi suam hierarchicam non ab Ecclesia, sed a Christo vel a Romano Pontifice accipiant.

Relinquitur ergo, Concilium œcumenicum necessario ab aliquo alio convocari, dirigi et vim obligandi obtinere, sc. a tali qui potestate super omnes episcopos pollet et qui universam Ecclesiam obligare valet : huiusmodi autem est solus Romanus Pontifex, ut caput *lotius* Ecclesiæ et vicarius Christi in regno suo.

Prob. 3. *Ex praxi Ecclesiæ.* In praxi vel historia Ecclesiæ distinguendum est inter Concilia quæ iam quoad convocationem vel actionem erant universalia, et inter illa quæ quoad convocationem vel actionem non erant universalia : illa enim Concilia quæ quoad convocationem vel actionem non erant universalia, proprie sunt extra quæstionem, ut patet.

a) Quoad *convocationem.* — Omnia illa Concilia, quæ iam quoad convocationem sunt universalia, certe per Romanum Pontificem convocata fuerunt, ut Vaticanum, Tridentinum, Florentinum, Lugdunense, Viennense, Lateranense IV et V.

Alia Concilia œcumenica, ut I et II Later, et prima octo Concilia, quæ quoad convocationem quidem non sunt proprie universalia, *nihilominus per Bomanum Pontificem convocata fuerunt.*

Cui assertioni opponitur factum historicum quod prima octo Concilia *per imperatores* convocata fuerint.

Bellarminus, Ilefele, Mazzella, Palmieri, Wernz et plures alii respondent, convocationem per imperatores fuisse

« ministerialem » et ex potestate delegata, saltem tacite. Id quod tamen est contra tenorem documentorum[1].

Respondendum esse videtur, imperatores quidem auctoritate propria Concilia convocasse, *at materialiter,* consentientibus insuper vel non reluctantibus vel saltem postea ratihabentibus Rom. Pontificibus ; convocationem vero *formalem* qua sc. conventus episcoporum auctoritatem Concilii obtineret, factam fuisse per Rom. Pontifices, sive mittendo legatos ad Concilium, ut in Conc. Nicæno 1, sive delegando aliquem ex episcopis, ut Cælestinus I delegavit Cyrillum Alex, in Conc. Ephesino, sive simul expresse consentiendo, ut quantum ad Conc. Chalcedonense, sive postmodum ratihabendo vel confirmando, ut quoad Cone. Cpt. III[2].

Ratio duplicis convocationis facile palet. Imperatores Concilia convocaverunt, quia prima octo Concilia erant conventus episcoporum imperii (orientalis) ; imperatores quæstiones fidei exortas simul ut quæstiones imperii consideraverunt, utpote ut tangentes bonum et pacem imperii (hæreses enim pacem civium valde perturbaverunt); soli imperatores disposuerunt de mediis materialibus sufficientibus ad congregandos episcopos, præcipue recalcitrantes, et ad sustinendas expensas magnas, ad itinera faeilitanda, ad pericula evitanda, ad pacem et tranquilitatem tuendam, etc.[3].

Romani vero Pontifices in huiusmodi Conciliis convocandis intervenerunt, quia de quæstionibus fidei agebatur, quæ quæstiones secundum regulam antiquam ad Romanos Pontifices pertinent. Inde simul interventus aliorum

1. Cf. Fraget, in *Dici, de Theol. cath.,* V. ; *Conciles,* III, 644-653 ; Funk, *Kirchengeschichsliche Abhandlungen,* t. I, 39-121.

2. Inde explicatur quod veteres dicant concilia per Romanos Pontifices convocata fuisse : ut *Rufinus (Hisl. eccl.,* i, 1) et *Liber Pontificalis* (ed. Duchesne, i, 75), quoad Conc. Nicaenum ; Leo M. (Ep. 114) et episcopi Mœsiæ (Harduin II, 710) quoad Conc. Chalcedonense ; Hadrianus I (Harduin IV, 818) quoad Conc. VII ; Hadrianus II (Hardouin V, 768), quoad Concil. VIII. Optime rem declarat Leo M. : « *Generale concilium el ex præcepto Christianorum principum et ex consensu apostoliese Sedis placuit congregare* » (Ep. 114, M. L., Liv, 1029).

3. Cf. Froget, l. c., coi. 650 s.

episcoporum, non proprie convocatorum, explicatur, utpote propter quæstionem fidei quæ totam Ecclesiam respiciebat.

b) Quoad *præsidentiam, actionem vel celebrationem* Conciliorum constat, Rom. Pontifices Conciliis imperasse. Imperatores præsidium quidem protectionis et honoris exercuerunt, in actione vero Concilii, i. e. in rebus indicandis el in ferendis decretis, non fuerunt admissi[1]. Romani autem Pontifices sive per legatos sive per epistulas, iam anlecedenter ad Concilium rem determinaverunt. Ita Cœlestinus I. ad Patres Conc. Ephesini scribit : « Quæ a nobis antea statuta sunt, exequantur (sc. legati et Patres Concilii) » (Harduin, i, 746). Et idem suis legatis iniungit : « Auctoritatem sedis apostolicæ custodire debere mandamus... At disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententiis iudicare debetis, non subire examen » (M. L.. 50, 503). Quantum ad alia Concilia iam supra auctoritatem a Rom. Pontificibus exercitam vidimus[2].

c) *Quantum ad confirmationem.* Posteriora Concilia cecumenica certo per Romanos Pontifices confirmata sunt indeque vim ac valorem acceperunt. Quoad octo priora Concilia sequentia sunt notanda, *a)* Concilium Cp. I et π (œc. II et V) quoad convocationem et actionem non fuerunt œcumcnica, at per acceptionem R. Pontificis auctoritatem Concilii œcumenicii obtinuerunt : id quod certe in Rom. Pontifice auctoritatem Conciliorum approbandorum supponit, *b)* Concilium Sardicense (344) præcipue ex defectu confirmationis per Rom. Pontificem vim Concilii œcumenici non habet, c) Concilium Chalcedonense confirmationem can. 28 expresse petiit ; quam cum non

1. Nicolaus I ad *Michælem imperatorum* scribit (a. 865) : « Ubinam legistis, imperatores antecessores vestros in synodalibus conventibus interfuisse, nisi forsitan in quibus de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis est, quænonsoluin ad clericos, verum etiam ad laicos et ad omnes omnino pertinet Christiano» ? » Denz., 331. Cf. *ib.,* 340.

2. Forget, l. c., coi. 654 merito notat : « Dans chacun des conciles subséquents, nous rencontrons de même une consigne obligatoire envoyée par Rome et docilement exécutée par le corps épiscopal. »

obtinuisset, canon ille sine vi ac valore mansit, etiam in Ecclesia orientali.

Omnia denique octo vetera Concilia œcumenica per Romanos Pontifices confirmata sunt : sive antecedenter, i. e. inquantum Rom. Pontifices iam ante Concilium determinaverant quid in Concilio circa quæstionem subortam decernendum esset ; sive concomitapter, i. e. inquantum statuenda per legatos intimarunt et exequenda curarunt ; sive consequenter, ratihabendo sc. ac expresse confirmando definitiones factas, maxime vero promulgando ac urgendo decreta Conciliorum.

Funk quidem (Kirchengesch. Abhandlungen, I, 87-121), cui assentit Forget (l. c., coi. 656-664), tenent, Concilia priora non per modum approbationis *subsequentis* vim obtinuisse, immo ne quidem approbationem « *formalem* » accessisse. At *primo* approbatio antecedens et concomitans est certe approbatio formalis : certe enim unusquisque assensum ad doctrinam propriam, aliis propositam atque intimatam, maxime formaliter approbat; *secundo* approbatio antecedens et concomitans a fortiori approbationem subsequentem comprehendit : cum igitur in decretis veterum Conciliorum communiter approbatio antecedens vel concomitans habeatur, eo ipso simul approbatio subsequens admittenda est ; *lerlio* Romani Pontifices decreta Conciliorum, quibus auctoritate sua interfuerant, ut vim ac robur habentia admiserunt, utpote ut iam a Sancta Sede approbata, tamen ea simul auctoritate propria *promulgaverunt* atque *urgebanl :* id quod iterum confirmationem subsequentem comprehendit[1].

1. Inde simul cessat quæstio de necessitate confirmationis subsequentis, inter theologos agitata, vel potius melius determinanda est. Quæstio enim fundamentalis el formalis est hæc : utrum decreta Concilii absque consensu, i. e. quin accedat auctoritas Summi Pontificis, vim atque auctoritatem habere possint. De hac re etiam historice dubium esse nequit. Quæstio secundaria est utrum *expressa* approbatio subsequens requiratur. Ista approbatione certe opus non est cum Concilium tantum antea a Romano Pontifice statuta exequatur. Veteres vero auctores ut Turrecremata el Caietanus *(De auctoritate Papæ et Concilii,* c. xv ; cf. Canus, *De locis theol.,* v, 5) ante oculos habent decreta Conciliorum quæ absque Rom. Pontificum cooperatione et consensu lata fuerunt. Cf. corollarium sequens.

Merito igitur S. *Thomas* docet : « Romani Pontificis auctoritate etiam antiqua Concilia congregabantur et confirmabantur[1] » ; et : « Sancti Patres in Conciliis congregati nihil statuere possunt nisi auctoritate Romani Pontificis interveniente, sine qua etiam nec Concilium congregari potest[2] ».

II. Corollarium. — luremerito in C. 1. C. Statuitur : *Concilii décréta vim definitivam obligandi non habent nisi a Romano Pontifice fuerint confirmata et eius iussu promulgata* » (can. 227).

Quantum enim ad approbationem distinguendum esi inter approbationem ipsam et notitiam certam ac validam approbationis factae. *Quantum ad approbationem ipsam,* sicut certum est absque illa decreta Concilii vim obligandi non habere, ita admitti debet, illam sive antecedenter sive concomitante!· sive subsequendo dari posse. Nam qui antecedenter decretum ferendum statuit, simul decreto lato assentit ; similiter qui in decreto ferendo cooperatur. *Quantum vero ad notitiam approbationis faclæ,* certitudo facile deesse potest, sc. an Concilium re vera illud idem decreverit quod Summus Pontifex decernendum statuerat ; an legati instructiones acceptas rite intellexerint vel saltem secuti fuerint ; denique dubium esse potest, an instructio Rom. Pontificis vim sententiæ definitivae habuerit.

lamvero decreta Conciliorum vim obligandi in praxi habere nequeunt, antequam de eorum validitate certo constiterit. Inde ad omne dubium tollendum, optime in iure statuitur, decreta Conciliorum « vim definitivam obligandi », non habere, antequam a Romano Pontifice confirmata et promulgata fuerint.

1. 1. q. xxxvi, a. 2, ad 2.
2. *Contra impugnantes,* c. tv ; cf. *De Pol.,* q. x, a. 4 ad 13.

ARTICULUS QUINQUAGESIMUS TERTIUS

De auctoritate Conciliorum universalium

I. Thesis : Concilium œcumenicum *a)* suprema pollet in universam Ecclesiam potestate, *b)* non tamen est supra Papam, c) neque datur appellatio a sententia Rom. Pontificis ad Concilium œcumenicum.

Ad a) *Concilium œcumenicum suprema pollet in universam Ecclesiam poleslale.*

Patet tum ex auctoritate Romani Pontificis, vi cuius Concilium congregatur, celebratur ac confirmatur, tum ex auctoritate Concilii ipsius, quod sc. universam Ecclesiam repræsentat.

Ad b) Tamen *Concilium œcumenicum non esi supra Papam. — Prob.* a) Potestas iurisdictionis Rom. Pontificis est suprema, ita ut « Sedis Apostolicæ, cuius auctoritate maior non est, indicium a nemine retractari » neque Summa Sedes ab aliquo indicari possit[1].

b) Concilium œcumenicum intelligitur aut seorsum a Romano Pontifice aut simul cum Rom. Pontifice. lamvero Concilium, ut intelligitur *simul* cum Rom. Pontifice, manifeste supra Papam esse nequit, quia secus Papa esset supra sc ipsum ; Concilium vero, ut intelligitur *seorsum* a Rom. Pontifice, non repræsentat universam Ecclesiam (sicut corpus secluso capite non est totum corpus) adeoque auctoritate non pollet ; simul Concilium, seorsum a Rom. Pontifice, ipsi subicitur, cuius sc. potestas est universalis.

c) In *traditione* usque ad medium ævum nemo ausus est superioritatem Concilii supra Papam asserere[2]; Scholastici magni ut S. Thomas[3] et S. Bonaventura[4], aperte

1. Cf. supra, ari. 48; Denz., 1830, 330.

2. Casus Honorii hic non intrat, cum agatur de iudicio circa Pontificem mortuum.

3. S. Thomas expresse docet : « Eliam Romanus Pontifex hoc potest (sc. interpretare symbolum a priore synodo conditum), cuius auctoritate sola Synoduscongregari potest, eta quo sententia Synodi confirmatur, et adipsumaSvnodo appellatur. *«De Pot.,* q. x, a. 4 ad 13.

4. *De per/eclione evang.,* q. iv.

potestatem Papæ supra Concilium edocent ; adhuc Gerson sententiam Concilii Const, novam ac traditioni contrariam esse confiteturl ; denique doctrina Cone. Const., Gallicanorum, Richerianorum et Febronianorum erat sententia alicuius partis, ab auctoritate ecclesiastica et per praxim Ecclesiæ reiecta. Quoad ultimum sequentia.

Concil. Consi, quidem Sess. V (6 ap. 1415) statuerat, Papam teneri obædire Concilio. At huiusmodi decretum non fuit decretum Concilii, utpote non conciliariter factum, quia teste *Turrecremata*[2] in illis decretis ferendis sola obædientia loannis XXIII intererat neque ea integra.

Mariinus V decreta quidem Cone. Const, approbavit, at primo tantum decreta contra hæreticos (in bullis « *Inter cuncta* » et « *In eminentis* »} ; deinde in approbatione generali Concilii ea « omnia et singula decreta Concilii Constant. approbat et rectificat, quæ in materia fidei *conciliariter* statuta erant et non aliter » : decreta igitur Sess. V, in hac approbatione non comprehenduntur, utpote non conciliariter facta, præsertim cum Martinus V ea tantum decreta tanquam conciliaria admisit quæ votis nationum et consensu cardinalium statuta fuerunt. Denique hæc ipsa approbatio decretorum Cone. Constant. superioritatem Papæ supra Concilium ostendit.

Similiter *Eugenius IV* Const, et Basiliense Concilium quidem recognovit (ultimum usque ad translationem), « absque tamen præiudicio iuris, dignitatis et præeminentiæ S. Sedis apostolicæ ». Eodem denique modo *Leo X* « sanctionem pragmaticam » Cone. Bas. nullius esse valoris declaravit, « cum ea omnia post translationem eiusdem Basiliensis Concilii a Basiliensi conciliabulo facta extiterint ac propterea nullum robur habere potuerint, cum etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissol-

1. « Fallor, si non ante celebrationem huius sacrosanctæ constantiensis synodi sic occupaverat mentes plurimorum ista traditio (quæ superioritatem sc. Concilii supra Papam negabat), ut oppositorum dogmatizator fuisset de hæretica pravitate vel notatus vel damnatus » *(De potest. eccl. consider.,* 12).

2. *Summa de Eccl.,* n, 94.

vendorum plenum ius et potestatem habere, manifeste constet[1] ».

c) *Non datur appellatio a sententia Horn. Pontificis ad Concilium cecumenicum.* — Hæc ultima pars sequitur ex dictis, præcipue ex potestate suprema ac universali Romani Pontificis[2]. Inde doctrina contraria iuremerito damnata est a Pio II in Bulla *Execrabilis* (Denz., 717) et a Concilio Vaticano-(Denz. 1830).

II. Quœstiones corollariae. — 1. *Quomodo Concilium cecumenicum Ecclesiam universalem repræsentet.* — Inter interrogationes a Concilio Const. Wicleffitis et Hussitis propositis articulus quintus habet : « Utrum credat... quod quodlibet Concilium generale... universam Ecclesiam repræsentet[3]. » *Ratio* huius facti patet, quia Concilium cecumenicum est conventus episcoporum Ecclesiæ sub directione Romani Pontificis, qui ut « caput membris » coniunctus et præpositus est[4].

Repræsentat autem Concilium universam Ecclesiam *non* quasi *ex delegatione vel commissione Ecclesiæ,* - sed *vi propriæ potestatis,* sc. ut conventus eorum qui divinitus potestatem super Ecclesiam habent, sicut rex regnum repræsentat.

2. *Quando el, quomodo Christus Concilia œcumenica eorumque auctoritatem instituerit.* — Christus Concilia œcumenica eo ipso instituit quod et quando Petro et Apostolis eorumque successoribus potestatem hierarchicam iurisdictionis (regiminis et magisterii) contulerit : in hac enim potestate comprehenditur ut episcopi simul cum capite suo, Romano Pontifice, potestatem supremam in universam Ecclesiam habeant eamque infallibililem. Unde ordinatio specialis Christi de Conciliis celebrandis non fuit necessaria.

1. Denz., 740.

2. Zosimus, Ep. 12 : « Quamvis Patrum traditio apostolicæ Sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de eius iudicio disceptare nullus auderet..., cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia... » *P. L.,* xx, 1676 s.

3. Denz., 657.

4. *Cone. Chalced.* in ep. synod, ad Leonem M. ; Denz., 149.

3. *De relatione episcoporum ad Bom. Pontificem in Concilio œcumenico. — a) Patres Concilii sunt vere indices,* utpote quibus ut successoribus Apostolorum potestas ligandi atque solvendi data est. Itaque iam in Concilio Apostolorum dicitur : « Visum est Spiritui Sancto et *nobis...* » *(Act.,* xv. 28) et Apostolus lacobus sententiæ Petri his verius assentit : « Propter quod et ego *indico...* » (Act., xv, 19) : in Conciliis subscquentibus episcopi votum dant per verbum « Placet » et subscribunt : « Definiens subscripsi » ; denique Romani Pontifices in sententia finali ferenda his formulis utuntur : « Sedentibus nobiscum et indicantibus universi orbis episcopis » vel « sacro approbante Concilio » (Cone. Vatie.).

b) Patres sunt *indices* Romano Pontifici *subordinate* sc. ut « membra capiti » (Cone. Chair, in ep. synod, ad Leonem M.). Neque ob id Patres minus vere indicant.

c) Patres simul cum Romano Pontifice ut *unum corpus sociale* indicant : adeoque *unum subieclum* potestatis supremæ (et infallibilitatis) existit, sc. Romanus Pontifex simul cum episcopis, atque decreta Concilii auctoritate communi episcoporum et Summi Pontificis eduntur et inde specialem habent auctoritatem.

4. *De Concilio Sede Bomana vacante.* — Tempore vacationis Sedis Roinanæ Concilium œcumenicum convocari nequit, ut patet. Quodsi vero Concilium iam convocatum vel etiam ipsius celebratio iam cœpta fuerit, per legem Ecclesiæ statutum est : « Si contingat Romanum Pontificem. durante Concilii celebratione, e vita decedere, ipso iure hoc intermittitur, donec novus Pontifex illud resumi et continuari iusserit » (C. J. C., can. 229).

5. *De auctoritate Concilii in casu Papse dubii. — a) Stante dubio* de electione legitima Rom. Pontificis, Concilium œcumenicum non haberetur, cum Concilium iam congregatum sit intermissum nec aliud certo resumptum vel convocatum. 6) Conventus autem episcoporum totius Ecclesiæ sive iam existons sive, contingens posset *sententiam* ferre *de factis* quæ electionem respiciunt : quæ sententia singulos fideles obligaret[1], c) Minime vero huiusmodi con-

1. Joannes a S. Thoma, *Cursus lheol.,* tract, de auct. Summi Pontificis, diss. II, a. 3 ; Caiet., *De auct. Papse et Concilii,* c. xxi, 23 ; Canus, *De loc. Iheol.,* vi, 8.

ventus in præiudicium Rom. Pontificis aliquid statuere posset.

6. *De ulililale et necessitate Conciliorum universalium*[1]. — *a)* Concilia œcumenica, servatis servandis, certo *ma(/næ* sunt *utilitatis.* Etenim unio episcoporum cum Rom. Pontifice unitatem Ecclesiæ manifestat ac confirmat ; consensus Concilii in doctrina definienda fidem Ecclesiæ universalis testificatur ; in decretis disciplinaribus ferendis consilium et experientia episcoporum plurimum confert; denique in conventu tam sollemni pastorum Ecclesiæ gratia et illuminatio uberior Spiritus Sancti merito supponitur. De reliquo facta historica utilitatem Conciliorum confirmant, ut praecipue Concilii Tridentini et Vaticani.

b) Quandoque rerum hominumque conditio Concilium œcumenicum plus minusve *moraliler necessarium* reddit, hoc sc. sensu ut error facilius efficaciusque convincatur, mala largiori consilio et experientia eradicentur et bonum Ecclesiæ communi auctoritate et cooperatione promoveatur. Ita certe Concilium Tridentinum et Vaticanum quodammodo moraliter necessaria fuerunt ; similiter nostris diebus a pluribus merito Concilium universale desideratur, ad unitatem sc. populi catholici demonstrandam ac augendam et ad quæstiones praeficas, præcipue circa curam animarum (e. g. in magnis civitatibus), dirimendas etc. Iudicium vero de huiusmodi opportunitate ad Romanum Pontificem pertinet.

c) Tamen Concilia œcumenica *non absolute* sunt *necessaria.* Patet, quia id quod potest Concilium, etiam Romanus Pontifex potest ; nam ipse non tantum potestate competenti pollet, sed etiam alia via quam per Concilium de necessitatibus Ecclesiæ consilium petere potest, nec illuminatio proportionate Spiritus Sancti deerit[1]. De reliquo convocatio et celebratio Conciliorum ob varias causas non raro impossibilis redditur, ut in antiqua Ecclesia ante pacem Constantinam.

1. Cf. De Groot, *Summa de Ecclesia,* q. xni, a. 5.

2. *Eicheriani* et alii, qui maxime necessitatem absolutam Conciliorum praetendebant (Richeruis in opere suo *De Eccl. et polii, potestate),* ex negatione primatus iurisdictionis Romani Pontificis processerunt.

ARTICULUS QUINQUAGESIMUS QUARTUS

De infallibilitate Conciliorum œcumenicorum

Ad prærogativas Concilii œcumenici simul infallibilitas in definitionibus dogmaticis pertinet.

I. Thesis : Concilia œcumenica in definiendis doctrinis de fide et moribus sunt infallibilia.

Sensus huius thesis patet ex iis quæ de definitionibus ex cathedra Rom. Pontificum diximus : quæ hic recolenda sunt (art. 49, n. 2) ; similiter recolantur dicta de obiecto infallibilitatis Ecclesiæ (art. 33-38).

Tria præsertim notentur :

a) Tantum decreta definitiva Concilii *infallibilia* sunt, non vero aliæ doctrinæ propositæ vel etiam quocunque modo approbatæ — habent tamen huiusmodi doctrinæ magnam autoritatem theologicam ; similiter *textus S. Scripturae,* qui adducuntur, non exponuntur infallibiliter nisi definitio directe de iis fiat, ut e. g. Conc. Trid. verba institutionis Eucharistiæ definitivæ atque infallibiliter exposuit.

b) Definitiones dogma!icæ Concilii œcumenici sunt *ex se irreformabiles,* non vero ex assensu Ecclesiæ universalis vel fidelium : eo modo quo definitiones Rom. Pontificis ex se sunt infallibiles.

c) Concilium œcumenicum est infallibile *per assislenliam Spiritus Sancti.* Itaque Patres Concilii, ex parte sua, tenentur quidem ad inquisitionem de rebus definiendis instituendam — nisi res iam sit satis liquida, — at *ratio* infallibilitatis est sola S. Spiritus assistentia, Ecclesiæ promissa.

II. Probatur thesis.

Prob. 1. *Ecclesia docens* est infallibilis in rebus fidei et morum. Atque Concilium œcumenicum repræsentat Ecclesiam docentem. Ergo. Infallibilitas igitur Concilii

œcumenici ex ipsa eius natura sequitur, inquantum sc. in Concilio œcumenico Ecclesia docens, in suo capite et in suis membris, quæstiones fidei exortas definit.

Prob. 2. *Ecclesia universalis* est infallibilis et indefectibilis *in credendo.* Atqui, si Concilium œcumenicum in definitionibus dogmaticis erraret vel errare posset, simul Ecclesia universalis in credendo erraret et deficeret : fideles enim vi constitutionis Ecclesiæ et ex voluntate Christi definitiones Conciliorum tenere obligantur atque per huiusmodi definitiones de facto fides Ecclesiæ determinantur : fides Ecclesiæ est fides Conciliorum.

Prob. 3. *Ex Iradilione.* Dogma infallibilitatis Conciliorum œcumenicorum est doctrina quæ iam in veteri Ecclesiæ *expresse recognila* fuit et quæ apud veteres nunquam proprie negata fuit, licet successive tantum clarius ac distinctius cognosceretur. Sicut tamen infallibilitas Rom. Pontificis modo antiquitati proprio enuntiabatur, ita et infallibilitas Conciliorum.

Veteres infallibilitatem definitionum Conciliorum testificantur, inquantum *in quæstionibus fidei exortis factus est recursus ad Concilia universalia, ut quæstio fidei finaliter determinaretur ac definitio ab omnibus fide inconcussa teneretur, sicut et de facto Ecclesia illas fide tenuit ac tenet.* Huiusmodi factum ac doctrina infallibilitatem Conciliorum manifeste edocet : definitiones enim Conciliorum *fide* acceptæ non fuissent, nisi possibilitas erroris esset exclusa : in quo infallibilitas consistit. Factum autem et doctrina facile constat.

a) *Factum historicum.* Omnia vetera Concilia œcumenica celebrata sunt ad quæstiones fidei exortas finiendas ac definiendas, atque eorum definitiones tanquam doctrina fidei acceptæ sunt, ita quidem, ut fides Ecclesiæ veteris magna ex parte et in rebus principalibus per definitiones Conciliorum constitueretur (consubstantialitas Verbi, unio hypostatica, duæ naturæ in Christo, etc.).

b) Doctrina expressa. Tum Concilia ipsa, tum Romani Pontifices tum ss. Patres expresse profitentur, se tenere fidem a Conciliis definitam atque contrarie sentientes tanquam hæreticos declarant.

Concilium Cpt. II seu V œcumenicum profitetur : « Con-

fitemur fidem tenere et prædicare ab initio donatam... sanctis Apostolis et ab illis in universo mundo prædicatam ; *quam* et ss. Patres confessi sunt et explanaverunt et sanctis ecclesiis tradiderunt, et maxime qui in sanctis quatuor Synodis convenerunt... Omnia quæ a prædictis sanctis quatuor Conciliis pro una eademque fide definita sunt, suscipimus... ; omnia vero quæ, quæ non consonant his, quæ definita sunt ab iisdem quatuor sanctis Conciliis pro recta fide..., aliena pietatis indicantes, condemnamus et anathematizamus[1]. » Eodem modo profitentur Cone. Chalced. (quoad Cone. Nic.), Lateran. (649) (quoad quinque Concilia), Cpt. IV (œc. VIII)[2].

Inter Rom. Pontifices *Gelasius 1* (495) docet : « Quamvis aliud firmamentum nullus possit ponere præter id, quod positum est, qui est Christus Jesus, tamen ad ædificationem... Romana Ecclesia post illas Veteris et Novi Testamenti, quas regulariter recipimus, etiam has suscipi non prohibet scripturas, id est : Sanctam Synodum Nicænam... Ephesinam... Chalcedonensem[3]. » *Gregorius* M. : « Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere et venerari me fateor[4]. » Eodem modo Leo IX (1053) de septem Conciliis[5].

SS. vero *Patres,* sicut toti fuerunt in defendendis ac explicandis definitionibus Conciliorum, ita et fidem in eas expresse profitentur. *S. Ambrosius* (ep. 21, 14) protestatur : « Merito concilium (Ariminense) exhorreo, sequens tractatum Concilii Nicæni, a quo me nec mors nec gladius poterit separare. » *S. Athanasius* (ep. ad Afr., 2) scribit : « Verbum Domini per œcumenicam synodum Nicænam manet in æternum. » S. *Cyrillus* Alex, patres Ephesinos vocat « Spiritu Sancto afflatos, ne a vero discederent » (Ad inonach. Aegypti, Ep. 1).

S. *Thomas* igitur tantum doctrinam antiquitatis refert cum docet, synodos habere potestatem « *interpretandi symbolum a priore synodo conditum* ac ponendi aliqua ad

1. Denz., 212.
2. Denz., 270, 336.
3. Denz., 164.
4. *P. L.,* Lxxvii, 478.
5. Denz., 349.

cius *explanationem*[1] », novam editionem symboli faciendi, non quidem aliam fidem continentem, sed eandem magis expositam[2]. » Immo adhuc novus C. I. C. infallibilitatem Conciliorum universalium hoc modo exprimit quod « sollemne huiusmodi iudicium pronuntiare (= de iis quæ fide divina et catholica sunt credenda) proprium est tum œcumenici Concilii tum Romani Pontificis ex cathedra loquentis » (can. 1323, § 2).

III. Objectiones. — Opponitur ex SS. Patribus auctoritas S. Gregorii Naz. et S. Augustini.

S. *Gregorius Naz.* scribit: « Ego, si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem episcoporum conventum fugiam quoniam nullius concilii finem lætum et faustum vidi... » (Ep. 55, ad Procopium). At Gregorius tantum de conciliis particularibus loquitur, quæ sc. viderat; deinde animus eius nobilis ac tener abhorret a disputationibus acribus et perturbationibus gravibus quæ huiusmodi concilia comitabantur: atque præcise ista ex causa quæstiones maiores ad Concilium universale, quod universali auctoritate polleret, vel ad Rom. Pontificem deferendæ sunt.

S. *Augustinus*[3] docet «episcoporum litteras... per concilia licere reprehendi, si quid in eis forte a veritate deviatum est; et ipsa concilia, quæ per singulas regiones et provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe christiano, sine ullis ambagibus cedere: ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat et cognoscitur quod latebat[4]. » Ouibus tamen verbis S. Doctor minime infallibilitatem Conciliorum universalium negat, sed e contra ipsis auctoritatem definitivam attribuit et ulteriorem explicationem definitionum anteriorum Conciliorum.

S. Augustinus apprime distinguit inter concilia alicuius regionis vel provinciæ et inter concilia « plenaria », « quæ fiunt ex universo orbe christiano », i. e. Concilia œeume-

J. *De Pot.,* q. x, a. 4 ad 13.
i. II, II, q. i, a. 10 ad 2; cf. I, q. xxxvi, a. 2 ad 2.
3. *De Bapt.,* n, 4.
4. Cf. P. Batiffol, *Le catholicisme de S. Augustin,* p. 33-42.

nica. Istorum auctoritati oportet « *sine ullis ambagibus cedere* » ; aliis verbis : eorum auctoritas est definitiva. Cuius auctoritatis rationem S. Augustinus hanc assignat, quod decreta Conciliorum plenariorum sunt « universæ Ecclesiæ statuta[1] », quod in ipsis intervenit « universi orbis auctoritas[2] », « universalis Ecclesiæ consensio[3] », « universæ Ecclesiæ concordissima auctoritas[4][5] », utpote quia agitur de « plenario totius orbis concilio[6] ». Atque ita « homoousion in Concilio Nicæno adversus hæreticos Arianos a catholicis patribus veritatis auctoritate et auctoritatis veritate *firmatum* est[6] ». Neque præter Cone. Nicænum aliud Concilium œcumenicum iam celebratum erat.

Cum Augustinus adiungit : « ipsa plenaria (concilia) sæpe priora a posterioribus emendari », illud « *emendari* » non significat corrigi, sed *explicari, determinari, explanari.* Id quod S. Augustinus ipse metaphora optima explicat : « aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat. » Decreta igitur Conciliorum « plenariorum » definitiva sunt, at Concilium subsequens definitionem Concilii anterioris magis explicat, sensum aperit, quod adhuc latebat cognoscit[7].

IV. De auctoritate conciliorum provincialium, plenariorum et nationalium. — 1. Concilia sive provincialia sive plenaria sive nationalia *non sunt infallibilia.* Patet ex dictis. Inde merito notata est prop. 36. Syllabi : « Nationalis concilii definitio nullam admittit disputationem... » ; similiter merito damnata est prop. 85 Pistoriensium :

1. *De bapt.,* ii, 2.
2. *Ibid.,* v.
3. *Ibid.,* vu, 102.
4. *Ibid.,* n, 5.
5. *Ibid.,* i, 9.
6. Contra Maxim, arian., u, 14, 3.
7. S. Thomas igitur modum loquendi S. Augustini sequitur, cum docet : « Sic enim quaelibet synodus observavit ut sequens synodus aliquid *exponeret* supra id, quod praecedens synodus exposuerat, propter necessitatem alicuius hæresis insurgentis » (I, q xxxvi, a. 2 ad 2), v.l : « Posterior synodus potestatem habet *interpretandi* symbolum a priore synodo conditum ac ponendi aliqua ad eius *explanationem {De Pot.,* q. x, a. 4 ad 13).

« Propositio enuntians... convocationem concilii nationals unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in Ecclesia respectivarum nationum controversiæ spectantes ad religionem ; sic intellecta, ut controversiæ ad fidem et mores spectantes in Ecclesia quacumque subortæ per nationale concilium ireefragabili indicio finiri valeant ; quasi inerrantia in fidei et morum quæstionibus nationali concilio competeret : schismatica, hæretica. »

2. *Decreta doctrinalia* conciliorum provincialium et plenariorum (ex pluribus provinciis), a Sancta Sede approbata, *probabile argumentum* veritatis præbent ; quodsi Romanus Pontifex huiusmodi decreta speciali modo approbaverit vel etiam sua fecerit, decreta vim habent pro gradu approbationis : ita e„ g. decreta concilii Carthaginensis XIV (al. Milevitani) (418) et Arausicani II (529) sollemniter confirmata, concilia Cp. I et II vel ad dignitatem Concilii universalis evecta sunt.

3. *Quoad convocationem et celebrationem* ius habet : « Ordinarii plurium provinciarum ecclesiasticarum in concilium plenarium convenire possunt, *petita* tamen *venia a Bomano Pontifice,* qui suum *Legatum* designat ad Concilium convocandum eique præsidendum » (can. 281) ; atque « in singulis provinciis ecclesiasticis celebretur *provinciale* concilium vicesimo saltem quoque anno » (can. 283).

4. *Quoad tractanda* statutum est : « Patres in concilio plenario vel provinciali congregati studiose inquirant ac decernant quæ ad fidei incrementum, ad moderandos mores, ad corrigendos abusus, ad controversias componendas, ad unam eandemque disciplinam servandam vel indicandam, opportuna fore pro suo cuiusque territorio videantur » (can. 290).

5. Acta ac decreta a Sancta Sede recognoscenda sunt ac promulgata in suo cuiusque territorio obligant (can. 291).

CAPUT VIII

De fontibus doctrinæ Ecclesiæ

Secundum fidem catholicam Christi Ecclesiæ magisterium infallibile circa doctrinam revelatam competit. Etenim « fidei doctrina, quam Deus revelavit, ...*tanquam divinum depositum* Christi sponsæ tradita (est), *fideliter custodienda et infallibiliter declaranda*[1] »; principaliter Petri successoribus a Domino commissum fuit, ut « *fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent*[2] ».

Similiter tamen fides catholica tenet, depositum fidei vel doctrinam revelatam « contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus[3] » vel « in verbo Dei scriptd vel' tradito[4] ». *Duplex* igitur extat *fons* in quo doctrina revelata continetur et e quo Ecclesia doctrinam fidelibus proponendam haurit, nempe S. Scriptura et traditio divina, secundum illud Apostoli Pauli (// *Thess.,* ii, 14) : « Itaque fratres, state et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem sive per epistulam nostram. »

Itaque post tractatum de magisterio infallibili Ecclesiæ, Romani Pontificis et Conciliorum agendum est de fontibus doctrinæ Ecclesiæ, qui necessario simul fontes theologiæ scientific® erunt.

Et *primo* quidem tractandum est de *Sacra Seriplura* quæ ut Scriptura divinitus inspirata indubie primum locum tenet (sect, i) ;

secundo de *tradidione divina* (sectio II).

1. *Conc. Vat.,* Sess. III, c. iv ; Denz., 1800.
2. l. c., Sess. IV, ,c. iv, Denz., 1838.
3. *Conc. Trid.,* Sess. IV ; Denz., 783.
4. *Conc. Val.,* Sess. III, c. m ; Denz., 1792.

SECTIO I

De Sacra Scriptura ut fonte doctrinæ Ecclesiæ

Quantum ad S. Scripturam agemus :

1. *De notione el existenlia Scripturæ Sacræ vel inspiratæ* (art. 52) ;
2. *De natura inspirationis* (art. 56) ;
3. *De canone catholico S. Scripturæ* (art. 57) ;
4. *De veritate Sacræ Scripturæ* (art. 58) ;
5. *De multiplici sensu S. Scripturæ* (art. 59) ;
6. *De veritate et authenlicilate Vulgatæ* (art. 60) ;
7. *De interpretatione S. Scripturæ* (art. 61).

ARTICULUS QUINQUAGESIMUS QUINTUS

De notione et existentiæ Scripturæ Sacræ

I. Notio S. Scripturæ. — Secundum doctrinam catholicam sub nomine Scripturæ Sacræ intelliguntur *libri certi ac determinati qui « Spiritu S. inspirante conscripti Deum habent auctorem atque ut tales ipsi Ecclesiæ traditi sunt; »* Ita Cone. Vatic., sess. III, c. n, Denz., 1787.

Nomen « Scripturæ » et « Scripturæ sacræ » ex ipsa S. Scriptura depromptum est. In N. T. pluribus quidem locis S. Scriptura V. T. sub nomine *legis* (Moysis) et *prophetarum* adducitur, ut Mt., v ii, 12 : « Hæc est lex et prophète » (cf. xi, 13), Lc., xvi, 16, Joa., i, 45 : « Quem scripsit Moyses in lege, et prophète, invenimus lesum »; in multis vero aliis locis Scriptura V. T. sub nomine « *Scripluræ* » vel « *Scripturarum* » refertur, ut e. g. Mt., xxvi, 56 : « Ut adimplerentur Scripturæ » (cf. Mc., xiv, 19 ; XV, 28 ; Lc., iv, 21 ; Joa., x iii, 18 ; xvn, 12 ; *Aci.,* i, 16 ; *I Cor.,* xv, 3, 4, etc.) ; ita quoque Apostoli ad « Scripturam » appellant : « Quid dicit Scriptura ? » *(Horn.,* iv, 3 ; ix, 17 ; x, 8 ; xi, 2 ; *Gal.,* iv, 30 ; *I Tim.,* v, 18 ;

Jac., ii, 8 ; *I Pet.,* n, 6 ; *II Pet.,* h i, 16, etc.). Huiusmodi Scripturæ vocantur sanctæ vel sacræ : Rom., i, ss. : « Evangelium Dei quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis » (cf. *II Tim.,* m, 15).

Cone. Vatie. libros S. Scripturæ « *sacros et canonicos* » vocat : *sacros* quidem quia conscripti sunt Spiritu S. inspirante et Deum habent auctorem et quia verbum Dei continentl, *canonicos* vero, inquantum ut libri divinitus inspirati sunt Ecclesiæ traditi, et quia ab Ecclesia fidelibus tanquam tales proponuntur.

Ex dictis sequitur : a) Omnes libri canonici, i. e. in canonem ecclesiasticum relati, simul habentur inspirati et ut tales Ecclesiæ traditi : Ecclesia enim nullum librum tanquam canonicum accipit et proponit nisi quia est inspiratus et Ecclesiæ traditus, δ) Omnes libri qui vere ac proprie sunt inspirati, simul Ecclesiæ *traditi* esse videntur, saltem *de jacto :* non enim apparet ratio ob quam Deus librum inspiratum, cuius ipse est auctor, Ecclesiæ non tradiderit, sc. tanquam fontem verbi divini ; possibilitas vero absoluta non excluditur, ut sc. Deus aliquem librum *possit* inspirare quin illum Ecclesiæ tradat, c) Aliquis liber inspiratus et Ecclesiæ traditus in canone ecclesiastico deesse potest, utpote deperditus : sufficit enim, omnes libros canonicos esse revera inspiratos et traditos et nullum librum inspiratum ac Ecclesiæ traditum, e canone *positive* excludi (Cf. *I Cor.,* v, 9).

Duplex igitur quæstio de S. Scriptura existit : prima de *existentia et natura inspirationis,* secunda de *canone,* sc. utrum illi libri qui ab Ecclesia tanquam inspirati et canonici tenentur, revera sint inspirati ac Ecclesiæ traditi. Hic primo de existentia et natura inspirationis agemus.

II. Doctrina catholica de existentia inspirationis librorum sacrorum. — Dogma catholicum hoc canone Cone. Vatie, enuntiatur : « Si quis sacræ Scripturæ libros inte-

1. Secundum S. *Thornam* Scripturæ « dicuntur sanctæ : *primo* quidem quia, ut dicitur *II Pei.,* i, 21 : « Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines » et *II Tim.,* m, 16 : «Omnis Scriptura divinitus inspirata... »; *secundo* quia sancta continent... ; *tertio* quia sanctificant... » In Rom., c. I, lect. II.

gros cum omnibus suis partibus, prout illos S. Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit aut eos *divinitus inspiratos* esse negaverit, a. s.[1]. Id quod ab eodem Cone, ita explicatur : « Eos (sc. libros) Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati ; nec ideo dumtaxat quod revelationem sine errore contineant ; sed propterea quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem* atque ut tales ipsi Ecclesiæ traditi sunt[2]. » Similiter a Cone. Vatic. S. Scriptura « verbum Dei scriptum » vocatur[3].

Dogma Cone. Vatie, non est aliud quam expressior declaratio fidei Ecclesiæ temporis antecedentis. Ita *Syn. Trid.* « orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tum Veteris tum Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor..., suscipit[4]. » Similiter *Cone. Flor.* in Decreto pro Iacobitis » unum atque eundem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est Legis et Prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem : quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti Sancti locuti sunt[5] ». Idem enuntiatur in Professione fidei M. Palæologi[6], in professione fidei Waldensibus præscripta[7], in Symbolo fidei Leonis IX[8]. Immo dogma de Scriptura Sacra est unum ex iis quæ ab omni initio in Ecclesia expresse fuerunt proposita.

III. Sententiæ contrariæ. — Primi *Marcionitæ,* Gnostici, a dogmate christiano deviaverunt, docentes Deum quendam inferiorem esse creatorem mundi et auctorem Vet. Testamenti, alium vero Deum eumque supremum esse auctorem Novi Testamenti atque salutis[9]. Adversus huius-

1. Sess. III, c. II ; can. 4 ; Denz., 1809.
2. Sess. III, c. II ; Denz., 1787.
3. Sess. III, c. III ; Denz., 1791.
4. Sess. IV ; Denz., 783.
5. Denz., 706.
6. Denz., 464.
7. Denz. 421.
8. Denz., 343 ; cf. Denz., 28.
9. S. Irenæus, *Adv. Hær.,* I, XXVII, 2 ; Tertull., *Adv. Marcionem,* i, 6, 11, 19: II, 20-26. Cf. Tixeront, *Histoire des doames,* I, 202 s.

modi sententiam veteres profitentur unum eundemque Deum esse auctorem utriusque Testamenti. Eundem tamen errorem etiam *Priscillianistæ* tenuisse videntur[1].

In medio ævo *Waldenses* errorem gnosticorum vel potius Manichæorum repristinaverunt[2].

Protestantes veteres inspirationem divinam S. Scripturæ quidem retinuerunt, attamen plures libros canonicos non iam ut inspiratos admiserunt. Protestantes vero *recentiores* quamplurimi inspirationem divinam bibliæ vel simpliciter negant vel in sensu quodam vago, sive naturali sive monistico, explicant.

Similiter denique *Modernistæ* inspirationem «Jivinam S. Scripturæ vel simpliciter negant vel explicant tanquam impulsum quendam ad communicandum aliis scripto experientiam sensus religiosi[3].

Ita in Decreto « Lamentabili » sequentes damnantur propositiones[4] : *a)* « Nimiam simplicitatem aut ignorantiam præ se ferunt, qui Deum credunt vere esse Scripturæ sacræ auctorem » (prop. 9) ; *b)* « Inspiratio librorum V. T. in eo consistit, quod scriptores israelitæ religiosas doctrinas sub peculiari quodam aspectu, gentibus parum noto aut ignoto, tradiderunt » (prop. 10) ; c) « Exegeta... quamlibet præçonceptam opinionem de supernatural! origine Scripturæ sacræ seponere debet » (prop. 12).

IV. Thesis : Existit Scriptura divinitus inspirata.

Prob. 1. *Ex parte Christi, a)* Christus directe et expresse originem vel inspirationem divinam *Veteris Testamenti* edocet. Etenim Vetus Testamentum, Judæis optime notum, immo tanquam divinitus datum ab iis recognitum, a Christo sub nomine scripturæ vel legis et prophetarum adducitur. lamvero utrumque nomen Vetus testamentum tanquam divinitus datum significat. Nam libri V. T. ex eo simpliciter tanquam « Scriptura » adducuntur quod præter omnes alios libros divinam habent originem : atque sic etiam Judæi verbum Domini necessario intelligebant ;

1. Cf Denz., 28.
2. Cf. Denz., 42.1.
3. Cf. Denz., 2090.
4. Denz., 2009-2012.

similiter per nomen « lex et prophetæ » libri V. T. tanquam divini significantur, i. e. tanquam eiusdem auctoritatis et originis sicut lex a Deo ipso data et sicut effata prophetarum, qui sc. ex Dei inspiratione locuti sunt. Atque talis est modus quo Christus Dominus auctoritatem et originem vel inspirationem divinam librorum V. T. edocet : qui modus loquendi tum conditioni audientium congruus est[1] tum existentiam librorum inspiratorum efficaciter testificatur.

Inde facile sensus effatorum singulorum patet. Multoties Dominus argumentatur : « Scriptum est... » (Mt., ii, 5; iv, 4, 6, 7, 10; xi, 10; χχἰψ 13 ; xxvi, 34; Mc., i, 2; vu, 6 ; ix, 11 ; xi, 17; xii, 19 ; xiv, 21, 27 ; Lc., n, 23 ; m, 4 ; iv, 4, 8, 10, 17 et passim) : quibus verbis dicta librorum V. T., sive legis sive prophetarum, vel tanquam veritas divina vel tanquam praeceptum divinum vel tanquam promissio divina proponuntur adeoque ut originis divinæ. Similiter frequentes sunt loci quibus dicitur : « Ut adimplerentur Scripturæ » « Et adimpleta est scriptura » : quibus verbis effata V. T. iterum tanquam verbum divinum declarantur. — Similiter intelligitur quo sensu Christus Dominus dicat : « Non potest solvi scriptura » (Ioa., x, 34) vel « Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi et prophetis et Psalmis de me » (Lc., xxiv, 44). — Inde denique Christus ad Scripturam tanquam ad testimonium divinum appellat : « Nunquam legistis in Scripturis ? » (Mt., xxi, 42) vel « Nec Scripturam hanc legistis...? » (Mc., xii, 10) vel « Scrutamini Scripturas... » (Ioa., v, 39) vel discipuli « crediderunt Scripturæ et sermoni » (Ioa., ii, 22), i. e. verbo Dei scripto et verbo Dei incarnati orali. Itaque dogma catholicum'quod illos libros tanquam « Scripturam » « verbum Dei scriptum » vel inspiratum, cuius sc. Deus ipse sit auctor, vocat, verba Domini optime reddit.

Origo divina librorum *Novi Testamenti* a Christo tantum indirecte enuntiatur, inquantum sc. Ecclesiæ infallibilitas promittitur : cum enim Ecclesia existentiam librorum inspiratorum teneat, Christus hoc ipsum indirecte edocet.

1. Frey, *La révélalion d'après les conceptions juives au temps de Jésus-Christ,* in *Rev. Bibl.,* 1916, p. 472 ss.

Prob. 2. *ex parte Apostolorum, præsertim S. Pauli.* — Apostoli eodem fere modo ac Christus, licet iam explicatius, divinam originem Scripturæ *Veteris Testamenti* enuntiant. Etenim eodem modo ac Christus libros V. T. allegant. S. Paulus argumentatur ex promissionibus Scripturæ *{Gal.,* m, 16; cf. in, 8). Similiter secundum S. Paulum Deus ‹ Evangelium Dei... promiserat per prophetas in Scripturis sanctis » *{Rom.,* i, 2), Eodem modo loquitur Petrus : « Oportet impleri Scripturam quam prædixit Spiritus Sanctus per os David » *{Act.,* i, 16). Itaque Scriptura secundum Apostolos est vox Dei, Spiritus Sancti adeoque sancta#

lamvero Paulus adhuc** explicatius divinam Scripturæ originem edocet. Apostolus Timotheo, filio mulieris hebræ, scribit : « Tu vero permane in iis quæ didicisti et credita sunt tibi : sciens a quo didiceris. » Paulus igitur Timotheum ad constantiam in fide adhortatur. Adiungit : « Et quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem... ». Scriptura igitur V. T. doctrinam salutis continet, utpote ut verbum Dei. Id quod adhuc sic explicatur : « Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum... » *{II Tim.,* m, 14-16). Secundum textum græcum etiam legi potest : Omnis Scriptura est divinitus inspirata et utilis ad docendum... Vox θεόπνευστο relate ad « Scripturam » idem dicit ac quod a Deo habeat originem, eo modo quo II Petri n, 21 dicitur de « prophetia Scripturæ ». « Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. »

Quantum ad *Novum Testamentum* in ***II Pet.*** de epistulis S. Pauli dicitur : « In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem » (ni, 16). Epistulæ igitur Pauli cæteris Scripturis divinitus inspiratis æquiparantur[1].

Prob. 3. *ex testimoniis veterum.* — Veteres, sicut Christus et Apostoli, S. Scripturam tanquam divinitus datam, tan-

1. Adversarii quidem communiter ep. II Petri ut librum canonicum non admittunt ; at epistula ad minus sententiam veteris Ecclesiæ refert.

quam opus Dei, tanquam verbum ipsius Dei, recognoscunt ac recipiunt.

Clemens Rom. in ep. ad Corinthios (de Scriptura V. T.) scribit : « Inspexistis diligenter scripturas sacras, quæ veræ sunt et datæ per Spiritum Sanctum (δ'.α του πνεύματο του αγίου) » (XLV, 2).

S. Polycarpus ad Philipp, scribit : « Confido vos bene exercitatos esse in sacris literis... His scripturis dictum est : irascimini et nolite, peccare, et, sol non occidat super iracundiam vestram » (xn, 1). Prima pars citationis est ex Ps. iv, 5, altera ex epistula S. Pauli ad Ephesios iv, 26. Illa igitur epistula sicut liber Psalmorum tanquam Scriptura sacra admittitur.

In ep. Barnabæ verba Mt., xx, 16 ; xxn, 14 : « multi vocati, pauci vero electi » inducuntur per « sicut scriptum est ».

Secundum S. Justinum in conventu diei dominicæ « commentarii apostolorum vel scripta prophetarum leguntur[1] ». Evangelia igitur scriptis prophetarum æquiparantur; de prophetis vero paganos monet : « A nullo vero alio divinitus concitari vaticinantes nisi a logo divino, et vos, ut arbitror, dicetis[2] ».

Athenagoras de « Moysi, Isaia, Jeremia et cæteris prophetis « dicit : « Mente et animo extra se rapti, impellente Spiritu Sancto, quæ ipsis inspirabantur ea sunt locuti, utente illis Spiritu Sancto, sicut si tibiam inflet tibicen » : quale dictum non tantum de prophetia ipsa, sed simul de libris prophetarum intelligendum est, utpote de quibus auctor loquitur[3].

S. Irenæus profitetur : « Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictæ[4]. » Eodem sensu dictum Mt. tanquam a Deo dictum adducitur : « Prævidens Spiritus Sanctus depravatores et præmuniens contra fraudulentiam eorum, per Matthæum ait : Christi autem generatio sic erat...[5] »

1. *Apol.,* I, c. Lxvn.
2. l. c., c. xxxm.
3. *Legat, pro Christianis,* ix.
4. *Adu. Hær.,* II, c. xxvm, 2.
5. l. c., III, xvi, 2; cf. Reilly, *L'inspiration dei'Ancien Test, chez S. Irénée,* in *Rev. Bibl.,* 1917, p. 489 ss.

Theophilus Antioch, enuntiat : « Consentaneæ inveniuntur prophetarum et evangeliorum sententiae, propterea quod omnes Dei afflatu Spiritu locuti sunt[1]. »

Pro *Clemente Alex.* Scripturae sacrae sunt « vox Dei, qui Scripturas dedit[2] », nam « os Domini, Spiritus Sanctus ea est elocutus[3] »; similiter pro Origene constat, « in confesso esse apud utrosque (iudaeos sc. et christianos) libros (V. T.) divino spiritu esse scriptos[4] », similiter tamen quod » « Deus... legem et prophetas et evangelia ipse dedit[5][6]».

SS. Patres sequentes uno ore Scripturas sacras vocant « divinitus inspiratas », ut *Cyrillus* Hierosol. (Cat., iv, 33), *Athanasius* (ep. fest, 39), *Basilius* (ep. 42 ad Chii., in); *Chrysostomus* vero eas vocat « Scripturas divinas, a Spiritu Sancto compositas » (hom. 21 in Gen., i).

Patres latini in eo instant quod Deus ipse sit auctor S. Scripturae. Ita secundum Ambrosium hagiographi « divino Spiritu ubertatem dictorum rerumque omnium ministrante, sine ullo molimine coepta compleverunt[7] », « scripserunt enim quæ Spiritus iis loqui dabat[7] ».

Secundum S. *Hieronymum,* quidquid scriptores sacri loquuntur, « Domini sunt verba, et non sua, et quod per os ipsorum dicit, quasi per organum Dominus est locutus[8] »; similiter de universa Scriptura dicit : « Nec parentum nec maiorum error sequendus est, sed auctoritas Scripturarum et Dei docentis imperium[9] ». Secundum s. *Augustinum,* Filius Dei « prius per prophetas, deinde per seipsum, postea per Apostolos. . locutus, etiam Scripturam condidit, quæ canonica nominatur, eminentissimæ auctoritatis[10] »; « itaque cum illi (evangelistæ)scripserint, quæ ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est quod ipse non scripserit ; quan-

1. *Ad Autol.,* III, xn.
2. *Strom.,* n, 2.
3. *Protrept.,* ix.
4. C. Celsum., v, 60.
5. *De prine.,* præf. 4.
6. *Expos. Eoang.* Luc., i, 1.
7. *Ep. VIII ad lustum,* 1.
8. *Tract, de Ps.* 1 x x x v iii.
9. *In lerem.,* ix, 12 ss.
10. *De Civit. Dei,* xi, 3.

doquidem membra eius id operata sunt quæ dictitante capite cognoverunt[1]. »

Gregorius M. notat : « Quis hæc (librum Job) scripserit, valde superflue quæritur, cum tatnen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui scribenda dictavit... Scriptores igitur sacri eloquii impulsu S. Spiritus agitantur[2]. »

Denique non est prætereundum *factum generale* totius antiquitatis, quod sc. textus Novi Testamenti (Evangeliorum et ep. Apostolorum) eodem modo tanquam textus sacri adducuntur sicut textus Veteris Testamenti[3]. Iamvero V. T., ob testimonium indubium ipsius Domini, certo certius tanquam inspiratum agnoscebatur ; unde per consequens similiter Novum Testamentum. Neque obstat error quorundam, qui sc. etiam libros apocryphos tanquam sanctos adducebant.

Prob. 4. *Ex convenientia librorum inspiratorum.* — Libri inspirati quidem necessitate absoluta in Ecclesia necessarii non sunt, cum Deus veritatem revelatam etiam absque illis in Ecclesia illibatam conservare possit ; attamen libri inspirati sunt summæ utilitatis, immo cuiusdam *necessitatis moralis* in Ecclesia. Etenim Deo convenit ut veritatem revelatam Ecclesiæ eo perfectiori modo quo potest, et modo proportionate ad conditionem hominum tradat : nam hoc vel Dei perfectio vel dignitas verbi divini vel etiam suavis Dei providentia postulat. Iamvero Scriptura divinitus inspirata doctrinam revelatam perfectiori quodam modo Ecclesiæ tradit quam sola traditio oralis, atque modo hominum conditioni omnino proportionato. Hominibus enim est quasi naturale, res et doctrinas maioris momenti non tantum oraliter sed etiam in scriptis accipere. Unde omnino conveniens fuit ut etiam *Deus* revelationem suam tum oraliter, sive per prophetas sive per Filium suum incarnatum, tum per modum scripturæ traderet, quæ proinde, tanquam scriptura Dei, esset divinitus inspirata. Denique Scriptura Sacra summæ pro nobis est utilitatis et honoris. Inde Scriptura Sacra iam in V. T., et per consequens multo magis in N. T.

1. *De Consensu evangel.,* i, 35, 54.
2. *Moral.,* l. I, præf. 2.
3. Ita iam in *Didache* et in *ep. Clementis* ad Corinth.

ARTICULUS QUINQUAGESIMUS SEXTUS

De natura inspirationis S. Scripturæ

Ut vim et rationem S. Scripturæ, tanquam fontis divini veritatis revelatæ, vere cognoscamus, necesse est, naturam ac rationem inspirationis S. Scripturæ investigare ac determinare.

I. Prænotamina de natura quæstionis. — Doctrina de inspiratione S. Scripturæ ac de natura ipsius est dogma proprie dictum, sicut alia dogmata, immo mysterium. Unde natura inspirationis S. Scripturæ minime determinari potest a *posteriori* (sicut quidam volunt)[1], sed est determinanda ex principiis fidei revelatis, i. e. ex iis quæ revelatio ipsa et doctrina Ecclesiæ de natura inspirationis edocent : atque huiusmodi doctrina proprie ab Apologeta defendenda suscipitur. Facta vero illa quæ nobis a posteriori innotescunt, sc. ex studio S. Scripturæ et ex comparatione S. Scripturæ cum factis historicis vel aliis, sunt quidem explicanda, at firmis principiis fidei et secundum analogiam fidei.

II. Doctrina catholica. — 1. *Dogma* catholicum de natura inspirationis his duobus continetur : Deus est auctor S. Scripturæ, et quidem per inspirationem hagiographorum. Id quod Gone. Vatic, his verbis definivit : « Eos vero (sc. libros V. etN. T.) Ecclesia pro sacris et canonicis habet non ideo quod sola humana industria concinnati sua deinde auctoritate sint approbati : nec ideo dumtaxat quod revelationem sine errore contineant ; sed propterea quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem* atque ut tales ipsi Ecclesiæ traditi sunt « (Sess. III, c. n, Denz., 1787). Similiter in can. 4 definitur, libros canonicos « divinitus inspiratos esse » (Denz., 1809). Quæ definitio Vaticana

1. Cf. J. Jacome, O. P., *De natura inspirationis,* p. 35-38.

.tantum confirmatio'est definitionis Conc. Trident., dicentis quod « utriusque testamenti Deus sit auctor » (Sess. IV, Denz. 783). Idem iam Conc. Florent, in decreto pro Iacobitis statuerat profitendo « unum atque eundem Deum V. et N. T. auctorem, quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti Sancti locuti sunt » (Denz., 706).

2. Huiusmodi dogma per *doctrinam catholicam* sic explicatur, quod *Deus sit auctor principalis, hagiographus vero auctor instruméntalis S. Scripturæ,* ut dicit S. Thomas : « Auctor principalis Sacræ Scripturæ est Spiritus sanctus ; homo autem est auctor instruméntalis[1]. »

3. *Definitur* autem *inspiratio* tanquam actio Dei qua « supernatural! ipse virtute ita eos (sc. auctores sacros) ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quæ ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent », ita ut « ipse esset auctor sacræ Scripturæ[2] ».

III. Sententiæ contrariæ. — 1. Universitates Lovaniensis et Duacensis (1598) damnarunt sententiam, Lessio et Hamelio (Duhamel) attributam : « Liber aliquis (qualis forte est secundus Machabæorum) humana industria sine assistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur nihil ibi esse falsum, efficitur Scriptura Sacra » *{approbatio subsequens)*[3].

Similem sententiam D. *Haneberg* proposuisse videtur (quam tamen postea reliquit), sc. librum sola industria

1. *Quodl.,* vu, a. 14 ad 5 ; cf. In Ps. xliv, 2.

2. Leo XIII in Encycl. *Providentissimus Deus ;* Denz., 1952.

3. Lessius sententiam sibi attributam tanquam suam non agnovit atque hanc formulam proposuit : « Si aliquod opus pium et salutare, humana industria *ex divino instincto* compositum, publico testimonio Spiritus Sancti approbaretur tanquam in omnibus suis partibus verissimum, tale opus habiturum auctoritatem æque infallibilem atque Sacra Scriptura, et recte Scripturam Sacram et verbum Dei appellatum iri. »

Attamen secundum utramque formulam talis liber nec esset inspiratus nec Deus eius esset auctor adeoque minime « Spiritu Sancto inspirante conscriptus Deum haberet auctorem ».

humana compositum fieri *posse* S. Scripturam si postea *ab Ecclesia* approbetur et in canonem referatur.

3. I. *Jahn* (1814) inspirationem ad *solam assistentiam* divinam reduxit qua suffulti auctores sacri omnem errorem caverint. « Assistentia hæc, ait, nil inspirat aut docet quod est revelationis, sed solummodo errores præcavet » (« inspiratio mere negativa »).

4. Jac. *Bonfrère* pro libris propheticis « inspirationem antecedentem » admisit ; pro aliis vero libris in quibus nil arcani contineretur, « inspirationem concomitantem » edocuit, ad eum sc. modum, quo quis alterum scribentem oculo dirigeret ne in in ullo erraret ; supposuit tamen inspirationem quandam generalem, sc. ad scribendum talem librum, atque putavit, id sufficere quoad scribendas res historicas, etc., aliunde cognitas.

IV. Theses. — Deum esse auctorem S. Scripturæ et quidem per modum inspirationis est ipsum dogma inspirationis S. Scripturæ, prout art. præc. probatum est. Huiusmodi vero dogma optime per doctrinam catholicam explicatur, ut per partes ostendemus[1] III,

Thesis I. Dogma inspirationis optime explicatur per hoc quod Deus ponitur causa principalis, auctor vero sacer causa instrumentalis S. Scripturæ.

Prob. 1. *Ex ipso dogmate.* Secundum dogma catholicum Deus est auctor verus S. Scripturæ, ita ut illa sit verbum Dei ; ex altera vero parte est ab omnibus concessum, et

1. I. Jacome, O. P., *Dissertatio de natura inspirationis S. Scripturae,* Vindobonae, 1919, prius pubi, in *Divus Thomas,* II, 308-35 4; III, 190-221; IV, 45-80; 322-346; Th. Pègues, O. P., in *Rev. Thom.,* 1885, p. 95 ss. ; P. Lagrange, O. P., in *Rev. Biblique,* 1896, 198 ss. ; 496 ss. ; Zanechia, O. P., *Divina inspiratio S. Scripturæ ;* E. Hugon, O. P., *La causalité instrumentale,* p. 34 ss. ; H. Pope, O. P., *The scholastic view of biblical inspiration,* Romæ, 1912 ; Ch. Pesch, *De inspiratione* S. S., 1906; R. Schultes, *Die Lehre des ht. Thomas über das Wesen der biblischen Inspiration,* in *Jahrbuch für Philosophie und spekulative Théologie,* 1902, 80-95. — Cf. praeterea libros apologeticos, ut præsertim C. Schæzler, *Introductio,* 79-104 ; De Groot, *De Ecclesia,* q. xvn, a. 3, etc. ; Franzelin, *De divina trad, et Scriptura3,* 1882.

quidem quam maxime ab Ecclesia ipsa, et auctores sacros vere esse, auctores librorum sacrorum.

Atqui hae duo optime componuntur per distinctionem inter Deum ut auctorem principalem et auctores humanos tanquam auctores instrumentales. Ergo.

Maior probatione vix indiget. Nam prima pars est dogma ipsum ; altera vero pars facile patet. Nullus enim negat, saltem hodie, hagiographos esse veros auctores librorum,, ut S. Paulum epistularum suarum ; similiter S. Scriptura pluribus in locis id aperte insinuat (cf. Lc., i, 1-4 ; *II* Mach. xv, 39, etc.) ; modus loquendi hagiographorum consentit ac denique character scriptorum singulorum optime inde explicatur. Quodsi quidam S. Patres docent, auctores sacros scripsisse Deo dictante, vel metaphora utuntur vel inspirationem et originem divinam S. Scripturæ enuntiant.

Similiter *minor* facile patet. Distinctio enim inter auctorem principalem et instrumentalem optime ac sola explicat quomodo Deus et homo *simul* sit auctor S. Scripturæ.

Prob. 2. *Ex ipsa distinctione inter causam principalem et instrumentalem.* — Secundum Doctorem Angelicum qui primus doctrinam de causa instrumentali magis determinavit, causa principalis in hoc distinguitur a causa instrumentali quod « principalis quidem operatur per virtutem suæ formæ..., causa vero instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum quo movetur a principali agente[1] », ita tamen ut « causa instrumentalis non participat actionem causæ principalis nisi inquantum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis[2] » vel « nisi exercendo propriam operationem[3]. »

Atqui per hoc optime explicatur quomodo Deus et homo sit auctor libri ab homine conscripti.

Explicatur argumentum. 1. Distinctio inter causam principalem et instrumentalem est distinctio causæ efficientis

1. III, q. lxii, a. 1.
2. I, q. xlv, a. 5.
3. III, q. lxii, a. 1 ad 2.

vel producentis aliquem effectum. Distinctio igitur non est ex parte effectus : nam utraque causa, principalis sc. et instrumentalis, eundem ac totum effectum producit, sicut epistula tota ac eadem a homine et a penna scribitur, ab illo ut causa principali, per pennam tanquam per causam instrumentalem. Id quod S. Thomas expresse docet his verbis : « Idem effectus totus attribuitur instrumento et principali agenti item totus[1]. »

2. Distinctio igitur proprie et vere est *ex parte virtutis* qua agens principale et instrumentale hunc effectum producit. Causa enim principalis effectum producit per *virtutem suæ formæ,* i. e. per virtutem sibi propriam, consequentem ad naturam propriam ; causa vero instrumentalis eundem effectum quidem producit, sed *virtute sibi communicata,* sic-ut penna vel machina scribendi literas format virtute sibi communicata a manu scribentis et secundum directionem sibi communicatam. Unde S. Thomas docet quod instrumentum (sc. ut tale) operatur (i. e. effectum producit) per motum quo movetur a principali agente.

3. Effectus de quo in quæstione nostra agitur, est liber sacer, verbum divinum, cuius Deus asseritur esse auctor. Huiusmodi liber conscribitur quidem ab auctore humano et quidem totus, tamen per motum quo auctor humanus a Deo movetur, sc. ad scribendum omnia ea eaque sola, quæ Deus intendit ut scribantur. Inde Deus simul cum auctore humano est auctor illius libri, et quidem principalis.

4. Adiungit tamen S. Thomas quod causa instrumentalis non participat actionem principalis agentis, « nisi inquantum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis ». Ratio est : res quæ ad effectum producendum non cooperaretur « secundum propriam operationem », non esset instrumentum, sed forsitan receptiva tantum operationis alterius agentis; unde S. Thomas argumentatur : « Si enim nihil ageret secundum id quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum[2] » nec

1. *De malo,* q. m, a. 2. — Errant igitur a limine illi, qui partem effectus causæ principali, partem vero causæ instrumentali assignant.

2. I, q. x l v, a. 5.

esset ratio cur una res præ alia tanquam instrumentum eligeretur.

5. Itaque « instrumentum habet duas actiones : unam instrumentaient, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis ; aliam secundum propriam formam : sicut securi competit scindere secundum rationem suæ acuitatis, facere autem lectum, inquantum est instrumentum artis : non autem perficit instrumentaient actionem, nisi exercendo actionem propriam : scindendo enim facit lectum[1] ».

6. *In hagiographis* igitur *duplex actio* distinguenda est : una quæ ipsis secundum propriam virtutem competit, se. ut auctoribus humanis librorum, ad modum quo alii homines sunt auctores librorum : alia quæ competit ipsis ut instrumentis Dei moventis. Atque auctores sacri motionem divinam participant inquantum actionem propriam exercent. Aliis verbis : Deus actione propria hagiographi utitur ad conscribendum librum, quem vult ut conscribatur et cuius ipse proinde est auctor. Huiusmodi actio propria hagiographi comprehendit omnia quæ auctor humanus in libro conscribendo actualiter facit, ut usus scientiæ, linguæ, memoriæ, industriæ, laboris etc. Tamen auctor humanus, licet in libro conscribendo sicut alii auctores humani agat, non tantum librum humanum conficit, sed librum divinum, inquantum sc. ut instrumentum Dei, ut a Deo motus, librum conficit ; vel inquantum Deus operatione et labore proprio auctoris humani utitur ad conficiendum librum a se intentum.

Inde denique facile apparet quod Deus sit vere et proprie auctor libri sacri ; simul tamen apparet quod etiam auctor humanus sit vere auctor libri.

7. Itaque distinctio inter causam principalem et instrumentalem optime, quantum fieri potest, dogma catholicum explicat ac simul facta historica explicat. Facile enim inde character specificus diversorum librorum secundum diversitatem auctorum apparet. Diximus tamen : quantum Heri potest. Licet enim distinctio inter causam principalem et instrumentalem, generaliter accepta et ut in rebus

1. III, q. 1 x ii, a. 1 ad 2.

Immanis apparet, facile intelligatur, tamen in libris sacris conficiendis magnas præbet difficultates[1].

a) Causalitas enim principalis et instrumentalis non univoco sed analogo tantum modo inter'causas creatas et inter Deum et creaturam, et maxime in inspiratione S. Scripturae, reperitur. Commune quidem est quod causa principalis virtute propria, instrumentum vero virtute sibi communicata, licet mediante actione propriq, agat. Maximae tamen sunt differentiae. Nam alio modo Deus virtute vel actione propria instrumenti creati utitur, alio modo causa creata : Deus enim virtuti ac actioni rerum creatarum atque ipsorum hominum plene et perfecte dominatur ac proinde ad libitum, servata omnino actione propria, immo libertate hominis, illa ad effectum intentum producendum uti valet : modo ut ita dicam maiestatico, certo divino[2].

b) In inspiratione divina instrumentum est proprie homo rationalis, ut homo rationalis, i. e. ut agens ex deliberatione ac libera voluntate : ac ut talis solius Dei instrumentum esse potest. Homo enim altero homine uti potest quidem ut instrumento morali, sicut dominus utitur servo, non vero ut instrumento efficienti vel physico, cum nullus homo efficienter vel physice intellectu vel voluntate alterius uti possit, licet valeat uti viribus physicis alterius hominis. Unde in rerum natura invenitur quidem usus instrumenti quoad virtutem eius physicam, non vero usus instrumenti quoad operationem proprie et formaliter humanam et liberam : ac inde magna difficultas in explicando influxu Dei in auctorem inspiratum, sc. propter defectum analogiae.

c) Denique influxus Dei in auctorem inspiratum est proprie et formaliter supernaturalis : est enim super exigentiam naturae, elevat hominem super vires suas naturales ac denique ipsum capacem reddit ad opus supernaturale

1. Idem dicendum est quantum ad explicandam causalitatem efficientem (physicam) et instrumentalem sacramentorum.

2. Etiam homo, ut causa rationalis, modo perfectiori quam causæ irrationales aliis causis tanquam instrumentis utitur.

perficiendum, i. e. ad conscribendum librum quod est vere verbum divinum et opus Dei. Ob has rationes inspiratio est veritas proprie supernaturalis ac proprie *mysterium* : quod quidem aliquo modo explicari, non vero comprehendi potest.

Distinctio tamen inter Deum ut auctorem principalem et hominem ut auctorem instrumentalem sub alia ratione adhuc magis» declaratur, inquantum sc. Deus dicitur esse auctor principalis per modum *inspirantis.*

Thesis II : Dogma de S. Scriptura optime explicatur per hoc quod Deus dicitur esse auctor S. Scripturæ per modum inspirantis, vel quod libri sancti » Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem » (Cone. Vatie.). — Hæc thesis ex ipsa notione inspirationis sequitur.

1. Omnis auctor alicuius libri, scribendo, cognitionem suam aliis manifestat, secundum diversos modos quibus id fieri potest. Cum igitur Deus sit auctor S. Scripturæ, hæc necessario, scientiam divinam nobis manifestat ac continet, i. e. ea quæ in S. Scriptura continentur, enuntiantur ut cognita non tantum ab auctore humano, sed simul ut ‹ognita ab ipso Deo et ut nobis proposita ab ipso Deo.

Inde simul Sacra Scriptuxi secundum rei veritatem est verbum Dei et doctrina S. Scripturæ obiectum fidei. Atque hae ratione S. Thomas docet : « Formale obiectum fidei est *veritas prima* (= veritas quam doctrinæ revelatæ in cognitione divina habent), *secundum quod manifestatur in Scripturis Sacris* et doctrina Ecclesiæ quæ procedit ex veritate prima » ; et similiter : ‹‹(Fides) inhæret sicut infallibili et divinæ regulæ, *doctrinæ Ecclesiæ,* quæ *procedit ex veritate prima iri. Scripturis Sacris manifestata*l ».

2. lamvero S. Scriptura (vel ea quæ in ea continentur) mediantibus auctoribus humanis nobis proponitur. Ut igitur S. Scriptura revera veritatem divinam contineat et enuntiet, necessarium est ut Deus scientiam suam de rebus scribendis auctori humano aliquo modo *communicet* : secus

1. II, II, q. v, a. 3 ; cf. Schultes, *De obiecto fidei in Divus Thomas* (Piacenza), 1924, p. 38-65.

enim auctor sacer cognitionem quidem suam in libro exponeret, non vero cognitionem divinam vel verbum Dei[1].

3. Communicatio vero cognitionis divinæ fieri nequit quin *mens auctoris sacri illuminetur,* ut sc. omnia quæ Deus in S. Scriptura manifestare intendit, mente recte concipiat.

Ad quod « requiritur quoddam lumen intellectuale excedens lumen naturalis rationis[2] »; i. e. mens auctoris sacri lumine et virtute divina supernaturaliter illuminari oportet ut accrescat ipsi virtus quædam intellectiva supernaturalis qua ad cognitionem divinam capiendam elevetur. Cognitio enim divina excedit capacitatem et modum cognitionis humanæ nec ab auctore sacro participari potest quin ipsi simul lumen vel virtus intellectualis proportionata adeoque supernaturalis a Deo communicetur. Atque hæc communicatio cognitionis divinæ proprie *inspiratio* vocatur. Quodsi hæc inspiratio active accipiatur, est actio Dei supernaturalis qua mentem hagiographi illuminat ; quodsi passive accipiatur, est illuminatio ipsa in mente auctoris sacri recepta et existens.

4. Huiusmodi illuminatio, inspiratio vel lumen intellectuale supernaturale auctori sacro communicatur vel inest, non quidem per modum formæ permanentis (sicut e. g. habitus fidei), sed *per modum transeuntis,* « per modum cuiusdam passionis sive impressionis transeuntis[3] ». Auctor enim sacer in cognitione divina participat tantum quantum a Deo illuminatur hic et nunc, sicut lumen est in aëre. Id quod apparet ex eo quod auctor sacer, inspiratus ad unum librum conscribendum, in aliis scribendis non est inspiratus, sed quando et quantum Deus dederit. S. Thomas id sic explicat : « Huius ratio est, quia lumen intellectuale in aliquo existens per modum formæ permanentis et perfectæ, perficit intellectum principaliter ad cognoscendum principium illorum quæ per illud lumen manifestantur » sicut intellectus noster principaliter principia cognitionis hu-

1. S. Thomas hanc communicationem divinam nomine genetico prophetiæ complectitur : « omnis supernaturalis influxus ad prophetiam reducitur » *(De Verit.,* q. xn, a. 3), sub qua tamen inspiratio et maxime inspiratio biblica continetur.

2. II, II, q. clxxi, a. 2.

3. II, II, q. clxxi, a. 2.

manæ intelligit. « Principium autem eorum quæ ad supernaturalem cognitionem pertinent, quæ per prophetiam (et inspirationem) manifestantur, est ipse Deus, qui per essentiam a prophetis (et ah hagiographis) non videtur... Relinquitur ergo quod lumen propheticum (vel inspiratio) insit animæ prophetæ (et auctoris sacri) per modum cuiusdam passionis vel impressionis transeuntis » (1. c.)1.

5. Per divinam illuminationem vel inspirationem auctor sacer omnia illa, ad quæ scribenda movetur, *sub ratione altiori cognoscit :* ea quidem, quæ sibi forsitan divinitus revelantur, sub ratione revelationis divinæ cognoscit ; ea vero, quæ auctor sacer iam aliunde humanitus cognoverat, sub lumine inspirationis altius et certius cognoscit, prout sc. sunt veritates a Deo cognitæ et hominibus in S. Scriptura communicandæ, utpote ut verbum Dei2.

Non tamen ad inspirationem requiritur ut auctor sacer inspiratus simul cognoscat, se esse inspiratum3, neque sequitur, auctorem inspiratum cognoscere omnia quæ Deus per ipsum significare intendit4.

6. Quantum *ad modum* quo auctor inspiratus scribenda cognoscat, cum S. Thoma distinguendum est inter *acceptionem* rei et *iudicium* d« re5. *Acceptio* vel repraesentatio rei et sententiæ scribendæ potest esse vel naturalis vel supernaturalis. Hagiographus enim quandoque scribit de rebus quarum notitiam ab aliis hominibus acceperat vel cursu naturali apprehenderat, ut patet in libris historicis et quoad multas alias res in S. Scriptura enuntiatas ; quandoque vero acceptio est per revelationem divinam, ut si propheta ea quæ sibi revelata fuerant, in libro conscribit.

Iudicium vero de rebus conscribendis in libro inspirato

1. Inspiratio (passiva) vocatur *'passio,* inquantum auctor sacer huiusmodi illuminationem a Deo recipit, ut sibi datam recipit sub influxu Dei patitur ; vocatur « impressio quædam » inquantum Deus cognitionem divinam hagiographo communicatam in mente ipsius efiicit et quodammodo imprimit sicut vel nos dicimur ideam quandam menti alterius infigere vel imprimere. Caveas tamen ne « impressionem » mechanice intelligas.

2. II II, q. c l x x i, a. 3, 4.

3. II, II, q. c l x x i, a. 5.

4. II, II, q. c l x x iii, a. 4.

5. II, II, q. c l x x iii, a. 2.

necessario erit supernaturale, secundum lumen intelligibile divinitus acceptum. Quoad hoc s. Thomas (de propheta) docet : « Lumen intelligibile quandoque quidem imprimitur menti humanæ divinitus ad diiudicandum ea quæ ab aliis visa sunt... sive etiam ad diiudicandum secundum divinam veritatem ea quæ cursu naturali homo apprehendit, sive etiam ad diiudicandum veraciter et efficaciter ea quæ agenda sunt[1]. »

Tamen etiam huiusmodi iudicium secundum lumen inspiratum fit mediantibus phantasmatibus et speciebus intellectualibus. Unde in auctore inspirato simul influxus divinus in phantasmata ponendus est. Quando agitur de conscribendis rebus naturaliter cognitis vel cognoscibilibus, ad iudicium secundum lumen divinum efformandum quædam illuminationova phantasmatum sufficit[2].

Si auctor sacer rem conscribendam per revelationem accipit, tunc secundum S. Thomam[3] quandoque etiam novæ species intelligibiles divinitus imprimuntur[4].

7. Præter illuminationem divinam qua auctor sacer divinitus cognoscit quid sit scribendum et simul ab omni errore præservatur, insuper *molio voluntatis ad scribendum* requiritur, ut sc. liber proprie et vere sit Dei tanquam auctoris : sola enim illuminatio hagiographi id tantum efficeret ut liber veritatem divinam et divinitus acceptam contineret — id quod non sufficit ad hoc quod Deus *auctor libri* dicatur et sit. Movetur igitur auctor sacer a Deo ut conscribat omnia ea quæ Deus vult et ea sola quæ Deus

1. II, II q. c l x x Iii a. 2.
2. II, II, q. CLxxiii, a. 2 ad 3.
3. 'II, II, q. c l x x Iii, a. 2 ; *De Verit.,* q. xn, a. 7.
4. Unde S. Thomas duplicem viam illuminationis divinæ in prophetia distinguit, unam incipiendo a phantasmatibus, aliam a speciebus intellectualibus. Prima via vel phantasmata *iam acquisita* novam illuminationem accipiunt (vel etiam novam ordinationem) vel *nova* phantasmata producuntur, ut intellectus auxilio luminis supernaturalis in illis et per illa species intelligibiles abstrahat atque veritatem divinam cognoscat ; alia via divinitus novæ species ipfunduntur et intellectus secundum huiusmodi species infusas phantasmata aliunde acquisita illuminat vel etiam novo modo ordinat ut sint apta ad cognitionem divinitus datam efformanadam. Hæc duplex via etiam in inspiratione explicanda applicari potest. — II, II, q. c l x x iii, a. 2.

vult et secundum illuminationem a Deo acceptam. Huiusmodi motio voluntatis, sicut de reliquo etiam illuminatio intellectus, optime per doctrinam de præmotione divina explicatur et simul cum libertate et cooperatione propria hagiographi componitur.

8. Denique in inspiratione ponendus est influxus divinus specialis in *facultates* executives hagiographi, *quæ sc. expressioni vel scripturæ doctrinæ inspiraiæ inserviunt.* Huiusmodi enim influxus Dei praeter illuminationem intellectus et motionem voluntatis agnoscendus esse videtur, ut auctor sacer res et sententias inspiratas eo modo exprimat quo Deus illas conscribendas intendit.

Deus quidem auctore sacro tanquam instrumento rationali et libero utitur adeoque secundum conditiones operationis humanæ. Ad hominem vero pertinet, ut facultates operativæ et executives secundum imperium rationis per voluntatem moveantur. Unde Deus etiam in inspiratione facultates executivas mediante quidem intellectu et voluntate movet ac sic quodammodo indirecte.

Attamen auctor humanus, etiam supposita cognitione vera mentis et bona dispositione voluntatis, in exprimendis cognitis et intentis errare potest. Ad evitandum igitur errorem et ne intentio Dei frustretur et ut hagiographus sententiam « apte infallibili veritate exprimat » (Leo XIII), specialis Dei influxus in facultates executivas necessario ponendus est.

Thesis III : Optime inspiratio a Leone XIII definitur tanquam actio Dei qua supernaturali ipse virtute ita hagiographos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quæ ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent : secus non ipse esset auctor sacræ Scripturæ. »

Ouæ definitio facile ex dictis sequitur et explicatur.

1. Inspiratio est « *actio Dei* », sc. ut auctoris principalis in instrumentum, ut inspirantis, i. e. illuminantis, movenlis, assistentis.

2. Inspiratio est « *aclio supernaluralis* », inquantum Deus agit ut auctor supernaturalis, « virtute supernaturali »,

i. e. præter exigentiam naturæ humanæ, effectum supernaturalem et gratuitum inducendo.

3. *Sublectum* recipiens influxum Dei sunt hagiographi, i. e. auctores humani librorum sacrorum.

4. Actio quæ in illos exercetur, est *illuminatio, motio ad scribendum el assistentia* in scribendo.

5. *Effectus* influxus divini in hagiographos est triplex : a) hagiographi omnia ea eaque sola quæ Deus conscribenda iubet, « *mente recte concipiunt* » (illuminatio) ;

b) Hagiographi habent *voluntatem* efficacem ea omnia eaque sola fideliter *conscribendi* quæ Deus conscribi vult (motio efficax ac determinata voluntatis) ;

c) hagiographi cum auxilio divino omnia *apte infallibili veritate exprimunt* (assistentia divina).

6. Inde Sacra Scriptura est revera *opus Dei* et Deus auctor ipsius. Quam ob rem in definitione adiungitur : « Secus non esset ipse auctor S. Scripturæ.

Secundum vero sententias contrarias, supra expositas, Deus minime esset vere auctor S. Scripturæ. Nam approbatio divina subsequens efficit quidem ut liber habeat auctoritatem divinam, non vero ut sit a Deo conscriptus ; multo minus approbatio Ecclesiæ id efficit ; sola assistentia auctores sacros quidem ab errore præcavet, sed nec ipsos inspiratos efficit nec librum ut opus Dei constituit ; neque denique excitatio quædam generalis ad intentum sufficit.

V. Corollaria. — 1. Ex dictis patet *distinctio inter inspirationem et revelationem el infallibilitatem per assistenliam divinam.* Revelatio (proprie accepta) manifestationem rei non cognitæ importat — id quod in inspiratione non est necessarium —- nec necessario motionem ad scribendum adiunctam habet ; infallibilitas tantum errorem excludit, quin Deus sit auctor principalis et quin motio ad scribendum sit adiuncta ; inspiratio vero una ex parte quidem revelationem non necessario exigit, altera ex parte tamen non coarctatur ad solam assistentiam, sed insuper importat motionem ad ea scribenda quæ Deus scribenda vult.

Corot. 2. *Inspiratio non tantum partem formalem, sed simul partem materialem librorum sacrorum respicit.* — Plurimi quidem auctores distinguunt inter partem formalem librorum sacrorum, i. e. res et sententias, et inter partem mate-

rialem, i. e. verba quibus illæ exprimuntur : atque inspirationem ad partem formalem restringunt. Immerito autem. Nam a) si inspiratio ad res et sententias restringitur, Deus esset quidem *auctor* sententiarum, non vero auctor *libri sacri;* liber enim non tantum res et sententias enuntiatas significat sed simul verba quibus liber componitur — unde posset quis alteri res et sententias suggerere quin librum conscribat vel eius auctor proprie dicatur, ut multoties accidit.

b) Si inspiratio ad res et sententias restringitur, doctrinæ quidem S. Scripturæ verbum divinum dici possent, S. Scriptura autem non esset proprie verbum divinum.

c) Denique sententia est contra definitionem leonianam, secundum quam in inspiratione Deus hagiographos « ita *ad scribendum* excitavit et movit, ita *scribentibus* adstitit, ut ea omnia eaque sola quæ ipse iuberet... fideliter *conscribere* vellent et apte... *exprimerent* » : quæ cuncta non tantum partem formalem, sed simul partem materialem respiciunt.

Corot. 3. *Probabilius admittenda videtur inspiratio verbalis.* Duplex quidem inspiratio verbalis distinguitur : prima ita intelligitur ut Deus singula verba dictaverit, ita ut auctor sacer in libris conscribendis mere passive se habuerit, sicut discipulus audiens et conscribens lectionem magistri dictantis : huiusmodi inspiratio verbalis merito reficitur, utpote contraria notioni catholicæ inspirationis.

Altera inspiratio verbalis ita intelligitur ut influxus Dei se extendat etiam ad verba, quibus liber componitur et quibus auctor sacer utitur ad conceptus exprimendos, ita tamen ut auctor sacer ipse verba eorumque constructiones eligat atque componat et, quantum est ad ipsum, ad modum aliorum auctorum librorum, licet hæc actio propria hagiographi per respectum ad Deum fiat actio instrumentalis. Huiusmodi inspiratio admittenda videtur.

Prob. a) Hæc inspiratio verbalis sequitur ex principio quod Deus sit auctor principalis, hagiographus vero auctor instrumentalis tantum librorum sacrorum. Ex hoc enim principio necessario sequitur, auctorem sacrum librum quidem componere per actionem propriam (sicut alios auctores librorum), tamen huiusmodi actionem pro-

priam a Deo applicari ad librum a se intentum conscribendum : iamvero in hoc proprie inspiratio verbalis consistit.

b) Sententia opposita (quæ sc. inspirationem tantum realem admittit atque verbalem excludit) necessario doctrinam mox refutatam supponit, inspirationem ad partem formalem librorum restringi. E contra argumenta quæ ibi attulimus, simul inspirationem verbalem positive insinuant, utpote quæ verbis Cone. Vatie, et definitioni leonianæ inspirationis magis est consona.

c) « Melius respondet intellectui traditional! ; etsi enim S. Patres quæstionem hanc ex professo non tractaverint, plurima eorum effata eiusmodi sunt ut in theoria solius inspirationis realis vix sustineantur[1] ».

d) Sententia inspirationis verbalis optime explicat omnia facta scripturistica, ut laborem proprium hagiographorum, diversitatem styli, defectus literacies, modum referendi facta et sententias et alia huiusmodi — sequuntur enim ex actione propria auctoris sacri quæ non minuitur ex hoc quod Deus eam tanquam actionem instrumentalem assumit.

e) Denique adversarii inspirationis verbalis tandem explicent quomodo Deus sit auctor *librorum* sacrorum, quomodo in res et sententias rite et infallibili veritate *exprimendas,* utique, per terminos, influat quin positive in verborum delectum influat, quin actione propria literaria hagiographi tanquam instrumento utatur[2].

1. Van Noort, *De font, revelat.,* p. 48.

2. Rationes propriæ et veræ negationis inspirationis verbalis videntur esse sequentes : *a)* studium reiiciendi conceptum protestanticum inspirationis verbalis ; *b)* difficultas concipiendi causalitatem instrumentalem ; c) conceptus erroneus causalitatis principalis et instrumentalis, ut e. g. quod causa principalis unam partem effectus, causa vero instrumentalis aliam partem eiusdem producat. — Alia quædam argumenta refutat Van Noort, l. c., p. 48.

ARTICULUS QUINQUAGESIMUS SEPTIMUS

De Canone catholico S. Scripturæ

I. Soluta quæstione de existentia et de natura inspirationis, quærendum est quinam sint illi libri inspirati in concreto et in particulari, sc. quinam libri Testamentum Vetus et Novum constituant. Quæstio quidem quam maxime scientiam exegeticam respicit, tamen simul apologeticam ; et quide duplici ex causa : primo quidem, quia dogma catholicum de libris inspiratis existit, cuius proinde fundamenta ostendenda sunt ; secundo, quia doctrina catholica maxime ex huiusmodi libris inspiratis sumitur. Quæstio igitur proprie est de canone S. Scripturæ.

II. Notio canonis. — Canon[1] generaliter duplici sensu accipitur : primo significat *regulam* vel mensuram, sqcundo *catalogum* vel elenchum (librorum). *Canon S. Scripturæ* igitur significat tum illos *libros* qui in Ecclesia tanquam inspirati recipiebantur et publice legebantur, utpote ut regula fidei[2], tum *catalogum* librorum qui tanquam inspirati sunt in Ecclesia recepti. Eodem modo huiusmodi librii *canonici* vocantur. Ut patet, utraque significatio practice in idem redit.

Libris canonicis opponuntur libri *apocryphi* qui sc. in Ecclesia legi non permittebantur, utpote ab Ecclesia tanquam inspirati non recepti ; non raro tamen nomen « apocryphus » idem dicit ac librum pseudepigraphum vel hæreticum[3].

Libri canonici post Sixtum Senensem O. P. distinguuntur in proto-canonicos et deutero-canonicos. *Protocanonici* sunt illi, de quorum origine divina *in Ecclesia* nunquam positive

1. κανών : arundo, calamus, virga.

2. S. Isidorus de Pelusio, Ep. CXLIV.

3. Cf. *Diet, de théol. cath.*, verbum : Apocryphes. Apud protestanticos libri « apocryphi «idem sonant ac libri deuterocanonicL V. T.

dubitatum est (nisi forte ex parte quorundam scriptorum) ; *deutero-canonici* dicuntur illi, quorum inspiratio aliquando vel in ipsa Ecclesia, i. e. ex parte quarundam ecclesiarum particularium, positive dubitata vel etiam negata fuit, quin tamen Ecclesia universalis illos aliquando positive a canone excluserit[1].

III. Canon catholicus librorum inspiratorum sollemniter definitus est a Cone. Trident., Sess. IV (Cf. Denz., 784) et sollemniter confirmatus a Gone. Vatic. (Sess., III, c. n; Denz. 1787) ; qui proinde libri in editionibus catholicis S. Scripturæ continentur, quos ut notos supponimus.

Prolestantes recentiores quantum ad V. T. omnes (lutherani, calviniste et anglicani), libros proto-canonicos admittunt, reficiunt vero deutero-canonicos[2] (idem theologi russi tenere videntur[3]) ; quantum ad N. T. admittunt libros proto-canonicos, calviniste et anglicani etiam libros deutero-canonicos, dum lutherani epp. ad Hebr., Iacobi, ludæ et Apocal. reficiunt[4].

IV. De criterio inspirationis alicuius libri. — Quaeritur, undenam desumendum sit critérium ad diiudicandum, utrum aliquis liber sit inspiratus. Protestantes veteres, ut præsertim Calvinus, tanquam critérium unicum illuminationem Spiritus S. admittebant vel potius supponebant;, recentiores characterem libri (ut ipsam profunditatem doctrinæ) vel effectum religiosum (ut excitationem fidei, devotionis, etc.) tanquam critérium assignant.

At critérium certum inspirationis alicuius libri manifeste

1. Libri deutero-canonici V. T. sunt : Tobias, ludith, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, I et II Machabæorum et sequentes *paries* librorum proto-canonicorum : Esther, x, 4-16,24; Daniel, m, 24-90 et 13-14. Libri deutero-canonici N. T. sunt : Epp. ad Hebr., Jacobi, II Petri, II et III loanis, ludæ, Apocalypsis et sequentes partes librorum proto-canonicorum : Mc., xvi, 9-20 ; Lc., «xxn, 43-44 ; Ioa., vm, 2-12.

2. Cf. HOpfl, *Introductionis in sacros utriusque Testam, libros compendium,* i, 510.

3. Cf. De Groot, *De Ecclesia,* p. 674.

4. Qua in re tamen notandum est, quamplurimos protestantes *personaliter* respuere alios vel alios libros, immo omnem inspirationem.

ex sola revelatione desumi potest. Inspiratio enim alicuius libri est factum supernaturale, immo mysterium, quod proinde nonnisi per revelationem Dei innotescere potest.

Iamvero huiusmodi revelatio nonnisi *ex traditione* divino — apostolica sufficienter et complete innotescit. Etenim ex S. Scriptura inspiratio quidem V. T., at tantum in globo, constat ; inspiratio vero N· T. minime patet, præsertim quoad libros determinatos. Unde indicium de libris inspiratis ab Ecclesia petendum est, cuius sc. est, recipere, conservare, proponere doctrinam revelatam. Itaque Ecclesia in Canone S. Scripturæ revelationem ab Apostolis acceptam de libris inspiratis proponit, non quidem efficiendo ex libris non inspiratis libros inspiratos, sed declarando, quales libri secundum revelationem divinam fuerint divinitus inspirati.

Revelatio de libris inspiratis ab Apostolis duplici modo Ecclesiæ communicari potuit : uno modo, *expresse declarando* tales libros tanquam divinitus inspiratos, alio modo, *proponendo* aliquos determinatos libros *tanquam* eodem modo *recipiendos et legendos* in Ecclesia sicut libros V. T. Eodem duplici modo etiam Ecclesia inspirationem librorum determinatorum edocuit, sc. vel per expressam definitionem, ut in Conc. Trid. et Vatie, factum est, vel per usum practicum in Ecclesia.

V. Utrum origo apostolica alicuius scripti sit signum vel critérium sufficiens et certum inspirationis? — 1. Plures Iheologi tenent, Apostolos in suis scriptis fuisse inspiratos, saltem cum proprie munere apostolico fungerenturl. Inde origo apostolica alicuius scripti foret critérium indirectum vel potius signum inspirationis illius scripti. Atque hoc sensu in controversiis de inspiratione quorundam librorum de origine apostolica illorum quæsitum esse videtur ut e. g. circa ep. ad Hebr. Alii vero theologi, et plures, originem apostolicam alicuius libri, ut critérium inspirationis non agnoscunt.

2. Ulterius origo ipsa apostolica librorum nonnisi ex

1. Ubaldi, Schanz, Lamy, Dausch ; cf. J. Jacome, *De natura inspirationis,* p. 112-'I4.

sententia Ecclesiæ cum omnimoda certitudine constat ; unde in concreto, etiam sub hoc respectu, factum inspirationis tantum ex iudicio Ecclesiæ constat vel Ecclesiæ sententia unicum est critérium inspirationis.

3. Denique origo apostolica alicuius libri non est critérium universale, cum charisma inspirationis minime solis apostolis reservatum fuerit[1]. Multo minus sustineri potest, discipulos Apostolorum, ut e. g. Lucam vel Marcum, ex eo ipso quod discipuli Apostolorum fuerint vel praedicationem Apostolorum retulerint, fuisse inspiratos (ut e. g. Schanz opinatus est).

VI. Thesis : Canon tridentinus testimonio veteris Ecclesiæ concordat.

Prob. Duplex extat factum : primum : nullus liber canonis trident, ab Ecclesia universali aliquando positive fuit reiectus; secundum : iam in Ecclesia veteri canon trident, fuit positive receptus, licet successive.

Probatio particularis facti enuntiati proprie ad introductionem in S. Scripturam pertinet vel ad historiam canonis ; quantum ad nos sequentia sufficiant.

Quantum ad libros *V. T.* Ecclesia trium priorum sæculorum omnes libros V. T. in canone trid. receptos publice et privatim tanquam S. Scripturam adhibuit[2] ; tantummodo circa medium sæc. iv apud nonnullos doctores incipit dubium vel sententia contraria circa libros deuterocanonicos, firma tamen manente sententia Ecclesiæ, confirmata per canonem librorum inspiratorum Romanum (a. 382 sub Darnaso), S. Augustini[3] (conc. hipp.) (a. 393), conc. Carthag. (a. 397 et 416), Innocentii I (a. 405) et S. Gelasii (a. 493)[4].

Quantum ad *N. T.* iam circa finem sæc. i. publice,

1. Ita J. David Michælis in N. T. sola volumina ab Apostolis exarata tanquam certo inspirata agnoscit : Cf. Jacome, l. c., p. 112.

2. Disputatur tantum de ecclesia hierosoly., utrum sc. libros deuterocanonicos publice legerit ; cf. Cyrill. Hier., *Catech.,* iv, 33 s.

3. *De doctrina christ.,* n, 8, 13.

4. Documenta antiquiora de canone S. Scripturæ habes : A. Camerlynck, *Compendium Introductionis* generalis in S. S. (Brugis, 1911), pars prior, p. 56*-87*.

simul cum Scriptura V. T., legebantur IV Evangelia et XIII ep. S. Pauli (ommissa sc. ep. ad Hebr.) ; ab a. 140 in ecclesiis latinis et græcis,præterepp. ad Hebr., Iacobi, IIPetri. omnes libri N. T. canonis tridentini legebantur ; origenesl et Athanasius eosdem libros tanquam canonicos exhibent ac canon trident. ; similiterca non synodi Romanæ (a. 382 sub Damaso), S. Augustini, conc. hipp. (393), carthag. (a. 397 et 416), S. Innocentii I (a. 405) et Gelasii (a. 495) omnes et solos libros trident, enumerant, non obstante dissensu aliquorum circa ep. ad Hebr., *II Pel.,* II et III *loa.,* Iacobi et Iudæ.

Præter S. Athanasium (ep. lest. 39) et S. Cyrillum hierosol. (Catech., iv, 33-36) præsertimS. Hieronymus (in Prolog, galeato et in Præfat. ad Daniel) libros deuterocanonicos V. T. vel ut dubios vel ut intermedios inter canonicos et apocryphos vel simpliciter ut apocryphos (Hieronymus) statuerunt. Tamen in ecclesiis græcis hæc quæstio iam ineunte sæculo xn cessavit, apud Latinos Conc. Florent, iam canonem trident, proposuit : voces quæ adhuc contrariæ esse videntur, sententias privatas referunt : ita Caietanus sententiam Hieronymi refert (quam forsitan nimis æstimat) ; similiter S. Antoninus (Summa theol. III tit. 18, 6) ; S. Thomas vero (7n *Dionysium, De diu. nominibus,* ‹·. iv, 1. IX, et *Summa theol.,* I, q. 1 x x x ix , a. 8 ad 2) ad hominem argumentatur, in aliis locis, immo in Summa theol. sola librum Sapientiæ plus ducenties, Ecclesiasticum circiter trecenties ut Scripturam canonicam et verbum Dei allegando (Cf. De Groot, *De Ecclesia,* 683).

VII. Explicatio facti canonis. — Diximus quod canon librorum, postea a Conc. Trident, sollemniter definitus, successive fuerit receptus. Huiusmodi tamen factum facile explicatur ac inde canon trident, confirmatur.

Canon enim librorum inspiratorum est dogma revelatum si‹ ut alia dogmata fidei catholicæ ; unde etiam canon S. Scripturæ sicut alia dogmata sucessive tantum perfec- l ius cognoscebatur et ab Ecclesia proponebatur, et quidem secundum conditionem rei et temporum. Quoad V. T.

I. In Josue, *Hom. VIII,* i ; M. L., xn, 857.

quæstio erat facilior, quia S. Scriptura V. T. iam præexistebat et aderat traditio iudæorum et approbatio generalis ex parte Christi Domini et Apostolorum ; simul tamen inde explicantur dubia supervenientia, inquantum sc. iudæi vel canon palæstinensis rabbinicus circa finem sæc. n tantum libros proto-canonicos tanquam inspiratos admisit. Quoad N. T. specialis existebat difficultas ex parte rei. Etenim Ecclesia plures annos ante Evangelia et alios libros inspiratos N. T. extitit ; deinde huiusmodi libri successive et non parvis intervallis prodierunt ; plures partes, ut præsertim epistulæ Apostolorum ad ecclesias vel personas determinatas destinabantur ac denique communicatio de charactere inspirato huiusmodi epistularum immediate alicui ecclesiæ particulari facta esse videtur. Unde necessario certum quoddam temporis spatium intercedere oportebat usquodum character inspiratus quorundam scriptorum certe innotesceret. Nec mirum interdum varias sententias agitatas fuisse1.

Inde tamen sententia concors Ecclesiæ veteris proprie mirabilis apparet atque iam historice argumentum firmum præbet.

1. Simul facile explicatur quomodo etiam quidam libri revera non inspirati in aliquibus ecclesiis particularibus pro tempore publice lecti fuerint, ut Didache et epistula Barnabæ.

ARTICULUS QUINQUAGESIMUS OCTAVUS

De veritate S. Scripturæ[1]

1. Ex dictis in art. praecedenti tria sequuntur :

a) *Sacra Scriptura est verbum Dei,* utpote auctoris principalis et inspirantis hagiographos.

b) S. Scriptura est infallibiliter vera, utpote ut verbum l)ei qui nec falli nec fallere potest.

c) *Tota S. Scriptura cum omnibus suis partibus,* i. e. nulla facta distinctione inter libros (vel partes) protocanouicos et deuterocanonicos, nulla facta distinctione inter libros didacticos, historicos vel poeticos *est verbum Dei, infallibiliter verum.*

Quibus principiis admissis, nihilominus, præsertim ultimis temporibus sententiæ variæ et discussiones non leves inter theologos (et exegetas) catholicos ortæ sunt circa veritatem quarundam partium S. Scripturæ vel (quod in idem recidit) circa extensionem inspirationis ad quædam genera dictorum.

II. Errores. — 1. H. Holden primus inspirationem et veritatem S. Scripturæ ad solas partes doctrinales restrinxit.

2. Rohling innerantiam divinam S. Scripturæ ad illas partes restrinxit quæ veritates religiosas vel facta historica continent, quæ sunt fundamenta veritatis fidei.

1. J.-M. Vosté, O. P., *De Scripturarum veritate,* Romæ, 1923 ; Marcus Sales, O. P., *Doctrina S. Thomæ de inerrantia biblica* in *Divus Thomas* (Piacenza), 1923, fasc. sing., p. 84-106 ; *Diet, de théol. cath.,* v. *inspiration,* col. 2207-2266 (Mangenot) ; *Diet, apologét.,* v. *inerrance biblique,* col. 752-787 (Durand) ; C. Pesch, *De inspiratione* (1906) ; L. Fonk, *Der Kampf um die Wahrheit der Ht. Schrift* ; N. Peters, *Bibel und Naturwissenschaft.* — Documenta ecclesiastica habes apud A. Camerlynck, *Compendium introductionis generalis in S. Scripturam,* Brugis, 1911, p. 47-56, et Fonk *Doc. ad Pontif. commiss. bibi, specientia.*

3. Newman opinatus est, inspirationem ad obiter dicta non extendi.

4. F. Lenormant concesserat, libros sacros erroribus non vacare, immo aliquos locos mythis constare[1].

Præter huiusmodi errores[2] variae sententiae inter catholicos agitabantur, ut quod quædam dicta secundum sensum quidem a Deo intentum sint vera, secundum sensum vero ab hagiographo significatum errore non vacare ; vel quod in S. Scriptura distingui possit inter elementa essentialia et accessoria, inter doctrinam et involucrum eius, ita ut fundamenta doctrinæ sint certa,, modus tamen propositionis sit fictilius ; vel quod veritas sacræ Scripturæ sit relativa tantum, non vere absoluta[3].

III. Doctrina catholica. — Leo XIII doctrinam catholicam authentice sic proponit : « Nefas omnino -fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum S. Scripturæ partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tanquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus Spiritu S. dictante conscripti sunt ; tantum vero abest ut divinæ inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per seipsa, non modo errorem excludat sed tam rnecessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse... Atque adeo Patribus omnibus et doctoribus persuasissimum fuit divinas literas quales ab hagiographis editæ sunt, *ab omni errore esse immunes,* ut propterea non pauca illa, quæ

1. *Les origines de Vhistoire d'après la Bible,* etc., opus in indicem relatum die 19. déc. 1887.

2. *Modernislas* transimus, utpote iam extra quæstionem. Propositiones tamen damnatæ in Deer. Lament, huc spectantes sunt sequentes :

14. « In pluribus narrationibus non tam quæ vera sunt Evangelistæ retulerunt, quam quæ lectoribus, etsi falsa, censuerunt magis proficua. »

15. « Existere potest et reipsa existit oppositio inter facta quæ in S. Scriptura narrantur eisque innixa Ecclesiæ dogmata... »

3. Distinguimus huiusmodi sententias, licet erroneas, ab aliis erroribus, quia earum fautores dogma quidem catholicum de inerrantia S. Scripturæ per modum principii admiserunt ac tenuerunt, erraverunt vere in explicatione et applicatione.

contrarium aliquid vel dissimile viderentur afferre, non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint... Ea valeant universe quæ S. Augustinus ad Hieronymum[1] scripsit : « Ego enim fateor caritati tuæ, solis iis scripturarum libris qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in iis offendero literis quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam[1]. »

Doctrina Encycl. « Providentissimus » in Encycl. « Spiritus Paraclitus » Benedicti XV per doctrinam S. Hieronymi confirmatur. Cuius doctrina sic refertur : « Domini verba sunt vera et eius dixisse, fecisse est. » Itaque « Scriptura mentiri non potest », et nefas est dicere Scripturam mentiri. Addit præterea S. Doctor, se « aliter habere Apostolos, aliter reliquos tractatores » i. e. profanos ;' « illos semper vera dicere, istos in quibusdam, ut homines, aberrare » ; et licet multa in Scripturis dicantur, quæ videntur incredibilia, tamen vera esse ; in hoc « verbo veritatis » nullas res sententiasque inter se pugnantes inveniri posse, « nihil dissonum, nihil diversum » ; quare « cum videatur Scriptura inter se esse contraria, utrumque verum esse », « cum diversum sit[3] ».

Eandem doctrinam S. *Thomas* expresse docet. Ille præsertim duobus principiis insistit, sc. quod S. Scripturæ a. Spiritu S. sunt traditæ et quod sunt obiectum fidei, cui falsum subesse nequit. Unde dicit : « Scripturæ enim divinæ a Spiritu S. traditæ non potest falsum subesse, sicut iiec fidei, quæ per eam docetur[4] ». Etenim « formale obiectum fidei est veritas prima, secundum quod manifestatur in Scripturis sacris « et « doctrina Ecclesiæ procedit ex veritate prima in Scripturis S. manifestata[5] ». Neque Angelicus Doctor veritatem S. Scripturæ ad veritates religiosas

1. *Ep.* LXXXII *ad Hier.,* m.
2. Encycl. *Providentissimus Deus ;* Denz., 1951 s.
3. Videsis ibi locos indicatos.
4. *De Pol.,* q. iv, a. 2.
5. II, II, q. v, a. 3.

vel dogmatico-morales restringit, sed ad omnia quæ in libris sacris continentur, extendit. Distinguit quidem inter articulos fidei, qui directe et primario ad fidem pertinent, et inter alia quæ indirecte ad fidem pertinent : « Per accidens vel secundario se habent ad obiectum fidei omnia quæ in Scriptura divinitus tradita continentur, sicut quod Abraham habuit duos filios, quod David fuit filius Isai et alia huiusmodi[1] ». Inde concludit : « Hæreticum est dicere quod falsum non solum in Evangeliis sed etiam in quacumque canonica Scriptura inveniatur[2] »

Licet doctrina catholica mox exposita, generaliter saltem accepta, in Ecclesia ab omnibus sit admissa, propter varias difficultates in particulari de veritate quorundam dictorum disputatur. S. Scriptura enim quædam enuntiare videtur quæ vel rationi sanæ vel fidei vel historiæ vel scientiæ naturali contradicere videntur. Unde in particulari ostendendum est quomodo veritas absoluta S. Scripturæ explicanda et cum rerum factis componenda sit.

IV. Principia. — *Principium primum.* — Ea quae in S. Scriptura traduntur, sunt verbum Dei et infallibiliter vera, inquantum ab auctore sacro vel in libro sacro asseruntur, enuntiantur \'cl insinuantur (doctrina *formalis'*). Hoc principium sequitur ex dictis et ex communi notione veritatis. Etenim veritas (etfalsitas) proprie tantum in iudicio habetur[3], inquantum sc. aliquid affirmatur vel negatur[4].

lamvero auctor alicuius libri minime omnia quæ in libro referuntur, affirmat vel negat vel tantum sub determinata ratione. Ita omnis auctor quandoque tantum dicta aliorum refert quin veritatem illorum affirmet vel neget ; relationem de factis ex ore aliorum exhibet quin eam approbet vel neget.

1. II, II, q. n, a. 5 ; cf. *I Sent.,* xxxin, a. 5 ; I, q. xxxn, a. 4.
2. *In loa.,* c. xm, lect. 1. — Responsiones Commissionis biblicæ infra adducentur.
3. S. Thomas, I, q. xvi, a. 2.
4. *Deer. Com. Bibi.,* 18 junii 1915 : « Dogma catholicum de inspiratione et inerrantia S. S. quo omne id quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto... »

Principium secundum. — Quænam ex illis quæ in Sacra Scriptura continentur, ab auctore (vel in libro sacro) affirmentur vel negentur, enuntientur vel insinuentur, iudicandum est secundum naturam et conditionem dictionis adeoque secundum leges sanæ interpretationis, salvo semper iudicio Ecclesiæ. — Hoc principium ex ratione ipsa librorum sacrorum sequitur : nam libri sacri quantum ad modum compositionis et enuntiationis conditionem communem librorum sequuntur. lamvero innumeri sunt modi referendi aliquid quin auctor vel liber illud tanquam verum vel falsum iudicet, enuntiet vel insinuet. Quæritur igitur, primo quidem generaliter, utrum aliquis modus dicendi, generaliter acceptus, doctrinam propriam importet, deinde vero particulariter, utrum talis modus dicendi in aliquo S/Scripturæ loco probetur. Quæ cuncta nonnisi per interpretationem textuum resolvi possunt. Atque de facto plurimæ difficultates contra S. Scripturæ veritatem ex interpretatione deficiente S. Scripturæ oriuntur.

Ista duo principia, generaliter accepta, facile intelliguntur ; applicatio vero non parvas præbet difficultates. Tamen impossibile est, omnes casus particulares considerare ; unde casus quosdam principales et magis discussos tractabimus1.

V. Casus particulares. — 1. *Relatio explicita dictorum aliorum.* Non raro S. Scriptura verba, explicite dicta et sententias aliorum refert vel citat. In huiusmodi relationibus vel citationibus proprie et per se nil aliud affirmatui quam tale esse dictum vel talem esse sententiam alicuius ut cum in Ps. xm, 1 scribitur : « Dixit insipiens in cordi suo : Non est Deus » ; veritas autem et falsitas dicti relat directe neque affirmatur neque negatur, i. e. iudicium nor enuntiatur.

Iudicium autem auctoris de dictis relatis aliunde con stare potest, ut cum verba tanquam a Deo dicta referun lur, vel cum postmodum ab auctore approbantur ve

]. Sequimur in hac re maxime opusculum optimum P. J. Vosté O. P., *De Scripturarum veritate.*

reprobantur vel cum sententia auctoris ex modo et circumstantiis citationis apparet, ut cum dicitur : Dixit *insipiens*[1] ».

2. *Affectus subiectwus et personalis.* Auctor sacer in referendis et exprimendis affectibus vel etiam sententiis propriis regulariter quidem ea tanquam vera proponit vel ea simpliciter profert, quandoque vero id tantum refert, se habere talem affectum. Dictum igitur auctoris quandoque tantummodo existentiam talis affectus vel sententiae asserit : id quod tamen in singulis casibus strictissime probandum est[2].

3. *Forma literaria.* Auctores sacri diversa forma literaria utuntur : saepissime figurae, metaphorae, occurrunt ; sententiae per modum proverbii proferuntur; immo non desunt formae literariæ apud nos minus vel nullo modo usitatae. In omnibus huiusmodi dictis interpretandis quam maxime ad sensum formalem dicti attendendum est : alius est sensus proverbii, alius sententiae philosophicae ; parabola non existentiam factorum narratorum, sed veritatem dogmaticam vel moralem asserere intendit ; poeta figuris et imaginibus tantum ad ideam pulchrius enuntiandam utitur etc. Uti patet, principalis difficultas veram interpretationem formæ literariæ respicit. Statuto semel sensu formali dictionis, quæstio de veritate ipsius facile solvitur.

4. *Res physicæ*[3]. De phænomenis physicis auctor quidam duplici ratione scribere potest : uno modo intendit formaliter loqui de illis *prout sunt in se :* quare eius dicta comparanda sunt rebus obiective in se sumptis, — alio modo *secundum apparentiam,* prout vulgo fit — « hoc in casu veritas logica non iam comparanda est rebus prout sunt in se, sed prout apparent. »

Iamvero s. Thomas[4] expresse docet Moysen in descri-

1. Si ille cuius verba referuntur, dicitur esse « plenus gratia », ut quoad sermonem b. Stephani *{Act.,* c. vn), veritas dictorum nondum affirmatur.

2. Id quod attendendum est in exponendis imprecationibus, affectibus fiduciae, timoris, doloris, in salutationibus etc. Cf. Ps. cvm ; quoad imprecationes cf. S. Thomas, LIa, IIae, q. xxv, a. 6 ad 3 ; q. lxxxiii, a. 8 ad 1.

3. Cf. Vosté, l. c., p. 10-12.

4. I, q. lxx, a. 1 ad 3.

bendo universo adspectabili secutum esse ea quæ sensibiliter apparent. Eadem est doctrina Encycl. « Providentissimus Deus » et Commissionis biblicæ, quoad primum Geneseos capitulum[1].

5. *Res historicæ.* Quoad historiam distinguendum est, utrum auctor historiam realem referre aut sub velamine historiæ partim vel totaliter fictæ, v. g. in parabola, doctrinam quandam vel præceptum morale inculcare intendat. Si historia realis refertur, ipsum factum obiectivum in se asseritur ; quodsi vero historia relata est velamen tantum, per se consideranda est tantum doctrina, veritas vero formæ historicæ non affirmatur. Neque huiusmodi forma literaria a priori a S. Scriptura excluditur : omnes enim concedunt, nullum genus literarium (aliunde dignum) inspirationi biblicæ repugnare, cum secundum s. Thomam in Scriptura tradantur nobis divina per modum quo homines uti solent[2].

Difficilior tamen est *quæstio facti,* utrum sc. auctores sacri quandoque et quibus in partibus non historiam realem referre sed sub specie historiæ aliud significare intendant. Huc pertinet decretum Commissionis biblicæ, diei 23 junii 1905, secundum quod « admitti non potest, tanquam principium rectæ exegeseos sententia quæ tenet sacræ Scripturæ libros qui pro historicis habentur, sive totaliter sive ex parte, non historiam proprie dictam et obiective veram quandoque narrare, sed speciem tantum

1. Decret, d. 30 junii 1909, ad 7 : « Utrum, cum in conscribendo primo Geneseos capite non fuerit sacri auctoris mens intimam adspectabilium rerum constitutionem ordinemque creationis completum scientiflco modo docere, sed potius suæ genti tradere notitiam popularem, prout communis sermo per ea ferebat tempora, sensibus et captui hominum accomodatam, sit in horum interpretatione adamussim semperque investiganda scientific! sermonis proprietas ? *Resp. :* Negative. »

Optime prælaudatus Vosté notat (l. c.) : « Sed non propterea quoad descriptas res physicas « ulla falsi labes divinis Literis adspergitur », cum formale obiectum illius iudicii non sit res in se, sed prout sensibus apparet ; iamvero « sensus in iis rebus proxime cognoscendis, quarum sit propria ipsorum cognitio, minime decipi, dogma est sanæ philosophiæ » *(Spiritus Paraclitus)* ».

2. Cf. I. Vosté, l. c., p. 11, 12-27, 38-42.

historiæ præ se ferre ad aliquid significandum, a proprie literali vel historica verborum significatione alienum ; — excepto tamen casu non facile nec temere admittendo in quo Ecclesiæ sensu non refragante eiusque salvo indicio solidis argumentis probetur hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historian?tradere, sed sub specie et forma historiæ parabolam, allegoriam vel sensum aliquem a proprie literali seu historica verborum significatione remotum proponere ». Quale principium per se patet : « Historicus enim character a priori possidet, usquedum argumentis probetur character fictitius vel parabolicus[1] ».

Quidam ulterius opinati sunt, auctores sacros quandoque in rebus historicis enarrandis facta retulisse prout hæc e. communi vulgi sententia vel falsis aliorum testimoniis constare videbantur. Atque in argumentum adduxerunt verba Leonis XIII, Hieronymi et S. Thomæ. Leo enim, postquam concesserat, hagiographos de phænomenis physicis locutos fuisse, prout sensibiliter apparent, adiungit : « Hæc ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam præsertim, iuvabit transferre. » S. deinde Hieronymus scribit : « Consuetudinis Scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore putabatur[2]. » S. Thomas vero scribit : « Secundum opinionem populi loquitur Scriptura (Exod., xxxm, 11) qui putabat Moysen ore ad os loqui cum Deo[3]. »

Encycl. « Paraclitus Spiritus » vero verba Leonis sic interpretatur ut sint referenda non ad dictum de phænomenis physicis secl ad totam partem antecedentem, sc. auctoris id tantum esse, « ut haud dissimili ratione utamur ad refellendas adversariorum fallacias et ad historicam Sacræ Scripturæ fidem ab eorum impugnationibus tuendam ». Quoad vero s. Hieronimum statuitur, eum dicere, « hagiographum non in rebus gestis enarrandis, veritatis ignarum, ad falsam se vulgi opinionem accomodare, sed in nomine personis et rebus imponendo communem sequi loquendi modum ».

1. Applicationes et exempla videsis Vosté, l. c., p. 14-28.
2. *In Matth.,* xiv, 9. M. L., xxvi, 101 ; *In Jerem.,* xxvm, 10 ; xxix, 6.
3. I, II, q. xcviii, a. 3 ad 2.

5. Thomas denique non edocet, in S. Scriptura rem enarrari secundum falsam populi opinionem, sed dictum : «loqui facie ad faciem » habere alium sensum quam terminum visionis beatae». Dicit enim S. Doctor : « (Populus) putabat Moysen ore ad os loqui cum Deo, cum per subiectam creaturam, i. e. per angelum et nubem ei loqueretur et appareret ». Adiungit eodem sensu S. Doctor :« Vel per visionem facie intelligitur quædam eminens contemplatio et familiaris infra essentiæ divinæ visionem. » S. Thomas igitur loquitur de termino usitato secundum populi consuetudinem.

De reliquo auctores sacri, ubi facta referunt, prout vulgo traduntur vel secundum traditiones orales vel quando nominibus vulgaribus ad res significandas utuntur, ea tanquam vera referunt, ut e. g. quod Ioseph vere fuerit pater Iesu, sc. legalis, vel quod Moyses vere cum Deo locutus sit, eo sc. modo quem populus locutionem oris ad orem vocabat.

6. *Citationes lacitæ vel implicites.* Sicut alii auctores, ita et auctores sacri plures, historiam narrantes, fontibus usi sunt, sive scriptis sive oralibus traditionibus[1]. Neque necessarium est, ut auctor semper indicet, verba vel res relatas ex alio fonte esse haustas. Inde in S. Scriptura citationes tacitæ vel implicitæ non excluduntur.

Quoad eiusmodi citationes implicitas « tanquam principium generale asseri oportet, auctorem quemlibet tacite mutuantem a scripto documento informationes, ipso facto illas approbare ac suas facere, nisi expresse contrarium dicat. Hoc est principium sensus communis. Si enim de earum valore dubitaret, aut corrigeret aut omitteret eas vel saltem expressa citatione aut declaratione relinqueret responsum fonti primaevo[2] ».

1. *Commisio biblica,* d. 27 junii 1906 ad 3 : « Absque præiudicio mosaicæ authentiæ Pentateuchi concedi potest Moysen ad suum conficiendum opus fontes adhibuisse, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus, secundum peculiarem scopum sibi propositum et sub divinæ inspirationis afflatu, nonnulla hauserit eaque ad verbum vel quoad sententiam contracta vel amplificata ipsi operi inseruerit ». Cf. II Mach., ii, 24.

2. Vosté, l. c., p. 32 s.

Ex quo principio facile patet ratio Resp. Comm. Bibi., de die 13. feb. 1905, non licere recurrere ad citationes tacicitas, etiam ad enodandas difficultates, nisi « in casu in quo solidis argumentis probetur : 1. hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare ; et 2. eadem nec probare nec sua facere, ita ut iure censeatur non proprio nomine loqui ».

VI. Conclusio practica. — Concludamus verbis prælaudati auctoris : « In Bibliis veritas divina scripto exprimitur ad modum veritatis humanæ. Desiderantes ideo sensum Spiritus Sancti attingere-præeunte, ut patet, ac dirigente lumine fidei, — oportet attente examinare prius quomodo illo remoto tempore, quomodo ab his aut illis auctoribus veritas exprimeretur ; quibus modis aut generibus ac licentiis literariis uterentur ad veritatem sive historicam sive religiosam ac moralem tradendam. Oportet ergo, uno verbo, literaria psychologia hagiographorum fiat nostra, ut literalem illorum sensum attingamus quin labamur in anachronismum mendacem ; atque super hunc literalem sensum, docente Angelico, fundantur cæteri Scripturæ sensus[1]. » Inde difficultates plurimæ contra S. Scripturæ veritatem evanescent.

1. Vosté, l. c., p. *42 s.*

ARTICULUS QUINQUAGESIMUS NONUS

'De multiplici sensu S. Scripturæ

1. *Duplex sensus S. Scripturæ* distinguitur, sc. literalis (seu historicus) et spiritualis (seu mysticus). Sensus *literalis* est ille quem Spiritus S. per voces seu verba significare intendit et quem voces in contextu significant atque exprimunt; unde ad sensum literalem pertinet omne quod ex ipsa verborum significatione accipi potest. Sensus *spiritualis* est ille quem res per voces significatæ significant, sc. ut figuræ aliarum rerum[1].

2. Sensus *literalis* alius est *proprius,* alius *parabolicus* seu metaphoricus seu translatus, secundum quod aliquid per verba significatur vel secundum proprietatem locutionis (ut cum dico : homo ridet) vel secundum similitudinem seu metaphoram (ut cum dico : pratum ridet). « Non enim, ait s. Thomas[2], cum Scriptura nominat brachium Dei, est literalis sensus quod in Deo sit huiusmodi membrum corporale, sed id quod per hoc membrum significatur, sc. virtus operativa[3]. »

3. Ulterius sensus literarius (sive proprius sive metaphoricus) aliquid significare potest sive *explicite* sive *im-*

1. Optime S. Thomas : Deus « auctor rerum non solum potest verba accomodate ad aliquid significandum, sed etiam potest res disponere in figuram, et secundum hoc in S. Scriptura manifestatur veritas dupliciter : uno modo secundum quod res significantur per verba — et in hoc consistit sensus literalis — alio modo secundum quod res sunt figuræ aliarum rerum et in hoc consistit sensus spiritualis ». *Quodlib.,* vu, a. 14 ; cf. I, q. i, a. 10.

2. I, q. i, a. 10 ad 3.

3. Differt igitur sensus spiritualis a sensu literali metaphorico in hoc quod res quibus sensus spiritualis significatur, in veritate contigerunt, dum e contra res quibus aliquid metaphorice significatur, non contigerunt in veritate, sed solum vel sunt similitudines imaginarie (ut cum Christus, Dan., ii, 34, significatur per lapidem qui excisus est de monte sine manibus), vel non sunt ad aliud ordinatæ nisi ad significandum, sicut contingit in fictionibus pœticis (S. Thomas, *Quodl.,* VII, q. xv, ad 1 et a. 16 ad 2).

plicite, i. e. sive per terminos expressos sive per terminos æquivalentes vel æquipollentes (cf. supra, a. 33, m, 4).

4. Denique disputatur inter theologos, an sub una litera *multiplex sensus literalis* haberi possit. Affirmat S. Augustinus[1] et S. Thomas. Hic docet : « Hoc ad dignitatem divinæ Scripturæ pertinet ut sub una litera multos sensus contineat, ut sic et diversis intellectibus hominum conveniat, ut unusquisque miretur se in divina Scriptura posse invenire veritatem quam mente conceperit ; et per hoc etiam contra infideles facilius defendatur, dum si aliquid, quod quisque ex Sacra Scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium eius sensum possit haberi recursus. Unde non est incredibile, Moysi et aliis Sacræ Scripturæ auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera, quæ homines possent intelligere, ipsi cognoscerent et ea sub una serie literæ designarent, ut sic quilibet eorum sit sensus auctoris. Unde si etiam aliqua vera ab expositoribus Sacræ Scripturæ literæ aptentur, quæ auctor non intelligit, non est dubium quin Spiritus Sanctus intellexerit, qui est principalis auctor divinæ Scripturæ. Unde omnis veritas, quæ, salva literæ circumstantia, potest divinæ Scripturæ aptari, est eius sensus[2]». Similiter S. Doctor in Summa theol. docet : « Quia sensus literalis est, quem auctor intendit, auctor autem Sacræ Scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Augustinus (l. c.) si etiam secundum literalem sensum in una litera Scripturæ plures sint sensus[3]. »

5. Sensus etiam *spiritualis* tripliciter distinguitur, ut S. Thomas explicat : « Secundum quod ea quæ sunt veteris legis, significant ea, quæ sunt novæ legis, est sensus *allegoricus ;* secundum vero quod ea quæ in Christo sunt gesta vel in iis quæ Christum significant, sunt signa eorum quæ nos agere debemus, est sensus *moralis ;* prout vero significant ea quæ sunt in æterna gloria, est sensus *anagogicus*[4] ».

1. *Confess.,* xn, 31 ; cf. *De doclr. christ.,* m, 27, 38.
2. *De pol.,* q. iv, a. 1.
3. I, q. i, a. 10 ; cf. R. Th., t. XIV, p. 192.
4. I, q. i, a. 10.

6. Ab huiusmodi duobus sensibus S. Scripturæ, qui sunt proprie sensus S. Scripturæ, i. e. in ipsa significati et expressi, distinguitur sensus consequens et sensus accomodatius. *Sensus consequens esi ille qui in S. Scriptura* immediate et formaliter non exprimitur, sed tantum mediate vel virtualiter, inquantum sc. ex doctrina in S. Scriptura expressa per syllogismum deduci potest1. Sensus vere *accomodalilius* est ille qui ab auctore S. Scripturæ non est intentus neque ex sensu literali vel spirituali sequitur, sed qui ab alio verbis S. Scripturæ supponitur propter quandam similitudinem sive realem sive verbalem, utpote ex motivo quodam honesto, ut ad ædificationem. Uti patet, huiusmodi sensus accomodatus non est nec .proprie nec vere sensus S, Scripturæ ; sensus vere consequens est mediate vel virtualiter sensus S. Scripturæ. .

7. Sensus literalis (sive proprius sive metaphoricus) in omni textu S. Scripturæ necessario adest atque sensus omnis spiritualis semper super ipsum fundatur, eum supponit et ex eo procedit. Sensus vere spiritualis non necessario in omni textu habetur. Unde S. Thomas : « Quatuor isti sensus non attribuuntur S. Scripturæ ut in qualibet parte sit in istis quatuor sensibus exponenda ; sed quandoque istis quatuor, quandoque tribus, quandoque duobus, quandoque uno tantum2. » Atque indubium est, nonnullos saltem locos S. Scripturæ sensum spiritualem continere. Præsertim S. Paulus inculcat Vetus Testamentum esse figuram Novi Testamenti : « Hæc autem omnia in figura contingebant illis ; scripta sunt autem ad correptionem nostram in quos fines sæculorum devenerunt » (7 *Cor.,* x, 10); « nemo vos indicet in cibo aut in potu..., quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christus » *{Coi.,* n, 16 s.) ; « umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem'rerum » *(Heb.,* x, 1). Similiter Mt et Ioa. pluribus in locis quædam V. T. verba in Christo impleta esse dicunt, quæ tantum secundum sensum spiritualem imple-

1. Distinguitur igitur sensus consequens a sensu implicito sicut conclusio proprie dicta distinguitur a doctrina æquivalenti vel æquipollenti vel sicut mediate seu virtualiter tantum revelatum differt ab implicite revelato.

2. *Ouodl.,* vu, a. 15 ad 5.

ta sunt, ut Mτ., ii, 17 ; ni, 3 ; xxvn, 9 ; Ioa., xix, 36 ; xiii, 18, etc. Neque valet effugium, hæc omnia per solam accomodationem dicta esse, cum id contra sensum manifestum S. Scripturæ sit. Inde legitimus apparet consensus communis SS. Patrum et sensus Ecclesiæ quæ certe sensum spiritualem tenet.

8. Itaque *quoad argumentationem theologicam* exS. Scriptura sequentia patent :

a) Argumentatio theologica primo et per se ex *sensu literati* procedere oportet atque inde certitudinem habet.

b) Ex *sensu spirituali* argumentum certum trahi nequit, nisi existentia eiusmodi sensus aliunde, sive ex alia parte S. Scripturæ sive ex indicio Ecclesiæ constet. Quo sensu S. Thomas docet, ex solo sensu literali posse trahi argumentum, non autem ex iis quæ secundum allegoriam dicuntur[1]. Notat tamen S. Doctor, « quod hoc non est propter defectum auctoritatis sensus spiritualis, sed ex ipsa natura similitudinis, in qua fundatur sensus spiritualis. Una enim res pluribus similis esse potest; unde non potest ab illa, quando in Scriptura proponitur, procedi ad aliquam illarum determinate[2]. »

Neque « ex hoc aliquid deperit Sacræ Scripturæ, quia nihil sub spirituali sensu continetur *fidei necessarium* quod Scriptura per literalem sensum alibi manifeste non tradat[3]. »

c) *Sensus consequens* (sive ex sensu literali sive ex sensu spirituali certo) argumentum præbet, at per modum conclusionis theologicæ. Ita e. g. cum constet, V. T. esse umbram et figuram V. T., ex comparatione factorum V. T. cum factis et gestis N. T., argumentum theologicum deduci potest : immo ita vel Apostoli vel alii hagiographi aliquando fecisse videntur, certe sub lumine et motione inspirationis, ita ut ab errore immunes essent.

Sensus mere *accomodatilius* argumentum theologicum non præbet.

d) Sensus multiplex literalis stricte probandus est.

9. Duo denique quoad argumentationem theologicam ex S. Scriptura notanda sunt.

1. I, q. i, a. 10 ad 1.
2. *Quodl.,* vn, a. 14 ad 4.
3. I, q. i, a. 10 ad 1.

Primo optime monet S. Augustinus, ne præcipiti affirmatione corruamus, « non pro sententia divinarum Scripturarum, sèd pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse, quæ nostra est ; cum potius eam quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus[1]. » Idem Gaietanus : « Teipsum Evangelio, non Evangelium tuo accomoda sensui[2]. »

Secundo theologi cordati erit, non tantum unum vel alium textum in favorem sententiæ, de qua est quæstio, adducere, sed simul ostendere æquipollentiam terminorum S. Scripturæ et propositionis theologicæ, ut e. g. textus Mt de petra et clavigero et dogmatis vaticani de primatu potestatis plenæ ac supremæ Rom. Pontificis. Inde simul erit theologi, investigare et exponere modum vel formam concretam qua aliqua doctrina in S. Scriptura enuntiatur, vel etiam diversas formas quibus una eademque doctrina in diversis Scripturæ libris et partibus proponitur.

1. *De Gen. ad Ut.,* l. I, c. xvm, 37 ; M. L., xxxiv, 260.
2. *In Mt., v,* 31 s.

ARTICULUS SEXAGESIMUS

De veritate et authenticitate editionis Vulgatæ

1. Doctrina catholica. — Concilium Trident, duplex decretum circa veritatem et authenticitatem versionis Vulgatæ[1] edidit.

1. *Decretum dogmaticum* : « Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, *prout* in Ecclesia catholica legi consueverunt et *in veteri vulgata latina editione habentur,* pro sacris et canonicis non susceperit, a. s.[2].

Vi huius decreti omnes libri quæ in Vulgata continentur, cum omnibus suis partibus tanquam sacri, canonici adeoque inspirati definiuntur[3][4]. Atque certe Concilium noluit declarare, *versionem* vulgatam esse inspiratam, sed esse *versionem* librorum inspiratorum. Inde indirecte sequitur, versionem *Vulgatam continere, exhibere libros illos inspiratos* (« prout in veteri vulgata editione habentur ») ; non tamen *vi huius decreti* dogmatici expresse determinatur, quo gradu exactitudinis versio textum originalem reddat.

2. *Decretum disciplinare*[1] : « Insuper ...Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat : statuit et declarat ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo

1. Notionem et historiam Vulgatæ ex Introductione in S. Scripturam notam supponimus.
2. Sess. IV ; Denz., 784.
3. Card. Franzelin sic interpretatur, quemlibet textum singularem, saltem dogmaticum, de quo constat, eum in veteri Vulgata contineri, tanquam canonicum declarari. At id non constat, *saltem vi huius primi decreti.*
4. Sess. IV ; Denz., 785.

illam reicere quovis praetextu audeat vel praesumat[1]. »

Vi huius decreti Vulgata pro usu publico tanquam *versia authentica* statuitur atque ut *ab omnibus admittenda*. Attributum : versio *authentica* idem dicere videtur ac : versio *in et ab Ecclesia recepta et proposita, immo approbata :* proinde per propositionem sequentem praecipitur, ut omnes textum ac doctrinam Vulgatæ tanquam argumentum dogmaticum et tanquam fidem facientem admittant.

II. Explicatur decretum Trident. — Ad sensum huius decreti exactius determinandum sequentia sunt notanda :

) Sub nomine « *editionis vulgatæ* » intelligitur, non quidem codex quidam vel editio particularis, sed editio Hieronymi quæ tempore Cone. Tridentini « longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata » erat. Inde distinguendum est inter Vulgatam prout ex manibus S. Hieronymi prodiit, et Vulgatam prout in diversis codicibus et editionibus continetur, in quibus plures mendæ irrepserant. Unde Cone. Tridentinum statuit ut « hæc ipsa vetus et vulgata editio quam emendatissime imprimatur » : cui voluntati ex parte per editionem sixto-clementinam satisfactum est et ex decreto Pii X per novam editionem plenius satisfaciendum erit[2].

) Huiusmodi versio vulgata approbatur atque ut admittenda præcipitur tanquam vera et concordans *in rebus fidei et morum*. Finis enim decreti Tridentini erat, ut in disputationibus, lectionibus, prædicationibus et expositionibus *dogmaticis* textus certus et indubitatus haberetur. Id quod per verba Andreæ Vega, qui ut theologus Cone. Trident, interfuit, confirmatur. Scribit : Concilium « eatenus voluit eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam foedatam esse errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi posset, atque ideo statuit, ne quis illam quovis prætextu reiicere auderet. Et hanc fuisse mentem synodi neque quidquam amplius statuere voluisse, ex verbis ipsis et aliis consuetis approbationibus concilii potes colligere[3] ».

1. Alii etiam secundum decretum ut dogmaticum considerant.
2. Epist. Pii X de nova editione *Vulgatæ latinæ* ad Card. Gasquet (11 dec. 1907).
3. *De iustificat.,* xv, 9.

c) *Veritas* igitur Vulgatæ, quæ a Concilio Trident, statuitur, seu supponitur, est *dogmatica eaque substantialis* : hoc quidem sensu, ut sc. Vulgata nullum errorem in doctrina fidei et morum contineat atque omnis doctrina in ea enuntiata sit doctrina S. Scripturæ vel saltem revelationis oralis (traditionis divinæ).

Inde admitti potest : a) Non excluditur, singularem aliquem textum qui in originali habetur, in Vulgata *desiderari,* sc. in eodem loco libri.

β) Non excluditur, aliquem textum originalem in versione vulgata *alio modo,* i. e. aliis formulis, aliis conceptitibus, sub alio respectu, reddi, dummodo huiusmodi formulæ, conceptus et modi repræsentandi sint æquivalentes doctrinæ textus originalis, ita ut eadem doctrina enuntietur. Immo huiusmodi differentia modalis quasi necessario interveniet : aliter enim versio vix fieri poterit.

γ) Denique concedi potest, aliquem textum particularem Vulgatæ in textu originali non extare, sc. eodem in loco et quoad verba ; doctrina tamen per textum Vulgatæ enuntiata in alio loco textus originalis contineri supponitur, aut saltem in traditione divina, ita ut sit revera revelata.

Atque ita doctrina Vulgatæ fidem dogmaticam facit, etiam absque recursu ad textum originalem.

3) Neque obstat decretum S. Officii de authenticia versiculi I Ioa., v, 7 (13 Jan. 1897), quo nempe declaratur, non posse tuto negari aut saltem in dubium vocari, esse authenticum textum loannis prædictum. Hoc enim decreto non declaratur, textum illum in textu originali contineri, sed declaratur, illum esse authenticum, i. e. fidem facientem : ad hoc vero sufficit ut doctrinam S. Scripturæ vel saltem revelationis exprimat[1].

III. Ratio veritatis et authenticitatis Vulgatæ quoad res fidei et morum. — Ratio auctoritatis quæ ex præ-

1. Cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *Commentar, in ep. cath.,* 1909, p. 192 ss. ; Bainvel, *De Scriptura Sacra,* p. 39 s. ; Mader, *Allgemeine Einleitung in das A. T.,* p. 137, s. ; De Groot, *De Ecclesia,* p. 705 ; Kunstle, *Das comma Joanneum.*

De Decreto Congreg. Cone. Trid. (a. 1576), a Batiffol iterum reperto, videsis De Groot, *De Ecclesia,* p. 706.

cepto Concilii Tridentini Vulgatæ in Ecclesia competit, ex ipsius Concilii verbis patet. Etenim Concilium Vulgatam recipit ac præcipit, ut : « *quæ longo tot sæculorum usu in Ecclesia probata est* ». Concilium igitur tanquam motivum authenticitatis Vulgatæ declarandæ *iudicium Ecclesiæ* dé veritate dogmatica Vulgatæ adducit. Atque ad tale iudicium appellat. Iudicium vero Ecclesiæ tot sæculorum certe est infallibile, utpote circa res fidei et morum, et definitivum adeoque dogmaticum[1]. Simul confirmatur a posteriori, cum nemo adhuc errorem dogmaticum in doctrina Vulgatæ ostenderit[2].

1. Alii huiusmodi iudicium tanquam iudicium circa *facium dogmaticum* considerant, hoc sc. sensu quod Ecclesia directe de convenientia versionis vulgatæ cum textu originali iudicarit. Convenientius tamen ad modum agendi Ecclesiæ tenetur, Ecclesiam directe de veritate dogmatica Vulgatæiudicasse adeoque iudicium directe dogmaticum esse. — Cum Cone. Trid. ad iudicium Ecclesiæ iam existens se referat, parum interest an decretum Concilii sit dogmaticum vel disciplinare.

2. Quoad dicta discrepantia a textu originali : Cf. Bainvel, *Les contresens bibliques.*

ARTICULUS SEXAGESIMUS PRIMUS

De interpretatione S. Sciipturæ

1. Cum S. Scriptura sit verbum divinum atque fons primarius veritatis revelatæ, maximi momenti est, determinare viam ac regulas S. Scripturæ interpretandæ. Atque novatores sæculi XVI statuerunt, S. Scripturam in seipsa esse it& perspicuam ut fideles ea quæ ad salutem necessaria sunt; facile inde haurire valeant, saltem cum auxilio Spiritus Sancti, adeoque fideles magisterio Ecclesiæ in in sacris libris interpretandis nec indigere nec teneri. Nostris vero diebus quamplurimi difficultates in S. Scripturis interpretandis quidem admittunt, at omnem influxum magisterii ecclesiastici excludunt, prætextu sc. sufficientiæ S. Scripturæ et libertatis evangelicæ. E contra· tamen praxis et doctrina catholica facile ut legitima probatur.

2. In antecessum distinguendum est inter interpretationem authenticam seu dogmaticam, doctrinalem, seu scientificam et mere privatam. Interpretatio *authentica* est illa quæ fit per magisterium Ecclesiæ atque ex auctoritate, ita ut fideles ad interpretationem propositam accipiendam teneantur : huiusmodi interpretatio authentica fit vel per solemnes definitiones de sensu locorum S. Scripturæ vel per declarationes non quidem definitivas adeoque non formaliter infallibiles, attamen plus minusve obligatorias, vel per magisterium ordinarium Ecclesiæ (in instructione religiosa, in prædicationibus) vel per organa S. Sedis, ut per Congregationem S. Officii et Commissionem biblicam. Interpretatio *scientifica vel doctrinalis* fit per theologos, doctos. Interpretatio denique *privata* illa intellegitur qua fideles quilibet utuntur, sive ad ædificationem sive ad instructionem.

A. De interpretatione authentica. — 3. *Doctrina catholica.* — S. Synodus Trident. « ad coercenda petulantia

ingenia decernit ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus lidei et morum ad aedificationem doctrinæ christianæ perlinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quam tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cuius est indicare de vero sensu et interpre- | atione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimen consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat...1. »

Cone. Vatic, idem decretum renovans, hanc illius menlem esse declarat, « ut in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium is pro vero sensu sacræ Scripturæ habendus sit quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; adeoque nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari1. »

Sensus huius declaricionis est : non tantum prohibetur ne quis S. Scripturam *conlra* sensum Ecclesiæ interpretetur, sed præcipitur ut sensus Ecclesiæ *positive teneatur;* deinde huiusmodi *decretum* non est tantum disciplmare sed *dogmaticum.*

Obiectum interpretationis authenticæ Ecclesiæ sunt *res fidei et morum,* i. e. doctrina revelata, ut supra explicavimus (art. 33). Ecclesia vero sensum S. Scripturæ determinat, interpretatur ac definit inquantum eius est, doctrinam revelatam sancte custodire et fideliter exponere. Alia vero quæ in S. Scriptura continentur, ad interpretationem Ecclesiæ pertinent, inquantum connexionem habent cum per se revelatis, maxime cum dogmate inspirationis et infallibilitatis S. Scripturæ.

Inde denique patet, *sub qua ratione* Ecclesiæ sit, de vero sensu S. Scripturæ *iudicare.* Etenim Ecclesia quidem omnibus mediis utitur quibus homines uti possunt, ad sensum S. Scripturæ interpretandum; tamen ratio et causa iudicii auctoritativi (et infallibilis) est eius magisterium et assistentia Spiritus Sancti. Unde Ecclesia immediate indicat de sensu dogmatico S. Scripturæ ; de aliis rebus, ut

1. Sess. IV ; Denz., 786.
2. Sess. III, c. n ; Denz., 1788.

e. g. mere historicis, indicat inquantum connexionem cum doctrina dogmatica habent. Sub quo respectu Ecclesia quasdam interpretationes damnare potest quin totam quaestionem exegeticam, philologicam et historicam solvat, determinando sc. talem interpretationem esse contra dogma de veritate S. Scripturæ vel contra aliud dogma vel etiam contra aliam doctrinam certam.

4. Conclusio: Interpretatio authentica S. Scripturæ Ecclesiæ competit.

Prob. 1. *Ex magisterio infallibili Ecclesiæ.* Ad Ecclesiæ magisterium pertinet ut doctrinam revelatam auctoritate divina fidelibus proponat. Atqui libri sacri continent, saltem ex parte, doctrinam revelatam. Ergo ad Ecclesiam pertinet iudicare de vero sensu S. Scripturæ, maxime quoad res fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentes.

Prob. 2. *Ex parle S. Scripturæ.* Libri sacri sunt libri divinitus inspirati et qua tales Ecclesiæ traditi, utpote tanquam fons et documentum divinum doctrinæ revelatæ. Atqui huiusmodi libri nullo alio fine Ecclesiæ traduntur nisi ut fideliter custodiantur, explicentur, proponantur, sc. quoad doctrinam quam continent, maxime circa res fidei et morum. Unde ex mandato divino Ecclesiæ ius et officium incumbit, thesaurum divinum, sibi commissum, in salutem fidelium impendere, præservando sc. fideles a falsa Scripturæ interpretatione, indicando de vero sensu, proponendo verum verbi divini intellectum.

Prob. 3. *Ex parle fidelium.* Certe fideles plurimi sunt capaces ut ex S. Scriptura quamplurimas fidei veritates recte hauriant; attamen hoc non est omnium, non statim, non sine magno labore, neque sine maximo periculo erroris ac denique non nisi sub illuminatione fidei et sub directione Ecclesiæ.

Quæ cuncta per facta historica manifesta patent. Certe non *omnes fideles* sunt capaces ut fidei doctrinam ex S. Scriptura sibi quodammodo componant. Ad rem optime S. Thomas : « Veritas fidei in S. Scriptura diffuse continetur et variis modis et in quibusdam obscure, ita quod ad eliciendum fidei veritatem ex S. Scriptura requi-

ritur longum studium et exercitium, ad quod non possunt pervenire omnes illi, quibus necessarium est cognoscere fidei veritatem ; quorum plerique aliis negotiis occupati studio vacare non possunt[1]. » Deinde *periculum maximum erroris* imminet, ut constat ex historia hæresum, sed simul theologiæ et exegeseos nec non ex factis temporis præsentis ; quot enim et quales sententiæ et errores tanquam doctrinæ S. Scripturæ proponuntur ! At in rebus fidei errare periculosissimum est. Unde talis error necessitate maxima cavendus est. Quid e. g. de Ecclesia factum esset, si Ecclesia tempore Arianismi, Nestorianismi, Pelagianismi, Protestantismi, etc. de vero sensu S. Scripturæ non iudicasset. Ad quid valeret institutio primatus, si Ecclesiæ non competeret ius et officium, indicandi ex auctoritate de doctrina S. Scripturæ circa primatum !

Denique fideles illi qui ipsi S. Scripturam recte intelligunt, hoc illuminationi fidei ab Ecclesiæ accepte debent ac denique interpretationi ipsi quam Ecclesia ipsis proponit. Id quod manfeste apparet in iis quæ sunt extra Ecclesiam : quot enim in sententias diversas dividuntur et errores.

Itaque sicut magisterium et infallibilitas Ecclesiæ necessario competunt, ut saluti fidelium sufficienter provideatur, ita, et quam maxime, Ecclesiæ competit, iudicare de vero sensu S. Scripturæ.

5. *Quomodo Ecclesia interpretationem authenticam exerceat.* — Ecclesia multipliciter sensum S. Scripturæ interpretatur cum auctoritate.

a) Ecclesia ab ompi initio inspirationem divinam ac innerrantiam librorum determinatorum S. Scripturæ edocuit, explicavit et defendebat.

b) Ecclesia sensum quorundam locorum particularium sollemniter definivit : ita Gone. Vatie, sensum Mt., xvi, 18 et Ioa. xxi, 15[2]; Conc. Trident, definivit sensum verborum institutionis Eucharistiæ[3], similiter sensum Ioa., xx, 22, et Mt., xviii, 18 quoad potestatem remittendi peccata[4], sensum Lc., xxn, 19 et *I Cor.,* xi, 24 quoad institutionem

1. II, II, q. i, a. 9 ad 1.
2. Sess. IV, c. i ; Denz., 1822-1833.
3. Sess. XIII, c. i ; Denz., 874.
4. Sess. XIV, can. 3, 10 ; Denz , 913, 920.

sacerdotii[1], denique varios textus circa iustificationem, etc[2].

c) Ecclesia doctrinas quasdam generales, principales et fundamentales Scripturæ Sacræ determinavit, sive per magisterium solemne sive ordinarium, præsertim contra haereticos : ita contra iudaizantes et iudæos sensus typicus et christologicus V. T. declarabatur, contra gnosticos conformitas S. Scripturæ cum symbolo apostolico ostendebatur, contra arianos et nestorianos doctrina divinitatis Christi tanquam doctrina S. Scripturæ defendebatur, per Ss. Patres et scholasticos corpus et systema doctrinæ catholicae ut doctrina S. Scripturæ comprobata est, contra protestantismum doctrina S. Scripturæ de salute, de sacramentis, de iustificatione, de Ecclesia servabatur, etc.

d) Ecclesia *indirecte* interpretationem S. Scripturæ promovet, inquantum sc. per novas definitiones dogmaticas, per explicationem fidei, per progressum theologiæ intellectum S. Scripturæ faciliorem reddit ac certiorem.

e) Denique Ecclesia errores cavet, sive damnando interpretationes erroneas sive invigilando super methodum in S. Scriptura interpretanda.

6. *Itaque verum progressum* in S. Scriptura interpretanda denique Ecclesiæ magisterio debemus, cooperantibus utique SS. Patribus et theologis catholicis, subministrantibus, licet materialiter potius et occasionaliter, etiam adversariis. Omnino minus recte igitur illi sentiunt qui exegesim, e. g. protestanticam, nimis extollunt ac exegesi catholicae praeferunt : in rebus enim mere literariis et historicis adversarii quandoque excellere videntur, quoad doctrinam vere ipsam S. Scripturæ, præsertim dogmaticam, omnino falluntur ac fallunt.

7. Similiter expungendus est *error* quorundam sive theologorum sive historicorum qui interpretationes quasdam S. Scripturæ ea sola ex ratione non admittunt quod posteriori tantum tempore prodiit. Impossibile enim est[1] omnes doctrinas S. Scripturæ ab omni initio fuisse explicatas ; inde necessario quædam doctrinæ succedentibus tantum temporibus, data sc. occasione et necessitate vel

1. Sess. XXII-XXIX ; can. 2; Denz., 949.
2. Sess. VI.

etiam ex illuminatione Spiritus Sancti speciali, melius cognitæ fuerunt atque ad defendenda dogmata Ecclesiæ prolatæ : id quod maxime in quæstionibus postmodum exortis contigit[1].

8. *Ob.* 1°. Verbum Dei est supra auctoritatem Ecclesiæ.

Besp. Dist. : quantum ad veritatem, conc. ; quantum ad interpretationem, subdist. : est super Ecclesiam, ut est ex hominibus constituta, conc., ut est organum et ministra Dei, nego.

Explic. Manifestum est, verbum divinum secundum se, i. e. ut est verbum divinum, quantum ad doctrinæ veritatem, esse supra Ecclesiam ; unde S. Scriptura ponitur tanquam fons e quo doctrina Ecclesiæ haurienda et determinanda est nec ullo modo Ecclesia est domina verbi divini. Attamen doctrina S. Scripturæ invenienda, interpretanda, determinanda est : qua in re Ecclesia tanquam interpres auctoritativus intervenit, non quidem auctoritate mere humana vel iuridica, sed auctoritate divina, adiuncto charismate infallibilitatis. Itaque proprie et formaliter loquendo Deus ipse, mediante Ecclesia ut ministra, S. Scripturam interpretatur; secundum vero protestantes Deus S. Scripturam, opus sum, arbitrio hominum relinqueret[2].

Ob. 2°. Per interpretationem authenticam libertas fidelium et exegeseos ,immo studia exegetica supprimuntur.

Besp. Supprimiintur abusus libertatis atque errores exegeseos et pericula studiorum biblicorum, conc. ; supprimitur libertas vera et exegesis vera, nego.

Explic. Finis et effectus interpretationis authenticæ est præservare fideles ab errore et a corruptione S. Scripturæ atcjue aperire veram doctrinam Dei. lamvero per hoc nil boni vel legitimi supprimitur. Nam libertas fidelibus non est concessa ut erroribus quibuscumque ad libitum adhaereant. Similiter lex suprema exegeseos est veritas. Studia denique exegetica minime impediuntur, e contra promoventur. Per Ecclesiam enim dogma inspirationis et canonis S. Scripturæ salvatum est ac inde studia

1. Cf. R. Schultes, *Inlroduclio in historiam dogmatum,* art. 13
2. Cf. C. Schaezler, *Introductio,* p. 173 ss.

biblica excitantur ; per diversas definitiones et declarationes Ecclesiæ doctrina vera S. Scripturæ hominibus est declarata et proposita, ex quo etiam aliæ doctrinæ S. Scripturæ facilius certiusque cognoscuntur ; per vigilantiam Ecclesiæ plurimi errores in S. Scriptura interpretanda remoti sunt ac proinde periculum erroris in aliis quæstionibus diminutum. Quodsi studia biblica aliquando minus floruerunt, id aliis omnino ex causis contigit, ut e. g. ex desidia hominum. De facto denique in societatibus ab Ecclesia separatis quid adhuc de S. Scriptura remanet? Negatur vel generaliter existentia inspirationis, doctrinæ fundamentales S. Scripturæ falso interpretantur, magna pars S. Scripturæ Deo abiudicatur, nulla denique certitudo circa credenda relinquitur. Optime de Groot : « Si alterutro carere opus esset, mallemus studiis biblicis quam biblica veritate carere[1]. »

Ob. 3°. Multis in quæstionibus biblicis interpretatio Ecclesiæ authentica desideratur ; unde interpretatio Ecclesiæ insufficiens est.

jResp. Desideratur interpretatio authentica in quæstionobis non necessariis ac directa : transeat ; in quæstionibus necessariis ac saltem indirecta, nego.

Expliç. Sufficientia ac insufficientia alicuius rei semper in ordine ad determinatum finem dicuntur. lamvero finis magisterii Ecclesiæ est præcavere ab errore et manifestare veritatem, quantum necessarium est. Unde Ecclesia, quandocumque necessarium fuit, vel errorem talem qui ex natura sua vel ex rerum adiunctis periculum fidei induxit, reprobavit, vel doctrinam S. Scripturæ quæ secundum se vel ex circumstantiis cognitu necessaria fuit, declaravit ac proposuit, « ut sublatis erroribus puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservaretur[2] »

Deinde Ecclesia saltem *indirecte* quæstionibus subortis solvendis providet, per interpretationem sc. authenticam tum sensus generalis S. Scripturæ, tum locorum particularium principalium, ac non ultimo per alias doctrinas fidei catholicæ ; saltem omnis vere catholicus indicium

1. *De Ecclesia,* p. 733.
2. *Conc. Trid.,* Sess. IV ; Denz., 783.

suum indicio Ecclesiæ submittit ac inde ab errore præservatur.

9. Quoad interpretationem doctrinalem et scientificam S. Scripturæ sequentia sunt notanda.

a) Interpretatio doctrinalis-scientifica non est quorumcumque sed *est proprie theologorum.* Ultimis præsertim temporibus quicunque, absque ulla præparatione debita, S. Scripturam interpretari conantur : id quod manifeste arrogantiam et præsumptionem subaudit. S. Scriptura enim tum ratione antiquitatis tum ratione materiæ tum ratione linguæ, in qua originaliter est composita, tum denique multis aliis ex rationibus non nisi ab hominibus doctis et ad interpretandam Scripturam dispositis et præparatis vere ac recte explicari potest, saltem scientifice.

Nec minus patet, interpretationem proprie dictam S. Scripturæ nec ad philologos nec ad historicos ut tales pertinere sed *proprie ad theologos.* Scientia enim et experientia philologica et historica media quidem auxiliaria utilissima, immo necessaria erunt in S. Scriptura interpretanda, minime tamen sufficere possunt ad sensum et doctrinam S. Scripturæ interpretandam.

Finis enim et obiectum interpretationis S. Scripturæ est determinare qualis sit doctrina *verbi divini,* quid in S. Scriptura inspirata nobis tradatur divinitus. Doctrina autem divinitus tradita recte debiteque determinari nequit nisi præsupposita et applicata fide in divinam Sjripturæ originem et veritatem : unde auctores catholici et infideles necessario in Scriptura interpretanda diversificabuntur. Itaque nil quidem obstat quin S. Scriptura fiat obiectum et materia studiorum philologicorum et historicorum, at ultimum iudicium scientificum non ad historicos vel philologos, sed ad theologiam spectat, sive dogmaticam sive exegeticam sive apologeticam, etc., pro diversitate sc. materiæ.

b) Interpretatio scientifica S. Scripturæ propriis regulis ac normis atque propria methodo regitur, sc. *hermeneuticæ biblicæ.* — Sacra enim Scriptura est materia vel obiectum omnino speciale et distinctum a quolibet alio obiecto, utpote tanquam Scriptura divinitus inspirata, cuius Deus

ipse est auctor principalis et hagiographus auctor tantum instrumentalis, in qua proinde humana et divina sociantur. Unde manifestum est, pro interpretatione S. Scripturæ regulas speciales ac methodum particularem applicanda esse. Atque de facto disciplina specialis huiusmodi regulas et methodum determinat et explicat, sc. hermeneutica biblica.

c) Ad regulas hermeneuticas (et quidem scientificas) pertinet ut in S. Scriptura interpretanda *normæ dogmaticæ serventur.* Huiusmodi normæ sunt :

α) *In rebus fidei et inorum ad aedificationem doctrinae christianæ pertinentibus is pro vero sensu sacræ Scripturæ habendus est quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia :* ita Vatie, definivit. Sensus vero quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, constat primo quidem per definitiones dogmaticas, at non exclusive, sed insuper per magisterium ordinarium Ecclesiæ, per decisiones auctoritativas, licet non definitivas, generaliter per doctrinam vere catholicam. Unde necesse est interpretem huiusmodi locos eadem ratione interpretari. Neque opus exegeticum evanescit : e contra officium est interpretis ut secundum regulas hermeneuticæ et propria utendo methodo ostendat, locos illos S. Scripturæ revera habere sensum quem tenet Ecclesia ; immo « potest privatus doctor æque prodesse, si eos vel enucleatius apud fidelem plebem et ingeniosius apud doctos edisserat vel insignius evincat ab adversariis[1]. »

β) *In rebus fidei et morum non licet S. Scripturam interpretari contra sensum unanimem SS. Patrum :* ita iterum Cone. Vatie. Patet, quia consensus unanimis SS. Patrum doctrinam Ecclesiæ ipsius testificatur (cf. infra, art. 71). Doctrina vero communisSS. Patrum dupliciter intervenit: uno modo ut non liceat aliquam doctrinam tanquam doctrinam S. Scripturæ proponere quæ sit contra doctrinam communem ss. Patrum ; alio modo ut npn liceat aliquem textum particularem, qui est de re fidei et morum, contra consensum communem SS. Patrum interpretari, dummodo constet, SS. Patres illum textum proprie interpretari voluisse ac in ipsa textus interpretatione concordare. Quo

1. Leo XIII in Encycl. *Providentissimus Deus.*

sensu Leo XIII docet : « SS. Patrum summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes : nam ipsa eorum consensione ita ab apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitide eminet » (l. c.). Qua ratione eliminatur e. g. interpretatio protestantica et modernistica S. Scripturæ circa Ecclesiam, iustificationem, sacramentum Eucharistiæ, cum manifeste interpretationi consentienti SS. Patrum contradicat.

γ) *In S. Scriptura interpretanda servanda est analogia fidei,* i. e. *negative,* ut nihil tanquam sensus S. Scripturæ proponatur quod dogmatibus fidei (et doctrinæ certæ Ecclesiæ) contrarium sit, maxime dogmati inspirationis divinæ S. Scripturæ, et *positive,* ut doctrina Ecclesiæ « stella rectrix » in doctrina Scripturæ inquirenda sit. Itaque « doctrina catholica, qualis ex auctoritate Ecclesiæ accepta, tanquam summa norma est adhibenda[1]. »

Unde in luramento contra errores Modernistarum habetur : « Reprobo eam Scripturæ Sanctæ diiudicandæ atque interpretandæ rationem, quæ, Ecclesiæ traditione, analogia fidei et apostolicæ Sedis normis posthabitis, rationalistarum commentis inhæret et *criticen textus velut unicum supremamque regulam* haud minus licenter quam temere amplectitur[2]. »

Ratio est : « Cum et sacrorum librorum et doctrinæ apud Ecclesiam depositæ idem sit auctor Deus, profecto fieri nequit ut sensus ex illis, qui ab hac quoque modo discrepet, legitima interpretatione eruatur[3]. »

10. Lectio privata, sive ad ædificationem sive ad instructionem :

a) Per se est *utilissima,* ut patet[4] ;

δ) *Tamen non omnibus necessaria,* quippe quia libri sancti *Ecclesiæ* traditi sunt, non vero directe singulis fidelibus, quia nullum præceptum divinum singulos ad lectionem obligat, quia doctrina S. Scripturæ fidelibus per prædica-

1. Leo XIII, l. c.
2. Cf. Schultes, *Was beschwören wir,* p. 49-54.
3. Leo XIII, l. c.
4. Cf. Thomas a Kempis, *De Imitatione Christi,* l. IV, c. n.

tionem Ecclesiæ et per lectionem publicam S. Scripturæ sufficienter innotescit ;

c) Per se loquendo omnibus est *licita,* sc. cum non imminet periculum perversionis, sive ex debilitate rationis sive ex perversitate voluntatis sive ex quacumque alia circumstantia.

d) Merito denique *ac legitime per leges ecclesiasticas limitatur*[1], ut sc. fideles fructum copiosiorem inde percipiant ac periculum damni spiritualis evitetur.

Leges autem restrictivæ hodie sunt sequentes[2] :

a) *Normæ interpretationis* scientificæ vel doctrinalis proportionate modo etiam in lectione privata observandæ sunt.

δ) *Prohibentur* ipso iure « *ediliones* textus originalis et antiquarum versionum catholicarum, etiam Ecclesiæ Orientalis[3], *ab acalholicis* quibuslibet publicatæ ; itemque eiusdem *versiones* in quamvis linguam, ab iisdem confectæ vel editæ[4] ».

1. Clemens XI damnavit prop. 79-85 Quesnelii, inter quas prop. 80 : « Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus », et prop. 85 : « Interdicere Christianis lectionem S. Scripturæ, præsertim Evangslii, est interdicere usum luminis filiis lucis et facere ut patiantur speciem quandam excommunicationis » (Denz., 1430, 1435). — « Doctrina (Pistoriensium) perhibens, a lectione sacrarum Scripturarum nonnisi veram impotentiam excusare ; subiungens, ultro se prodere obscurationem, quæ ex huiusce præcepti neglectu orta est super primarias veritates religionis » damnata est a Pio VI ut « falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnelio damnata » (Denz., 1567).

2. Usque ad sæc. XIII nulla restrictio aut prohibitio extitit. Ob perturbationes Catharorum synodus tolosona a. 1229 S. Scripturam interdixit, synodus tarraconensis a. 1233 versionem romanicam prohibuit ; synodus oxoniensis a. 1408, ob doctrinas wiclifliarorum versiones anglicas non approbatas proscripsit (cf. Hefele, *Konzilieng.,* V[2], 982 et 1037 ; VI[2], 984). Cum vero reformatores sæc. XVI S. Scriptura quam maxime abuterentur, per interpretationem sc. falsissimam, Pius IV lectionem privatam Scripturæ in lingua vulgari iis tantum permisit qui facultatem a confessorio vel parocho vel inquisitore accepissent (sub Sixto V a S. Sede et sub Clemente VIII a Cong. Jnd.). Praxis tamen mitior fuit. Lex ipsa iam a Leone XIII reformata est.

3. C. I. C., can. 1399, 1° ; cf. exceptionem factam pro iis qui studiis theologicis vel biblicis operam dant : can. 1400.

4. Inde prohibitæ sunt editiones S. Scripturæ « societatum bibli carum » protestanticarum. De his videsis De Groot, *De Ecclesia,* p. 745 s.

c) « *Versiones* sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam *typis mandari nequeunt,* nisi sint a Sede Apostolica probatæ aut nisi edantur sub vigilantia episcoporum et cum adnotationibus praecipue excerptis ex sanctis Ecclesiæ Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus[1]. »

d) Libri sacrarum Scripturarum vel eorundem adnotationes et commentaria *edita* (etiam a laicis) non permittuntur, nisi censura ecclesiastica præcesserit[2].

Quibus denique sub conditionibus commendatur ab Ecclesia tum lectio ipsa privata tum maxime expositio popularis S. Scripturæ per praedicatores et scriptores catholicos.

1. c. I.C., can. 1391.
Can. 1385 ; cf. can. 2318, § 2.

SECTIO II

De Traditione divina[1]

Alius fons revelationis est traditio divina.-Circa quam considerabimus :

1° De *notione et existentia* traditionis divinæ (a. 62) ;

2° De traditione divina ut *fonte revelationis* et regula fidei (a. 63) ;

3° De *conservatione et transmissione* traditionis divinæ (a. 64) ;

4° De *regulis discernendi* doctrinas ad traditionem divinam pertinentes (a. 65).

ARTICULUS SEXAGESIMUS SECUNDUS

De notione et existentia traditionis divinæ

1. Notiones et divisiones. — Nomine *traditionis divinæ* proprie significantur *veritates revelatæ, Ecclesiæ oraliter communicatee.*

Traditio enim, *generaliter* accepta, aliquid a prioribus commissum, acceptum, quasi per manus traditum significat. Ita de institutis traditis, de modo vivendi vel agendi tradito et maxime de doctrina tradita loquimur.

Quo sensu generali, traditio *divina* (instituta ac) doctrinas divinitus acceptas significat.

2. *De traditione divina late et stride accepta.* — Traditio

1. Schrader C., *De theologico testium fonte deque edito fidei testimonio seu traditione ;* Franzelin, *De traditione divina ;* Billot, *De immutabilitate traditionis* ; Bainvel, *De magisterio vivo et traditione ;* Winkler M., *Der Tradilionsbegriff bis Tertullian,* 1897 ; Adhémar d'Alès, *La tradition chrétienne dans Thistoire,* in *Etudes,* 1917, p. 388-392 ; R. Schultes, *Introductio in hist, dogm.,* art. 12. G. Proulx, O. P., *Tradition et protestantisme,* Paris, 1924.

■*divina* dupliciter accipitur, sc. late vel stricte sive proprie. Traditio divina *late accepta* significat *doclrinani revelatam in Ecclesia vigentem,* per magisterium Ecclesiæ propositam, in praxi Ecclesiæ manifestatam, a SS. Patribus et theologis edoctam. Quo sensu communiter in documentis ecclesiasticis, apud S. Patres nec non apud theologos sermo est de « traditione λ1 : atque hoc sensu in libris theologicis communiter argumentum « ex traditione » conficitur.

Traditio divina *stricte vel proprie* accepta significat *doctrinas revelatas oretenus Ecclesiæ communicatas.* Vocatur *traditio* inquantum de doctrinis Ecclesiæ oretenus communicatis agitur ; est traditio *divina* inquantum agitur de doctrina divinitus revelata. *Elie nobis est sermo de traditione divina stricte vel proprie accepta,* i. e. de doctrina quam Christus Dominus et Apostoli Ecclesiæ oraliter tradiderunt.

3. *De traditione divina et divino-aposlolica.* Traditio divina quandoque distinguitur in *divinam* (vel dominicam) et *divino-apostolicam,* secundum sc. quod comprehendit vel revelationes ab ipso Christo Domino, cum in terris degeret, Apostolis et Ecclesiæ communicatas, vel revelationes post ascensum Domini ab Apostolis acceptas (cf. e. g. Act. Apost., x, 9 ss.) et fidelibus oraliter communicatas. — Ab hac traditione divino apostolica apprime distinguenda est traditio *simpliciter apostolica* quæ sc. refert mandata vel institutiones quas Apostoli sua auctoritate introduxerunt[2].

4. *De traditione activa et passiva.* Traditio divina ulterius considerari potest vel ut activa vel ut passiva (sive

1. ***II*** *Thess.,* n, 14 : « State et tenete traditiones quas didicistis » ; *1 Cor.,* xi, 2 : « Sicut tradidi vobis... » ; xi, 23 : « Accepi a Domino quod et tradidi vobis » ; cf. xv, 3 ; ludæ v. 3 : « tradita fides ». — Cone. Nie. II : « catholicæ traditio Ecclesiæ » (Denz., 302) ; « sanctorum Patrum nostrorum doctrina, id est, traditio sanctæ catholicæ Ecclesiæ » (Denz., 303) ; « si quis omnem ecclesiasticam traditionem sive scriptam sive non scriptam reicit... » (Denz., 308) ; « regulæ traditæ (Denz., 336) ; *Cone. Vatie.* : « tradita per Apostolos revelatio » (Denz., 1836) ; luramentum c. Mod. : « in traditione nihil inesse divini. »

2. Cæteras divisiones multiplices traditionis transmittimus : videsis Berthier, *De locis theologicis,* p. 12 s.

obiectiva). Traditio divina *activa* est ipsa *actio* qua Christus vel Apostoli veritates revelatas oretenus Ecclesiæ communicaverunt ; traditio *passiva* (vel obiectiva) est *ipsa doctrina* oretenus Ecclesiæ communicata : ita post ascensionem Christi in cælum certa summa veritatum a Christo oraliter communicatarum in Ecclesia extabat et similiter post mortem ultimi Apostoli.

5. *De traditione complete accepta et de traditione constitutiva.* Maximi momenti, præcipue post tempus reformationis, est distinctio inter traditionem divinam completam (vel complete acceptam) et inter traditionem distinctam vel constitutivam. Traditio *completa omnes* veritates revelatas oraliter Ecclesiæ communicatas comprehendit ; traditio vero *distincta* vel *constitutiva* illas veritates revelatas oraliter Ecclesiæ communicatas comprehendit *quæ postmodum in S. Scriptura non fuerunt consignatæ*[1].

7. *Traditio ecclesiastica.* Terminus « traditionis ecclesiasticæ » multipliciter accipitur : a) vel enim significat instituta, consuetudines, regulas ab ipsa Ecclesia, propria sua auctoritate, institutas et per sæcula traditas ; A) vel significat totam doctrinam revelatam quæ in definitionibus magisterii ecclesiastici, apud ss. Patres et theologos ac denique in doctrina Ecclesiæ extat ; c) vel significat doctrinas oraliter Ecclesiæ communicatas prout per sæcula in Ecclesia conservantur et ulterius transmissæ sunt vel adhuc extant[1].

II. Doctrina catholica. — Jam *Concil. Cpt. II* (553) professum erat : « Confitemur fidem tenere et prædicare ab initio donatam a magno Deo et Salvatore nostro Iesu Christo sanctis Apostolis et ab illis in universo mundo prædicatam[3] » : quibus verbis concilium sat expresse doctri-

1. Plures definitiones « traditionis » tantum de traditione distincta valent ; ut e. g., apud de Groot, l. c., p. 749 : « traditio est doctrina revelata, S. *Scripturis non consignata,* sed a Christo oretenus Ecclesiæ transmissa. » Huiusmodi definitiones sunt saltem ambiguæ.

2. Non pauci theologi traditionem ecclesiasticam cum magisterio Ecclesiæ identiflcant vel potius confundunt.

3. Denz., 212.

nam oraliter traditam tanquam regulam fidei statuit, licet nondum explicite inter S. Scripturam et traditionem distinguat.

Conc. Trid.[1] sibi proponit puritatem Evangelii conservare, « quod... Dominus noster Iesus Christus, Dei Filius, *proprio ore* primum *promulgavit,* deinde per Apostolos..., omni creaturæ *prædicari* iussit. « Deinde prosequitur : « (Tridentina Synodus) perspiciens, hanc veritatem et disciplinam contineri *in libris scriptis et sine scripto traditionibus* quæ (ex) ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt... *omnes libros* tum Veteris tum Novi Testamenti... *nec non traditiones ipsas,* tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tanquam vel *oretenus a Christo vel a Spiritu Sancto dictatas et continua successione in Ecclesia catholica conservatas,* pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur. » Hic iam apprime inter S. Scripturam et traditionem divinam distinguitur atque traditiones divinæ ut regula fidei distincta, S. Scripturæ par, statuntur.

Concilium Vatie., vestigiis Conc. Trid. inhærendo, definit : «fide divina et catholica ea omnia sunt credenda, quæ in *verbo «Dei scripto vel tradito* continentur et ab Ecclesia tanquam divinitus revelata credenda proponuntur[2] »; nam profitetur cumConc. Trid., quod «supernaturalis revelatio... continetur in libris scriptis *et sine scripto traditionibus*[3]. »

III. Sententiae contrariae. — *Error Proleslanlium.* — Contra doctrinam catholicam *Protestantes* tenent[4] : a) traditio divina non est locus theologicus a S. Scriptura distinctus et independens. Concedunt quidem, primitivas Christianorum communitates fidem suam orali prædicatione ab apostolis eorumque cooperatoribus accepisse ; attamen contendunt, in S. Scriptura iam completa contineri cuncta quæ sunt ad salutem necessaria, simulque cessasse obliga-

1. Sess. IV; D., 783.
2. Sess. III, c. m ; D., 1792.
3. Sess., III, c. n ; D., 1787.
4. G. Proulx, l. c., p. 1-80.

tionem fidei quantum ad doctrinas oraliter tantum praedicatas. Protestantes liberales, uti e. g. Harnack, inde concludunt, inter Christianos primitivos nullam fuisse fidem determinatam antequam S. Scriptura existeret vel recepta esset ; alii traditionem quandam admittunt, in scriptis sc. Patrum, in praxi et liturgia Ecclesiæ, in viva Christianorum generatione apparentem ; verum hæc traditio non est nisi *inhæswa* vel *declarativa* S. Scripturæ, i. e. vim suam omnem habet a S. Scriptura ac tantum veritates S. Scripturæ continet easque ad summum clarius vel distinctius exhibet. Inde traditio divina non est locus e quo independenter a.. S. Scriptura veritates divinæ ac credendæ hauriri possint (error formalis).

6) Consequenter Protestantes *negant traditionem* distinctam vel *constitutivam,* i. e. negant extare in traditione veritates divinas, ad salutem necessarias vel credendas quæ in S. Scriptura non contineantur (error mat.) Theologi catholici posttridentini (usque ad diem hodiernum) præcipue istum alterum errorem impugnant, qui tamen non est nisi corollarium primi erroris.

c) Denique Protestantes *negant conservationem* ac transmissionem immutatam traditionis primitivæ ; e contra prætendunt, traditionem primitivam mox fuisse corruptam vel defiguratam, ac certe ita periisse ut impossibile evaderet eius originem divinam vef apostolicam dignoscere.

Ita Protestantes tenent principium : « *Sola Scriptura articulos fidei condii* » vel : « Quod non est scriptum, nefas est credere. »

Error Modernistarum. Modernistæ, sicut et Rationalistæ, *primo originem divinam* traditionis negant vel in sensu pantheistico explicant. Secundum illos doctrinæ quas Christus Dominus et Apostoli praedicaverunt, non sunt veritates divinitus revelatæ neque obiective veræ, sed expressiones quædam symbolicæ experientiæ religiosæ Christi vel Apostolorum1. Ita Modernistæ primo proprie

1. Cf. Decretum «Lamentabili », prop. 20 : « Revelatio nihil aliud esse potuit quam acquisitæ ab homine suæ ad Deum relationis conscientia ».

negant constitutionem traditionis *divinae* vel communicationem veritatum divinarum, i. e. divinitus revelatarum. Deinde Modernistæ *secundo* tenent, traditionem primitivam, sive Christi sive Apostolorum, mox fuisse transfiguratam. Ita secundum illos in Evangeliis non exhibetur ipsa doctrina Christi, sed tantum tenue et incertum eius vestigium vel resonantia quædam (prop. 15 Decreti « Lamentabili »), doctrina Pauli « non est ea quam lesus docuit, sed quam de lesu concepit conscientia Christiana » (l. c. prop. 31), «dogmata quæ Ecclesia perhibet tanquam revelata (i. e. traditio Ecclesiæ) ...sunt interpretatio quædam factorum religiosorum quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit » (l. c. prop. 22).

luramentum contra errores Modernistarum optime totum ita complectitur : « In universum denique me alienissimum ab errore profiteor quo modernistæ tenent, in sacra traditione *nil inesse divini ;* aut, quod longe deterius, pantheistic© sensu illud admittunt ; ita ut nihil iam restet nisi *nudum factum* et simplex, communibus historiæ factis æquandum ; hominum nempe sua industria, solertia, ingenio scholam a Christo eiusque Apostolis inchoatam per subséquentes ætates continuantium ».

IV. Thesis I : Existunt traditiones divinae.

Hæc thesis unico argumento facile probatur. Traditio divina veritates revelatas oraliter Ecclesiæ communicatas significat. lamvero Evangelia, epistulæ Apostolorum et Actus Apost. nos edocent, Christum Dominum et Apostolos Evangelium oraliter docuisse. Huiusmodi factum stat, etiamsi Apostoli vel alii quidem auctores inspirati quasdam doctrinas prius oraliter Ecclesiæ communicatas, postmodum in scriptis tradiderunt. Simul epistulæ et Actus Apost. ostendunt, Apostolos doctrinas quas in epistulis exponunt vel inculcant, simul oraliter docuisse[1].

1. Tantum quoad Apocalypsin S. loannis quæstio esse potest, utrum sc. eius doctrina ab Apostolis etiam oraliter Ecclesiæ fuerit communicata. Id quod certe saltem indirecte contigit, inquantum sc. Apostolus librum Apocalypsis Ecclesiæ tanquam inspiratum tradidit.

Thesis II : Existunt traditiones constitutivae.

Prob. 1. Traditiones constitutivæ dicuntur veritates revelatæ, oraliter Ecclesiæ communicatæ, quæ in S. Scriptura non sunt consignatæ. Atqui existunt veritates revelatæ, Ecclesiæ oraliter communicatæ, quæ in S. Scriptura non consignantur. Ergo.

Prob. min. 1. *Christus* Dominus Evangelium oraliter docuerat neque S. Scriptura totam doctrinam Christi exhibet. Id quod certe facile constat. Nam ct) Evangelia nullibi intentionem manifestant, referendi totam doctrinam Christi, *b)* E contra Evangelia singula habent alium determinatum finem : ita Mt vult ostendere, prophetias V. T. in Iesu Christo esse impletas, ita ut Christus sit Messias exspectatus ; Mc. virtutem divinam et miracula Christi exhibet ; Lc. historiam narrat ; Ioa. divinitatem Verbi manifestat, c) Ioa., xxi, 25 expresse dicit:«Sunt autem et *alia multa* quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros. »

Idem certe, et magis, quantum ad epistulas et Actus *Apostolorum* valet. Quis enim affirmare audebit, quatuordecim epistulas S. Pauli totam eiùs doctrinam continere ? Et quid de epistulis aliorum Apostolorum.

Prob. 2. Protestantes orthodoxi admittunt inspirationem divinam certorum librorum S. Scripturæ tanquam doctrinam revelatam. Atqui talis inspiratio tum Evangeliorum tum epistularum Apostolorum ex ipsa S. Scriptura probari nequit. Ergo ab ipsis Protestanticis veritates revelatæ admittuntur quæ in S. Scriptura non sunt consignatæ.

Prob. 3. Similiter vetus Ecclesia plura fide tenebat quæ in S. Scriptura non reperiuntur : ita inspirationem et canonem S. Scripturæ, doctrinam vel praxim circa materiam et formam sacramentorum, baptismum parvulorum, validitatem baptismi ab hæreticis administrati et plura alia.

ARTICULUS SEXAGESIMUS TERTIUS

De traditione divina tanquam fonte revelationis et regula fidei

Ut art. præced., ŋ. 2 vidimus, Protestantes existentiam alicuius traditionis divinæ, saltem inhæsivæ admittunt, negant vero, traditionem divinam secundum se et independenter a S. Scriptura esse fontem ex qua doctrina revelata hauriri possit ac debeat; adeoque negant, traditionem divinam esse regulam fidei distinctam et independentem a S. Scriptura.

I. Thesis : Traditio divina est fons revelationis distinctus ac independens a S. Scriptura adeoque similiter regula fidei. — Sensus theseos est : traditio divina eo ipso et hoc solo quod oraliter Ecclesiæ est communicata, independenter a S. Scriptura, fontem constituit e quo veritates revelatæ adeoque credendæ hauriri ac determinari possunt.

II. Probatur thesis.

Prob. 1. *Ex parte Christi et Apostolorum.* Christus Dominus exigit assensum fidei divinæ ad Evangelium oretenus tantum communicatum, antequam S. Scriptura vel existeret. Cum enim dicit : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit, condemnabitur » (Mc., xvi, 16), exigit fidem in doctrinam oraliter traditam. Similiter Apostoli in omnibus epistulis, inculcando necessitatem et virtutem salutiferam fidei, fidem in doctrinam oraliter prædicatam intelligunt. Insuper Apostoli, cum saltem pars quædam S. Scripturæ existeret, expresse doctrinam oraliter traditam tamquam regulam fidei distinctam a S. Scriptura, imo tamquam regulam primariam inculcant. Ita Apostolus Paulus ad Timoth. scribit : « Tu ergo, fili mi, confortare in gratia quæ est in Christo Iesu : et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere » *(II Tim.,* n, 1-2). Et in *II Thess.,* n, 15 legimus : « Tenete traditiones

quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistulam nostram. »— Secundum igitur Christum Dominum et Apostolos traditio oralis, independenter a S. Scriptura est regula fidei vel locus theologicus.

Prob. 2. *Ex vi obligandi revelationis divinae.* Revelatio divina, etiamsi oraliter tantum communicata, inducit obligationem fidei, sc. ut revelatio divinitus facta. Quodsi huiusmodi revelatio, prius oretenus facta ac transmissa, postmodum per modum S. Scripturæ Ecclesiæ consignatur, quantum ad vim obligativam traditionis oralis, nil inde mutatur. Certe protestantium est probare, per S. Scripturam vim obligativam traditionis oralis ablatam fuisse. Atque id minime neque ex S. Scriptura neque ratione theologica probaverunt. Non ex S. *Scriptura :* nam textus adducti id tantum enuntiant quod S. Scriptura verbum Dei contineat adeoque fide digna sit ; non vero docent, traditionem credi non debere ; neque *ratione :* etenim consignatio traditionis in S. Scriptura vim et auctoritatem traditionis ipsius non afficit.

Prob. 3. *Ex praxi et doctrina Ecclesiæ.* Ecclesia vetus, a) tenet *symbolum apostolicum* tamquam regulam fidei præter S. Scripturam ; *b)* traditio divina erat *medium ordinarium* fidei constituendæ et determinandæ ; c) traditio divina erat *critérium* omnis doctrinæ ; d) Ecclesia vetus *plura dogmala admisit quæ in S. Scriptura non continentur.* Atqui in his quatuor traditio divina ut locus theologicus distinctus edocetur atque tenetur.

Prob. per partes.

Ad a) Sane constat, veterem Ecclesiam tenuisse symbolum apostolicum tanquam regulam fidei[1]. Hæc autem regula neque in S. Scriptura exhibetur, sc. formula symboli, neque ut regula inhærens S. Scripturæ statuitur, sed simpliciter tanquam *doctrina oraliter tradita el ab Ecclesia ad credendum proposita.* Unde contra hanc regulam ne quidem admittitur argumentatio ex S. Scriptura[2].

1. S. Irenjeus, *Adversus hæreses,* l. I, c. x, 1 ; I, xxn, 1 ; III, i, 2 ; III, m, 1 ; IV, xxxm, 7 ; *Epideixis,* c. vi, 100 ; Tertullianus, *De præscript. hærel.,* c. xiii ; *De virg. vel.,* c. i ; *Adversus Prax.,* c. II.

2. S. Ignatius Antioch., *ep. ad Philad.,* vm, 2 ; Tertullianus, *De præscript.,* c. xvi-xix.

Ad b. Similiter constat, in Ecclesia veteri doctrinam oraliter communicatam fuisse *medium ordinarium* quo fides determinaretur. Etenim tanquam ordinaria regula fidei statuitur fides vel prædicatio Ecclesiæ. Huiusmodi vero prædicatio. Ecclesiæ consideratur tamquam continuatio vel transmissio prædicationis Domini et Apostolorum.

Hic citanda venit maior pars effatorum veterum patrum et scriptorum ecclesiasticorum. Audiatur præ omnibus S. *Irenæus,* dicens : « Non oportet quærere apud alios veritatem quam facile est ab Ecclesia sumere ; cum apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia quæ sint veritatis, uti omnis quicumque velit sumat ex ea potum vitæ (en fontem theologicum) ! ...Propter quod oportet... quæ sunt Ecclesiæ, cum summa diligentia diligere et apprehendere veritatis traditionem. Quid enim ? Et si de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias in quibus Apostoli conversati sunt, et ab iis de præsenti quæstione sumere quod certum et re liquidum est ? Quid autem, si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis quam tradiderunt iis quibus committebant ecclesias '? [1] » Similiter *Tertullianus :* « Hinc dirigimus præscriptionem : si Dominus lesus Christus apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores quam Christus instituit... Quid autem prædicaverint, i. e. quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam non aliter probari debere nisi per easdem ecclesias quas ipsi apostoli condiderunt, ipsi iis prædicando, tam viva, quod aiunt voce, quam per epistulas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde *omnem doctrinam* quæ cum illis ecclesiis apostolicis, matricibus et originalibus fidei, conspiret, veritati deputandam, *sine dubio tenentem* quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit[2]. »

Posteriores Patres, uti iam notavimus, sub nomine doctrinæ traditæ intelligunt quidem omnem doctrinam divinam in Ecclesia conservatam, sive per prædicationem sive

1. *Adv. hær.,* l. III, c. iv, 1.
2. *De præscript.,* c. xxi ; cf. c. xxxn, 37.

per S. Scripturam acceptam ; attamen et ipsi tamquam medium vel fontem ordinarium statuunt prædicationem oralem Apostolorum. « Immotus enim, ait S. Basilius, et inviolabilis custodiendus ordo quem ex ipsa Domini voce traditum accepimus dicentis : Euntes docete Qmnes gentes[1]. » Et alibi : « Ex asservatis in Ecclesia dogmatibus et prædicationibus alia quidem habemus e doctrina scripto prodita, alia vero nobis in mysterio tradita recepimus ex traditione apostolorum, quorum utraque vim eandem habent ad pietatem[2]. »

Ad c. Doctrinam oretenus a Christo Domino vel ab Apostolis acceptam esse *critérium* omnis doctrinæ tenendæ, constans est Ecclesiæ traditio. Iam S. Ignatius Antioch, in suis epistolis Docëtistis et ludaizantibus simpliciter doctrinam oretenus acceptam opponit. Classica sunt verba *Origenis* : « Servetur ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita et usque ad præsens in ecclesiis permanens, illa sola credenda est veritas quæ in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione[3][4] »

Ouodsi SS. Patres et Concilia doctrinam Ecclesiæ tamquam critérium veritatis statuunt, quandoque quidem non distinguunt inter doctrinam oraliter acceptam et inter doctrinam in S. Scriptura consignatam ; attamen eo ipso doctrinam oraliter acceptam æqualiter ac Scripturam Sacram ut fontem revelationis admittunt.

Ad d. Iam vetus Ecclesia plures doctrinas tamquam revelatas admisit quæ ex sola S. Scriptura non constant. Ita præsertim inspirationem divinam Evangeliorum ac epistularum Apostolorum, descensum Christi ad inferos, perpetuam virginitatem B. M. V., formam sacramentorum, baptismum parvulorum, valorem baptismi ab hæreticis collati, etc. Atque huius facti Ecclesia omnino conscia erat. Unde *S. Epiphanius* scribit : « Traditione quoque opus est ; neque enim ex scripturis peti possunt omnia; idcirco alia scripto, traditionibus alia sanctissimi Apostoli reliquerunt[1]. » Et *Chrysostomus* quasi omnia concludens

1. *Epist.,* M. G., xxxii, 549.
2. *De Spiritu S.,* xxvn, 66.
3. *De princip.,* l. I, præf., n. 2.
4. *Panarium* l x i, 6.

docet : « Hinc (ex. ***II Thess.,*** n, 15) est perspicuum quod (Apostoli) non omnia tradiderunt per epistulam, sed multa etiam sine scriptis, et ea quoque sunt fide digna. Ouamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam ; est traditio, nihil quæras amplius[1]. »

Prob. 4°. *Ex duplici falso præsupposito sententiæ protestanticæ.* Protestantes enim supponunt : *primo,* quod Deus in S. Scriptura omnia tradiderit quæ ad salutem consequendam sint necessaria ; *secundo* quod ideo Deus homines ad ea sola credenda obliget quæ in S. Scriptura continentur. lamvero utrumque falso supponitur. Etenim, *primo* non cuncta revelata et credenda in S. Scriptura continentur (art. 62, *thesis II)* ; *secundo* absque ulla ratione sufficienti, immo contra rationem, asseritur, Deum per S. Scripturam vim obligandi traditionis abstulisse vel suspendisse — atque id certo saltem ex S. Scriptura probari nequit.

III. Corollaria.

Coroll. 1. Protestantes immerito proclamant : « Sola Scriptura fidei articulos tradit », vel : « Quod non legimus, nefas credamus »; e contra Cone. Trid. et Vatie, optime statuunt, credenda esse ea omnia, quæ *in verbo Dei scripto vel tradito* continentur.

Coroll. 2. Traditio divina, licet non contineat omnia facta particularia et historica, quæ in S. Scriptura narrantur, tamen *omnes doctrinas revelatas circa res fidei et morum continet :* nam omnes veritates (per se) revelatæ primitus oraliter Ecclesiæ sunt communicatæ.

Coroll. 3. Traditio divina (complete accepta) est fons *revelationis vel locus theologicus adaequatus,* sc. ex quo solo omne dogma probari potest[2].

1. In ep. II ad *Thess.,* M. G., 1 x ii, 488. Inde simul eluditur effugium Protestantium cum dicunt, veteres, e. g. Tertullianum et Irenæum, traditionem quidem historicam, non vero dogmaticam admisisse. Res enim, ut ex textibus adductis patet, omnino e contrario se habet. Id unum concedendum est, veteres instare in argumentis historicis pro veritate traditionis Ecclesiæ catholicæ : .atque summo quidem merito.

2. Cf. Berthier, O. P., *Loci Iheol.,* p. 29.

IV. Obiectiones. — Quæ in contrarium obiciuntur, non magni sunt ponderis.

Ob. 1°. Adducuntur textus, sive S. Scripturæ *(II Tim.* in, 16) sive veterum (Origenes, *In Lev.,* hom. V ; Basilius, *De fide,* c. i ; Augustinus, *De doctrina Christiana,* n, 9 ; Chhysostomus, *In Ioa.,* hom. LIX, etc.) quibus utilitas S. Scripturæ, immo necessitas probationis ex S. Scriptura enuntiatur.

Resp. Auctoritas S. Scripturæ manet intacta : sicut enim auctoritas S. Scripturæ auctoritatem traditionis non tollit,, ita auctoritas traditionis auctoritatem S. Scripturæ non afficit. Ex hac ipsa ratione theologo incumbit officium ut doctrinam assertam ex S. Scriptura probet, maxime propter inspirationem divinam S. Scripturæ. Protestantes vero immerito præsupponere videntur, catholicos S. Scripturam non admittere.

Ob. 2°. Obiciuntur textus quibus prohibetur ne. S. Scripturæ aliquid addatur (Deut., iv, 2; *Apoc.,* xxn, 18 etc.).

Resp. Illis dictis prohibetur ne doctrina humana vel qusecumque doctrina quæ in S. Scriptura non extat, tanquam doctrina vel pars S. *Scripturæ addatur* — id quod per se patet ; non vero præcipitur ne doctrina Christi, quatenus Ecclesiæ oraliter communicata est, *credatur.* Quo sensu etiam Christus pharisaeis dicit : « irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram » (Mt., xv, 6), sc. propter traditionem humanam pharisæorum, verbo Dei contrariam.

Ob. 3°. Opponitur adagium *de sufficientia* S. Scripturæ, et arguitur, secundum doctrinam catholicam S. Scripturam insufficientem et incompletam fore atque illud indignum esse Verbo Dei.

Resp. S. Scriptura dicitur et est *sufficiens,* non absolute sed *relate ad suum finem.* Sacra enim Scriptura non intendit referre omnes veritates revelatas, ad salutem necessarias (probavimus contrarium) ; quantum vero ad finem proprium est sufficiens. Insuper S. Doctrina saltem *indirecte* est *sufficiens,* inquantum sc. traditionem divinam ut alium fontem revelationis, et magisterium Ecclesiæ ut regulam proximam fidei edocet. Unde S. Scriptura *ut S. Scriptura est completa ac Deo digna,* non autem adæquat totam revelationem. Protestantes vero revelationem et S. Scripturam

confundunt, dum tamen revelatio quasi totaliter ante et præter S. Scripturam facta sit.

Ob. 4°. Opponitur : traditio est superflua saltem quoad illas veritates, quæ in S. Scriptura sunt consignatae : duplex enim fons est superfluus.

Resp. Dist. : duplex fons eiusdem rationis est superfluus, transeat ; duplex fons rationis diversae, nego. Sacra autem Scriptura et traditio sunt tum diversæ *naturæ* —: illa constituitur per scripturam inspiratam, ista per communicationem oralem, tum quoad *extensionem* — traditio continet quidem omnia per se credibilia, non vero omnia in ordine ad alia revelata ; dum e contra S. Scriptura non omnia per se revelata continet, attamen plura in ordine ad aliud credibilia exhibet, ut facta historica. Denique non traditio ad S. Scripturam, sed S. Scriptura ad traditionem accessit, non quidem ut aliquid superflui, sed ut donum abundantiæ bonitatis Dei qui sc. veritates divinas quas oraliter iam nobis communicaverat, insuper per modum scripturæ divinitus inspiratæ nobis tradidit.

Optime denique *M. Canus* rationes assignat, ob quas doctrinæ revelatæ præterquam in S. Scriptura simul in traditione nobis exhibeantur, immo quædam doctrinæ in sola traditione.

Prima ratio est ne aut ab ethnicis sacra nostra irrideantur aut vulgo etiam fidelium veniant in contemptum.

Secunda ratio est quoniam habet nescio quid latentis energiæ viva vox et in aures discipuli de auctoris ore transfusa fortius sonat.

Tertia ratio est quod ad confutandos hæreticos maior vis in traditione quam in Scriptura est[1].

1. *De locis iheol.,* III, m ; videsis ibi explicationem.

ARTICULUS SEXAGESIMUS QUARTUS

De conservatione et transmissione traditionis divinæ[1]

1. Prænotamina. — 1. *Distinctio inter constitutionem traditionis et inter illius ulteriorem transmissionem in Ecclesia.* — Traditio divina *constituitur* cum veritates revelatae Ecclesiæ oraliter communicantur : ita traditio dominica definitive constituta fuit cum Christus Dominus in ccelum ascendit, traditio vero divino — apostolica post mortem ultimi apostoli completa fuit. Huiusmodi deinde traditio per sæcula sequentia *transmitti* incepit, usque ad finem sæculi. Maxime igitur inter constitutionem et ulteriorem transmissionem traditionis divinæ distinguendum est, licet communiter per nomen traditionis significetur traditio divina *prout est in Ecclesia conservata et transmissa* vel ulterius tradita.

2. *Modi et media transmissionis traditionis divinæ.* Constitutio traditionis per solam communicationem *oralem* doctrinæ revelatæ fit, transmissio vero traditionis iam constitutæ multiplici modo haberi potest. Doctrina enim oretenus accepta conservari et ulterius transmitti potest : a) vel per ulteriorem transmissionem *oralem,* sc. per prædicationem, per instructionem religiosam, per doctrinam oralem magisterii Ecclesiæ sive ordinarii sive extraordinarii, per doctrinam oralem SS. Patrum et theologorum etc. ; *b)* vel per transmissionem *practicam,* sc. per vitam christianam, ad normam doctrinæ traditæ institutam, per cultum, tanquam confessionem et exercitium doctrinæ fidei, per sacramentorum administrationem et receptionem secundum præcepta tradita ; c) vel per medium *scripturæ,* ut per symbola et definitiones scriptas, per monumenta Conciliorum, Rom. Pontificum, per libros liturgicos, per scripta SS. Patrum et theologorum etc.

1. Cf. R. Schultes, *Introductio in hist, dogm.,* p. 239-252 262-272.

3. Huiusmodi mediis traditionis divinæ ulterius transmittendæ etiam *Sacra Scriptura* adnumeranda est Licet enim S. Scriptura ut *inspirata* habeat vim ac rationem a traditione independentem, tamen *ratione materiæ* vel *doctrinæ* quam continet, doctrinam traditionis refert atque exhibet, saltem partem eius, atque proprie ad huiusmodi doctrinam, primitus oraliter communicatam, ulterius transmittendam divinitus ordinatur, unde S. Scriptura proprie rationem medii ad traditionem conservandam et ulterius transmittendam habet.

4. Quæ *media varia et multiplicia* denique non se excludunt ad invicem, sed e contra *mutuo connecluniur atque ad invicem se adiuvant.* Una eademque igitur doctrina, tum oretenus tum in praxi tum in documentis scriptis conservari et transmitti potest. Ita doctrina fidei de Deo uno et trino, de divinitate Christi, de constitutione Ecclesiæ tum oraliter conservata est, tum per documenta scripta, tum in praxi : fides enim in unum Deum incarnatum et in eius Ecclesiam exigebat mutationem vitæ ethnicæ vel iudaicæ in vitam christianam, professionem fidei christianæ, non tantum verbis sed factis, immo usque ad martyrium, adorationem Christi, cultum christianum, susceptionem sacramentorum, obædientiam erga præpositos Ecclesiæ : quibjis omnibus fides tradita manifeste conservabatur ac transmittebatur.

II. Doctrina catholica et errores oppositi. — Secundum fidem catholicam tota traditio divina in Ecclesia catholica intacta et immutata semper est conservata, ita ut nulla doctrina traditionis divinæ negetur, nulla doctrina contraria dogmatice admittatur. Id quod evidenter ex doctrina de indefectibilitate et infallibilitate Ecclesiæ, Conciliorum et Rom. Pontificum sequitur, quorum sc. est « traditam per Apostolos revelationem sancte custodire et fideliter exponere. » Unde in luramento contra errores Modernistarum habetur : « Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam sincere recipio. »

Protestantes quam maxime incorruptam conservationem traditionis negant, defendentes e contra, traditionem mox

in Ecclesia fuisse corruptam ac mutilatam ; insuper, quod Ecclesiæ traditiones a Christo et Apostolis descenderint, existimant nullo modo posse probari ; und» concludunt, nunc ne unum quidem dogma posse ex traditione probari.

Modernistæ maxime in defiguratione et transfiguratione/ traditionis instant. /

Guentherus in eo erravit quod traditionem ad facta quaedam, quæ Apostoli viderint, et ad ideas quasdam genera/es reduxit, quæ facta et ideas Apostoli et Ecclesia suasequens deinde suo modo interpretati fuerint.

Denique hic accensendus est *error non paucorum* qui traditionem divinam *ad ideas quasdam paucas* et generales reducunt quæ postmodum evolutionem ac determinationem quandam acceperint, ita ut potius augmentum quam conservatio et. transmissio traditionis primitus constitutæ habeatur.

Quæritur igitur, utrum et quo modo traditio divina, per prædicationem Christi et Apostolorum constituta, per tempora subsequentia intacta et incorrupta conservari et et transmitti potuerit atque intacta et immutata in Ecclesia conservata fuerit.

III. Theses.

Thesis I : Traditiones divinæ in Ecclesia catholica intactae et incorruptae conservatae ac transmissae fuerunt.

Prob. 1. *Ex indefectibititate et infallibilitate Ecclesiæ.* Ecclesia, ut supra vidimus, est indefectibilis in fide, et pollet magisterio infallibili circa veritates revelatas. Atqui traditiones divinæ sunt veritates revelatæ. Ergo Ecclesia huiusmodi traditiones infallibiliter conservavit et transmisit : secus enim Ecclesia in fide defecisset vel magisterium errasset, vel negando veritatem revelatam vel definiendo doctrinam revelationi contrariam.

Prob. 2 *Ex præscriptione.* In Ecclesia catholica mutatio traditionis *a)* a priori excluditur, *b)* neque a posteriori probatur. Ergo mutatio traditionis neganda est.

Ad a. In Ecclesia catholica mutatio traditionis a priori non est admittenda sed potius excluditur. Nam primo traditio non potuisset corrumpi simul in transmissione orali, scripta et practica. Secundo mutatio non potuisset fieri

simul in tota communitate ecclesiastica. Tertio mutatio non potuisset fieri sine magna controversia et resistentia, sive quoad res fidei sive principaliter quoad res morum. Denique, et quam maxime, mutatio excluditur quia agitur de doctrina revelata et credenda et credita : doctrina enim quæ tanquam doctrina revelata et propter Dei auctoritatem tenetur, nec facile dimittitur nec per doctrinam oppositam suppleri admittitur. Itaque corruptio traditionis a priori non est admittenda sed potius excluditur.

Dixi tamen : *in Ecclesia catholica,* sc. propter conditionem specialem Ecclesiæ catholicæ. Nam in Ecclesia catholica eaque sola vigebat atque exigebatur semper uniformitas in doctrina orali, scripta et practica, in ea sola eadem fides in tota communitate vigebat atque exigebatur, in sola Ecclesia catholica mutatio doctrinæ traditæ nunquam tanquam legitima admittebatur, ac denique in sola Ecclesia catholica fides divina in totam traditionem habebatur et exigebatur. Omnes aliæ vero Ecclesiæ in aliquo horum defecerunt. Nam Protestantes e. g. vel non admittunt traditionem divinam vel non exigunt eandem in omnibus fidem vel mutationem doctrinæ traditæ admittunt. Similiter hæreses veteres evidenter a fide et doctrina antea tradita recesserunt, saltem deficiendo ab Ecclesia quam antea tanquam divinitus institutam tenuerant. Unde Ecclesia catholica eaque sola talem habet constitutionem atque conditionem ut corruptio traditionis iam a priori excludatur quantum moraliter possibile est. Quodsi nihilominus corruptio accidisset, strictissime probanda esset.

Huc accedit summum studium patrum ac doctorum Ecclesiæ ut in omnibus rebus doctrinam traditam exattissime teneant ac sequantur. Ita Conc. Nie. II : « Regiæ quasi continuati semitæ sequentesque divinitus inspiratum sanctorum Patrum nostrorum magisterium et catholicæ traditionem Ecclesiæ (nam Spiritus Sancti hanc esse novimus qui nimirum in ipsa inhabitat) definimus in omni certitudine ac diligentia...[1] » Similiter Gone. Cpt. IV[2] : « Regulas quæ sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ

1. Denz., 302.
2. Denz., 336.

tam a sanctis Apostolis quam ab orthodoxorum... Conciliis vel etiam a quolibet deiloquo Patre ac magistro Ecclesiæ traditæ sunt, servare ac custodire profitemur. » Et sic deinceps usque ad luramentum contra errores Modernistarum : « Fidei doctrinam ab Apostolis... ad nos usqué transmissam sincere recipio. »

b) Neque mutatio traditionis a posteriori probatur. Mutatio traditionis in Ecclesia, propter rationes assignatas tanquam factum historicum, publicum et manifestum apparere deberet. Nam doctrina, documenta et praxis communis alicuius societatis mutari nequeunt quin mutatio per modum facti historici, publici et manifesti appareat. Iam vero in aliis quidem Ecclesiis mutatio doctrinæ historice, publice et notorie apparet, in Ecclesia vero catholica contrarium habetur. Historici quidem protestantici et alii totis viribus huiusmodi mutationem probare conati sunt, at nihil aliud probaverunt quam explicationem et profectum doctrinæ traditæ. De cetero inter se discrepant in assignando tum tempore tum materia mutationis[1].

Prob. 3°. *Ex sufficientia mediorum transmissionis et conservationis.* Etenim Ecclesia tot et talia media habet ad traditiones conservandas ut conservatio et transmissio non tam difficilis quam facilis evadat. Medium infallibile et divinum est magisterium infallibile ; quantum ad istud optime *Canus* notat : « Ridiculum est credere apostolicas traditiones non eadem fide ac diligentia posse in cordibus fidelium asservari ac si in papyro scriberentur[2]. » Tamquam aliud medium divinum accedit S. Scriptura qua traditio divinitus confirmatur ac stabilitur. Media proprie humana sunt prædicatio et doctrina oralis, vita et praxis Christiana, documenta scripta, etc. Ad rem optime *Van Noort*[3] : « Conservatio traditionis immerito proponitur ut res perquam ardua ; siquidem traditio non est concipienda ut longa indigestaque congeries propositionum memoria retinendarum, sed potius ut summa fidei vitæque christia-

1. De hypothesi mutationum insensibilium iam supra egimus, art. 26, ŋ. II, 5 ; cf. *Introductio,* p. 240 s.
2. *De locis theol.,* l. III, c. vn.
3. *De fontibus revelationis*3, p. 106.

næ quæ quotidiana professione, usu liturgico et disciplinari, ipsisque moribus christianis maxima parte continetur et pro locorum ac temporum necessitatibus diversimode exprimitur atque in dies magis explicatur. »

Quæ omnia adhuc magis patebunt considerato *modo* conservationis et transmissionis traditionis.

Thesis II : Traditio divina in Ecclesia conservatur ac transmittitur, non quidem modo quodam mechanico sed vitali et spirituali, ita sc. quod :

a) Doctrinæ primitus traditæ successu temporum in alias formulas quodammodo vertuntur, iuxta conditionem et necessitatem temporum ;

6) Non omnes doctrinæ quocumque tempore explicite in traditione extant, sed quædam explicite, quædam implicite ;

c) Quædam doctrinæ quandoque obscurantur et quasi latitant.

Prob. Quod veritates traditæ in Ecclesia modo non quidem mechanico sed vitali et spirituali conserventur et ulterius transmittantur, per se patet : doctrinæ enim et veritates denique tantum in mente existunt ac proinde secundum conditionem intellectus conservantur et ulterius traduntur. Quæstio est potius de modo concreto quo id fit.

d) Veritates primitus traditæ successu temporum in alias atque alias formulas quodammodo vertuntur, iuxta conditionem et necessitatem hominum et temporum. — Doctrinæ traditionis iam ab initio aliquam formam determinatam induunt, apud Christum formam et expressionem semiticam, licet modo quodam divino, apud Apostolos formam iam magis græcam. Ita iam Apostoli doctrinam Christi in alias atque alias formas vel formulas quodammodo verterunt, ut facile patet ex comparatione modi loquendi Evangeliorum et epistularum S. Pauli. Neque postea aliter fieri potuit. Nam quæcumque doctrina in mentibus hominum suscipitur, ibi quodammodo elaboratur, formatur, sub alia atque alia ratione consideratur, aliis aliisque terminis et formulis exprimitur. Unde et doctrinæ traditionis successu temporum et mutatis conditionibus intellectualibus alias atque alias formas induerunt. Atque id præcipue

ob impugnationem ex parte haereticorum necessarium fuit.

Nam hæretici quasi regulariter novis quibusdam formulis usi sunt quæ sufficienter redargui non poterant nisi per novas formulas oppositas. Ita præsertim ob instantiam hæreticorum doctrinæ primitus traditæ per terminos novos expressæ et determinate sunt, ut per formulam consubstantialitatis, unionis hypostaticæ, etc. Ita, ut in decursu nostri tractatus vidimus, doctrina quoque de Ecclesia succedentibus temporibus, semper alias atque alias formas induit.

Immerito tamen Guentherus, Protestantes et Modernistе inde mutationem doctrinæ deducunt : nam una eademque veritas aliis atque aliis terminis vel formulis ⊢ uti nunc dicitur — exprimi potest. Unde traditm quidem semper novas formas induit, « sed in suo dumtaxat genere, in eodem sc. dogmate, eodem sensu eademque semper sententia[1]. »

Ad b). Non omnes doctrinæ traditionis divinæ quocumque tempore explicite in traditione extant, sed quædam explicite quædam implicite. — Primo enim non opus est totam doctrinam ab Apostolis traditam omni tempore explicite, terminis distinctis, totum sensum doctrinæ traditæ exprimentibus, in Ecclesia extare, cum sufficiat si ea quæ pro tempore et loco sunt neceàsaria, explicite cognoscantur et credantur, et aliæ doctrinæ implicite in deposito fidei contineantur. Immo contrarium sine ingenti miraculo fieri non posset. Unde depositum fidei vel traditio ex sapienti Dei consilio veritates revelatas partim explicite, partim implicite continet.

Secundo id necessario ex modo transmissionis sequitur. Cum enim doctrinæ traditæ non modo mechanico sed spirituali et vitali, in fide et in doctrina Ecclesiæ conserventur et ulterius tradantur, et quidem secundum conditionem et necessitatem temporum et hominum, necessario quolibet tempore quædam veritates magis explicite, quædam magis implicite cognoscuntur et traduntur. Ita iam Apostoli quasdam veritates magis explicite, alias vero potius impli-

1. Vinc. Lerin., *Commonit.,* xxviii.

cite tradiderunt. Ita S. Augustinus, premendo gratuitatem gratiæ, in cooperatione hominis minus insistit. Ac sic deinceps usque nostra tempora.

Quænam veritates in traditione explicite contineri oporteat, ex duplici regula determinari potest.

Prima regula : Illas veritates explicite in traditione contineri oportet quarum fides explicita pro tempore necessaria est, vel propter necessitatem salutis, vel propter necessitates vitæ christianæ (sive per se sive per accidens), vel propter necessitatem puritatis fidei conservandæ, ut si hæresis fidem corrumpens exurgat, vel quacumque ex simili causa.

Secunda regula : Omnes illæ vel tot et tales veritates explicite in traditione vel in deposito fidei contineri explicite debent in quibus aliæ veritates traditæ implicite contineantur.

Ad c. Quædam doctrinæ quandoque in traditione obscurari possunt ac quasi latitare. — Ex historia Ecclesiæ constat luculenter, quasdam veritates quandoque explicite et distincte in Ecclesia cognitas fuisse, quæ tamen postmodum vel minus explicite cognoscebantur vel etiam minus recte intelligebantur. Ita, quantum ad tractatum de Ecclesia, primatus Rom. Pontificis sæc. quinto magis perfecte cognoscebatur quam tempore schismatis occidentalis vel postea ab ipsis Gallicanis. Et sic de aliis.

In hoc facto explicando *primo excludendus* est *error Jansenistarum* qui putant traditionem in Ecclesia hoc modo obscurari posse ut fides Ecclesiæ vel dogmata ab ipsa definita et ad credendum proposita veritati revelatæ sint contraria, ita ut *veritas fidei corrumpatur :* quæ sententia evidenter infallibilitatem Ecclesiæ negat ac proinde tanquam hæretica damnata est[1].

Secundo admittendum est, accidisse in Ecclesia catholica quosdam *errores theologicos,* sc. quantum ad doctrinalem explicationem et conservationem doctrinæ traditæ, at *circa veritates quæ illo tempore non explicite sed implicite tantum proponebantur, et ita ut substantia fidei, i. e. doctrina*

1. Denz., 1501 ; cf. prop. 95. Quesnelii ; Denz., 1445.

revelala el postmodum definita, salvaretur in aliis explicite creditis et admissis. Id quod facile patebit.

a) *Factum quidem errorum theologicorum* in ipsa Ecclesia constat, teste historia dogmatum et theologiae, immo teste theologia praesentis temporis — cum multæ sint sententiae sibi oppositae, una pars illarum necessario erronea est. P) Huiusmodi autem errores non tangunt fidem ,cum omnes theologi ecclesiastici in fide conveniant et sint prompti ut definitiones Ecclesiæ admittant : agitur igitur de sola explicatione theologica vel doctrinali, γ) Deinde isti errores doctrinas important quæ non explicite in conscientia Ecclesiæ extant vel saltem non explicite sunt ab Ecclesia definitæ : ut circa primatum plures extiterunt errores, antequam primatus iurisdictionis et plenitudo potestatis supremæ Rom. Pontificis a Cone. Vatie, definiretur. 3) Insuper omnes theologi errantes in aliqua doctrina, ex altera parte principia tenent in quibus doctrina opposita et vera implicite continatur : qua ratione vel errantes totum depositum fidei tenent et edocent : ut Gallicani tenuerunt quod Rom. Pontifex sit caput totius Ecclesiæ, quod ipse sit pastor fidelium, quod super ipsum ædificata sit Ecclesia et similia, in quibus implicite potestas suprema Rom. Pontificis edocebatur atque infallibilitas. ε) Denique huiusmodi errores nunquam in tota Ecclesia existebant, immo communiter ab aliis impugnabantur, maxime vero a magisterio Ecclesiæ non approbantur.

Optime iam *Petavius* rem determinaverat : « Complures, ait, antiquorum illorum quos auctores ac testes appellamus fidei nostræ, de pluribu® dogmatibus, præsertim vero de Trinitate, multum a nobis diversa scripserunt.?, in præcipuis tamen et quæ ad summam spectant mysterii totius, ut concordes sunt ad invicem, ita et nobis congruunt... Substantiam ipsam dogmatis tenentes, in consectariis quibusdam non nihil a regula deflectunt..., in omnibus re consentientes, loquendi dumtaxat modo dissident[1] ». Optime similiter Card. Franzelin tenet, « posse

1. *De theologicis dogmatibus,* t. II, c. i, n. 12 ; cf. Schultes, *Introductio,* p. 265 ss.

quasdam veritates revelatas aliquo tempore esse obscuras, nunquam tamen posse obscurari ita, ut adversus eas praevaleat oppositus et negans consensus[1]. »

Atque hoc modo traditio divina, non obstantibus erroribus doctrinalibus et controversiis variis, intacta semper et integra in Ecclesia conservatur et ulterius traditur.

1. *De div. trad.,* thesis XXIII.

ARTICULUS SEXAGESIMUS QUINTUS

De regulis discernendi doctrinas ad traditionem divinam pertinentes

I. Status quæstionis. — Consideravimus hucusque naturam, constitutionem et conservationem simul ac transmissionem traditionis divinæ. Nunc quæritur, quomodo theologi ex traditione argumentari debeant ac possint. In qua re primo notandum est, non esse quæstionem tantum de traditione distincta vel constitutiva, sed simul et quam maxime de traditione complete accepta[1]; secundo notandum est esse quæstionem de traditione prout in Ecclesia quovis tempore extat, sive primis temporibus sive sæculis subsequentibus[2].

II. Regula generalis: omnis doctrina Ecclesiæ, ad res fidei et morum pertinens, est doctrina traditionis divinæ.

1. *Prob.* Omnis doctrina Ecclesiæ, ad res fidei et mirum pertinens, est doctrina per se revelata.

Atqui omnes doctrinæ per se revelatæ in traditione divina continentur.

Ergo omnis doctrina Ecclesiæ, ad res fidei et morum pertinens, est doctrina traditionis divinæ.

Maior patet ex dictis: nam Ecclesia nullam doctrinam, tanquam ad res fidei et morum pertinentem proponit, vel proponere potest, nisi quia est revelata et quidem per se vel ratione sui revelata.

Minor similiter constat: traditio enim divina (complete accepta) est locus adæquatus quantum ad res fidei et morum vel quantum ad doctrinas per se revelatas.

Inde patet *conclusio:* omnis doctrina fidei quam tenet

1. Plures auctores theologici quasi exclusive traditionem constitutivam considerare videntur; at immerito, cum *tota* traditio habeat vim loci theologici independentisa. S. Scriptura et ab auctoritate Ecclesiæ. Cum enim traditio complete accepta sit locus theologicus adæquatus quoad res fidei et morum, omnia dogmata ex traditione probanda sunt.

Ecclesia, necessario est doctrina revelata atque primitus oretenus ipsi communicata adeoque ad traditionem divinam pertinens.

Similiter inde explicatur qua ratione ss. Patres et multi theologi moderni doctrinam Ecclesiæ ac traditionem divinam identificent,. i. e. materialiter[1].

2. *Obiicitur. a)* Doctrina Ecclesiæ potest esse et de facto, saltem ex parte, est *hausta ex S. Scriptura.* Ergo non omnis doctrina Ecclesiæ necessario est doctrina traditionis.

Resp. Transeat antecedens ; nam multæ doctrinæ Ecclesiæ *haustæ,* i. e *cognitae,* fuerunt per medium vel ex fonte S. Scripturæ, aliæ simul ex traditione et S. Scripturæ, aliæ ex sola traditione. *Negatur* tamen *consequentia* et consequens. Etenim aliqua doctrina potest *esse* doctrina traditionis divinae, i. e. oretenus Ecclesiæ communicata, licet postmodum in Ecclesia fuerit *hausta* vel cognita ex S. Scriptura. Denique tamen gratuito supponitur, aliquam doctrinam fidei Ecclesiæ ex *sola* S. Scriptura haustam vel cognitam fuisse.

Obiicitur b) Doctrina Ecclesiæ probanda est ac probatur ex traditione. Atqui, si traditio divina identificatur cum doctrina Ecclesiæ, probatur idem per idem, i. e. habetur petitio principii. Ergo.

Resp. Transmissa maiori, min. distinguitur : probatur idem per idem sub diverso respectu, conc., sub eodem respectu, nego. Inde negatur consequens.

Explic. In argumento ,et quidem dogmatico, quod fit ex traditione, doctrina aliqua consideratur ut habens auctoritatem ex divina *revelatione ;* doctrina vero Ecclesiæ, quæ probanda suscipitur, consideratur ut proposita a *magisterio* Ecclesiæ. Argumentatio igitur fit sub alio respectu.

Eodem modo doctrina traditionis et Ecclesiæ identificatur, sc. materialiter, non vero formaliter, i. e. eadem doctrina ad traditionem et ad fidem Ecclesiæ pertinet (-- materialiter), attamen sub diverso respectu, ad traditionem sc. ut est divinitus revelata et communicata ora-

1. Minus exacte tamen est dictum alicuius : « De Ecclesia *fonte revelationis* sive de traditione ».

liter, ad fidem vero Ecclesiæ ut ab Ecclesia ad credendum proposita (et sic consideratur formaliter).

Iamvero nihil obstat quin unum atque idem, materialiter acceptum, sit simul obiectum probandum et medium probationis sub diverso respectu formali consideratum.

Atque id multo facilius patet quoad argumentum mere apologeticum vel historicum. In huiusmodi enim argumento doctrinæ, de quibus est quæstio, considerantur ut testificatæ per testimonium veterum.

3. *Notanda, a)* Doctrina traditionis non tantum ex doctrina Ecclesiæ priorum sæculorum hauriri potest, sed simul *ex doctrina præsentis Ecclesiæ,* et quidem quam maxime. Nam Ecclesia huius sæculi non minus est infallibilis quam Ecclesia primi vel secundi sæculi ; altera ex parte doctrina Ecclesiæ huius temporis iam est magis explicata et determinata quam doctrina priorum temporum : unde doctrina traditionis ex doctrina nostri temporis eadem quidem certitudine quam ex doctrina temporis præteriti, at maiori omnino facilitate hauritur.

b) Doctrina Ecclesiæ constituitur non tam per consensum omnium fidelium (ut Jansenistæ putaverunt) quam per doctrinam magisterii communis et ordinarii, per definitiones sollemnes Conciliorum et Rom. Pontificum, per decreta alia etiam non definitiva Rom. Pontificum et conciliorum, per doctrinam ss. Patrum et theologorum, uno verbo : per doctrinam *Ecclesiæ docentis.*

c) Hæc doctrina Ecclesiæ termino proprio *sensus Ecclesiæ* vocatur, ita ut sensus Ecclesiæ sit fons generalis traditionis divinæ inquirendæ et determinandæ.

d) Doctrina Ecclesiæ doctrinam traditionis non tantum nude vel quoad substantiam exhibet, sed simul *intellectum vel sensum* doctrinarum traditionis comprehendit : unde proprie *sensus* Ecclesiæ vocatur.

Maxime igitur theologo (sicut et fideli cuilibet) officium incumbit ut ad sensum vel doctrinam Ecclesiæ attendat, diligentissime eum inquirat, nullo modo ab eo discedat, sed tenacissime ac summa conscientia ipsi adhæreat, non tantum definitionibus sollemnibus sed similiter doctrinæ per magisterium Ecclesiæ ordinarium propositæ.

4. *Duplex sensus adagii : Sentire cum Ecclesia.* Veritas

il necessitas huius principii : Sentire cum Ecclesia, sequiliir tum ex magisterio Ecclesiæ tum ex identitate doctrinæ Ecclesiæ cum traditione divina ; attamen diverso sensu.. \;iin istud principium uno modo accipitur *formaliter ac* e acceptum significat *necessitatem sublectionis sub decreta* ‹7 *definitiones magisterii Ecclesiæ :* quo modo in formula lmamenti contra errores Modernistarum enuntiatur : «Me ‹4iam, qua par est, reverentia subicio totoque animo ndhæreo damnationibus, declarationibus, præscriptis omnibus... » *Alio modo* « sentire cum Ecclesia » accipitur *materialiter* atque idem significat ac *tenere doctrinam* Eclesiæ. Uti patet, utroque modo simul cum Ecclesia sentiendum est ac in concreto in idem redit.

III. Regulae particulares doctrinæ traditionis reperiendae et determinandæ vel discernendæ optime a M. *Canol* proponuntur. Sunt quatuor sequentes :

Prima regula est S. Augustini : « *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est[1] non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur[2].* » Sensus huius regulæ est : doctrina et praxis quæ *semper* in Ecclesia universa retinebatur, non quidem ut institutum positivum et ex sola auctoritate Ecclesiæ, sed ut divinitus ad constitutionem, praxim et doctrinam Ecclesiæ pertinens, est originis divinæ et apostolicæ. Impossibile enim est, aliquam doctrinam per totum tempus tanquam doctrinam divinam credi vel teneri quin sit originis divinæ vel apostolicæ ; immo iam ipsa antiquitas est signum historicum firmissimum. Ita e. g. in Ecclesia catholica semper Rom. Pontifex tanquam centrum totius Ecclesiæ tenebatur atque quæstiones graviores, præsertim fidei, ad ipsum referebantur : ex quo primatus Rom. Pontificis tanquam doctrina traditionis probatur.

In praxi et in particulari non est necessarium ut existentia talis doctrinæ vel praxis in qualibet periodo ostendatur, sed sufficit talis numerus testimoniorum quo positive ostendatur, doctrinam vel praxim illam *data occasione*

1. *De locis theol.,* m, 4.
2. *Conira Donat.,* iv, 24.

tanquam divinam admissam, affirmatam atque defensam fuisse, ut e. g. in quæstione primatus.

Secunda regula esi : « Si quod fidei dogma patres ab initio secundum suorum temporum successionem concordissime tenuerunt, huiusque contrarium ut haereticum refutarunt, quod tamen ex sacris literis non habetur, id nimirum per apostolicam traditionem habet Ecclesia. Exempla sunt : perpetua B. M. virginitas, descensus Christi ad inferos, certus Evangeliorum numerus... » Ista altera regula traditionem distinctam vel constitutivam proprie respicit ac facile patet post supra dicta. Potest tamen regula etiam sensu latiori accipi, ita sc. ut omnis doctrina quam Patres tanquam doctrinam fidei declarant, *quin ad S. Scripturam appellant,* sit doctrina traditionis divinae. Id quod eo magis valet si Patres expresse ad traditionem sese referunt. Atque de facto SS. Patres quasi omnes doctrinas fidei non tantum ex S. Scriptura confirmant, sed quam maxime ex traditione haustam esse affirmant.

Tertia regula est : « *Si quidquam est nunc in Ecclesia communi fidelium consensione probatum quod tamen humana potestas efficere non potuit, id ex apostolorum traditione necessario derivatum est.* » Regula ista proprie praxim ac potestatem Ecclesiæ respicit. Exemplum optimum habes iterum in potestate Rom. Pontificis. Quodsi enim Ecclesiæ Romanæ a S. Ignatio Antiocheno attribuitur quod præsideat universo coetui caritatis et quod simul cum Christo ecclesiam antiochenam regat, vel si ab Irenæo Ecclesiæ Romanæ potentior principalitas asdcribitur, agitur de potestate et conditione quæ ab humana potestate effici non potest ; adeoque huiusmodi potestas ex traditione divina Ecclesiæ Romanæ attribuitur. Idem dicendum est de praxi Ecclesiæ nostri temporis : quodsi in illa potestas supernaturalis asseritur, huiusmodi potestas ab Apostolis derivata, atque ab ipsis asserta esse oportet.

In sensu largiori regula tertia de omni dogmate valet. Omnis enim doctrina quæ tanquam credenda et ad depositum fidei pertinens declaratur, facultatem humanam, immo potestatem Ecclesiæ, excedit : Ecclesia enim sua auctoritate facere nequit ut aliqua doctrina, quæ revelata non sit, sit revelata atque credenda. Unde huiusmodi doctrina necessario ad traditionem divinam pertinet.

Quarta regula : « *Si viri ecclesiastici aliquod dogma vel unam quamlibet consuetudinem uno ore testentur nos ab \postolis accepisse, sine dubio cerium argumentum est, ut ila esse credamus* » Ista regula doctrinam communem SS. Pa-Irtim ac theologorum tanquam signum et testimonium certum traditionis divinæ statuit.

Uti patet, istæ quatuor regulæ Cani augeri possunt ac denique ad unam regulam reducuntur, sc. ad doctrinam vel sensum Ecclesiæ.

IV. De regula Vincentii Lerinensis. — Vincentius Lerinensis in Commonitorio, c. n, ad hanc quæstionem respondere conatur, « quonam modo certa quadam et quasi regulari via catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ pravitatis falsitate discernere » aliquis possit. Respondet : « primum divinæ legis âuctoritate (i. e. S. Scripturæ), tum deinde, ecclesiæ catholicæ traditione ». Cum vero S. Scriptura a diversis diversimode exponatur, necessitatem statuit, « ut propheticæ et apostolicæ interpretationis linea secundum *ecclesiastici et catholici sensus* normam dirigatur. »

Quomodo vero sensus catholicus determinatur ? Sequendo, respondet, universitatem, antiquitatem, consensum. Etenim « in ipsa item catholica ecclesia magnopere curandum est ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est ; hoc est enim vere proprieque catholicum. Sed hoc ita demum fiet si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem ». Tale principium hoc modo explicatur : « Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur ecclesia ; antiquitatem vero ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus quos sanctos maiores et patres nostros celebrasse manifestum est consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium vel certë pæne omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur. »

Hæc regula : id ad fidem catholicam ac ad doctrinam traditionis divinæ pertinet, « quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est », *verissima esi in sensu affirmativo, non vero in sensu negativo vel exclusive.* Veritas regulæ, in sensu affirmativo acceptæ, per se patet. Si vero regula in sensu negativo vel exclusivo accipiatur, regula

non quadrat : potest enim facillime accidere ut aliqua doctrina revelata non ubique, nec semper nec ab omnibus in ipsa Ecclesia catholica credatur vel credita fuerit. Ita infallibilitas Rom. Pontificis non semper ab omnibus et ubique credita fuit, saltem explicite. Atque ipse Lerinensis in Ecclesia catholica profectum dogmaticum statuit (c. XXIII)[1].

V. De modo argumentandi ex traditione. — Praeter argumentum ex S. Scriptura argumentum ex traditione maximi momenti et efficaciæ est, immo, ut Canus notat, « habet nescio quid latentis energiæ viva vox et in aures discipuli de auctoris ore transfusa fortius sonat[2] ». Tamen huiusmodi argumentum non raro difficultatem praebet. Quodsi quidem circa aliquam quaestionem certa extat doctrina Ecclesiæ, maxime definitio aliqua vel decisio sollemnis, vel effata expressa SS. Patrum et theologorum, res facile agitur. At in multis quaestionibus, praesertim recentioribus, testimonia expressa desiderantur : quo in casu inquirenda sunt *principia quibus doctrina, de qua agitur, implicite vel saltem virtualiter enuntiatur.* Neque huiusmodi principia deerunt, si tamen testimonia veterum non tantum quoad significationem grammaticalem, sed quoad sensum theologicum examinentur.

Idem deinde *in omni argumentatione* ex traditione observandum est. Nam, ut art. præced. notatum est, doctrinæ revelatæ succedentibus temporibus alias et alias formas induerunt, aliis et aliis conceptibus expressæ fuerunt. Inde erit theologorum ut ostendant quo modo et qua ratione doctrinæ probandæ in diversis periodis et apud diversos Patres enuntiatæ et testificatæ fuerint.

Denique argumentum ad apices perfectionis perveniet, si ostendatur evolutio et explicatio successiva doctrinarum traditionis divinæ in doctrina Ecclesiæ docentis, SS. Patrum et theologorum[3].

1. Cf. Hugueny, E., *La tradition* in *Revue des sciences phil. et théol.,* 1912, p. 710-731.
2. *De toc. th.,* in, 3.
3. Cf. Schultes, *Introductio,* p. 336-342.

CAPUT IX

De Ecclesia ut regula fidei

1. Consideratis fontibus, quibus doctrina revelata continetur atque e quibus ab ipsa Ecclesia hauritur, quæritur quo modo et quo effectu Ecclesia istam doctrinam revelatam vel depositum fidei fidelibus proponat atque perinde fidem sententiamque suorum determinet. Quæstio igitur est de Ecclesia ut regula fidei.

2. Iamvero Ecclesia doctrinam revelatam fidelibus diversimode proponit :

1° *Per definitiones dogmaticas* aliasque decisiones et decreta *Ecclesiæ docentis* sive magisterii ecclesiastici tum ordinarii tum sollemnis (cf. a. 42);

2° *Approbando* doctrinam SS. Patrum, Doctorum Ecclesiæ nec non theologrum catholicorum (cf. a. 38) ;

3° *Explicando et defendendo* doctrinam revelatam mediante usu luminis naturalis rationis.

3. Inde quadruplex erit quæstio :

1° Quo sensu et quo iure *doctrina* Ecclesiæ dicatur et sit *regula fidei,* et quo assensu tenenda sit (sectio I) ;

2° De *notione dogmatis,* de progressu dogmatico nec non de censuris ecclesiasticis (sectio II) ;

3° De *auctoritate ss. Patrum ac theologorum* (sectio III) ;

4° De *usu rationis* in doctrina revelata investiganda, explicanda ac defendenda (sectio IV).

. Hoc modo simul doctrinam de locis theologicis proponemus.

4. *De locis theologicis. — Loci theologici* dicuntur *fonles ex quibus theologi argumenta sua hauriunt,* sc. ad suas doctrinas sive investigandas sive probandas. Melchior Canus O. P., locorum magister, in suo opere *De locis theologicis* decem locos enumerat, quos sic dividere possumus :

Loci theologici

A. Loci proprii

I. Loci in quibus doctrina revelata *continetur.*
1. *S. Scriptura*
2. *Traditio divina*

II. Loci in quibus doctrina revelata directe *proponitur*
3. *Ecclesia*
4. *Concilia*
5. *Rom. Pontifex.*

III. Loci in quibus doctrina revelata (et in Ecclesia proposita) *est testificata*
6. *SS. Patres*
7. *Theologi.*

B. Loci improprii.
8. *Ratio*
9. *Philosophia*
10. *Historia*l

SECTIO I

De Ecclesia ut regula fidei

ARTICULUS SEXAGESIMUS SEXTUS

Quo sensu et quo iure doctrina Ecclesiæ sit regula fidei

Hucusque potestatem et infallibilitatem magisterii Ecclesiæ, Conciliorum et Romani Pontificis consideravimus ; nunc vero habitudo magisterii ad *fidem* nostram examinanda est — quantum sc. ad tractatum nostrum pertinet : quæ habitudo termino technico « regulæ fidei » significatur.

I. Prænotamina. — 1. Secundum dogma catholicum *fides*

1. Uti facile apparet, Canus proprie *theologos* respicit, quibusnam sc. ex fontibus aliquam doctrinam haurire ac probare valeant ; nostra vero consideratio proprie *Ecclesiam* respicit, quo sc. modo doctrinam revelatam fidelibus proponat. Itaque materia quidem tractata erit eadem, modus autem formalis considerandi diversus, sc. ille qui tractatui de Ecclesia convenit. Simul tamen, ni fallor, iste modus considerandi etiam rei considerandæ magis est proprius.

■ologica vel divina est « virtus supernaturalis qua Dei tirante et adiuvante gratia; a Deo revelata vera esse dimus, non propter intrinsecam rerum veritatem natuli rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem dus Dei revelantis qui nec falli nec fallere potest[1]. »

Obiectum materiale fidei divinæ sunt veritates a Deo revetæ. *Obiectum formale* fidei, i. e. ratio propria et immediata usM-nsus, est auctoritas Dei revelantis[2].

2. *Revelata,* quæ sunt obiectum fidei, homini dupliciter escere possunt: *immediate* a Deo, sicut Deus prophetis i tura immediate revelavit vel sicut Apostoli revelationem (mediate a Christo acceperunt ; vel *mediate,* i. e. median- ll bus illis quibus revelatio immediate facta est: ita reveatio, facta prophetis et Apostolis, ad nos pervenit.

lamvero fides catholica tenet, revelationem semel a l l factam fidelibus ad credendum *proponi per Ecclesiam* tanquam organum a Deo ad hoc institutum : Christus Ec<■lesiam tanquam custodem et magistram verbi revelati instituit. Habitudo magisterii ad fidem fidelium inde con7 Bequens exprimitur per hoc quod Ecclesia *regula fidei* dicitur.

3. *Regula* idem sonat ac mensura vel norma. Regula *lei* est regula, mensura, norma *credendorum,* i. e. norma qua determinatur quænam doctrinæ tanquam revelatæ Bint credendæ. *Ecclesia* igitur *regula fidei* dicitur *inquantum per magisterium suum auctoritative determinat quænam veritates sint divinitus revelatæ atque eas fidelibus ad credent-um proponit.* Ita veritates revelatæ manent obiectum materiale

1. *Conc. Vatic.,* Sess. III, c. m ; Denz., 1789; cf. prop. V, iurislurandi contra errores modernistarum.

2. Scholastici dicunt : obiectum formale fidei est *veritas prima :* Deus qui est veritas increata ipsa. S. Thomas, II, II, q. i, a. 1. — *Veritas* enim definitur tanquam adæquatio inter intellectum Cognoscentem et rem cognitam. Veritas igitur *creata* est adæquatio inter intellectum creatum et res ab ipso cognitas. Veritas vero prima vel increata est adæquatio inter intellectum divinum et res nb ipso cognitas. Unde fides doctrinis rev-latis assentit propter Veritatem quam revelata *in ipso intellectu* vel intelligere Dei revelantis habent : obiectum fidei est veritas prima ; cf. nostrum commentariolum ad II, II, q. i, a. 1, in *Divus Thomas* (Piacenza), I'.··?I, fuse, sing., p. 38-65.

fidei, sicut auctoritas Dei revelantis manet obiectum formale vel ratio propria et immediata assensus fidei, Ecclesia autem intervenit tanquam *medium propositionis* veritatum a Deo revelatarum adeoque credendarum[1].

4. Denique distinguitur *inter regulam proximam et remotam.* Regula proxima fidei dicitur illa norma qua veritas revelata et credenda immediate et proxime determinatur, regula *remota* dicitur fons, ex quo veritas revelata atque credenda hauritur. Regula remota fidei est S. Scriptura et traditio divina, quia veritates revelatæ in S. Scriptura et in divinis traditionibus continentur, ex quibus Ecclesia doctrinas ad credendum proponendas haurit. Regula vero proxima est Ecclesia, immo strictius doctrina Ecclesiæ, i. e. doctrina ab Ecclesia ad credendum proposita, quia per huiusmodi proxime et immediate fides determinatur.

II. Doctrina catholica. — Doctrina catholica de regula fidei hac *definitione* Cone. Vatic. exprimitur : « Fide divina et catholica ea omnia *credenda* sunt *quæ in verbo Dei* scripto vel tradito *continentur et ab Ecclesia* sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio *tanquam divinitus revelata credenda proponuntur*[2]. » Similiter doctrina de regula fidei continetur in dogmate de magisterio Ecclesiæ (art. 41), de potestate et infalbbilitate Conciliorum et Romani Pontificis : his enim omnibus statuitur, ea esse a fidelibus credenda, quæ maeisterium Ecclesiæ tanquam revelata credenda proposuerit. Reliqua iam supra, art. 41, exposuimus.

III. Sententia protestantica. — Principium protestanticum est, *solam S. Scripturam* esse regulam fidei : « Regulam aliam non habemus ut videlicet verbum Dei condat articulos fidei et præterea nemo, ne angelus quidem[3]. »

1. Apud antiquos « regula fidei «significat symbolum apostolicum Tertull., *De præscript.,* c. xm ; *De virg. vel.,* c. i ; *Adv. Prax.,* c. u ; Irenieus, *Adv. Heer.,* i, 9, 4 ; 22, 1 ; II, 27, 1 ; 28, 1 ; III, 2, 1 12, 6 ; *Epideixis,* c. m, 6 ; Augustinus, *Enchir.,* c. lvi etc.

2. Sess. III, c. m ; Denz., 1792.

3. Art. Smale., p. I, n, 13, 15.

Si quidam protestantes aliam quandam regulam admittunt, ut symbola, ea tantum auxiliariter admittunt et inquantum cum S. Scriptura convenire iudicantur. Recentiores tamen protestantes alias atque alias regulas statuunt, ut christianismum primitivum, scientiam, rationem.

In hac sententia protestantica distinguendum est inter partem negativam et positivam assertionis. *Pars* enim *negativa* excludit magisterium Ecclesiæ ut regulam fidei : atque hic est error principalis sententiæ protestanticæ de sufficientia S. Scripturæ. Pars *positiva* sententiæ ponit, S. Scripturam esse regulam fidei : et hic distinguendum est. «S. *Scriptura est quidem regula fidei remota eaque partialis, non vero regula proxima et completa*l.

IV. Inde sequentes theses.

Thesis I : Doctrina Ecclesiæ est proxima regula fidei.

Prob. 1°. *Ex magisterio Ecclesiæ.* Proxima regula fidei est norma, qua proxime et immediate determinatur quænam doctrinæ tanquam divinitus revelatæ sint credendæ et tenendæ. Atqui hoc est proprie munus magisterii Ecclesiæ, determinare et definire quænam doctrinæ sint revelatæ adeoque credendæ. Doctrina igitur catholica de regula fidei est corollarium doctrinæ de magisterio Ecclesiæ (a. 41).

Prob. 2°. *Ex testimonio veterum.* Huc referenda sunt omnia *testimonia* veterum, iam supra suis locis allata, de potestate magisterii Ecclesiæ, de potestate et infallibilitate Conciliorum et Romani Pontificis in proponendis et definiendis doctrinis de fide vel moribus ; simul huc pertinet *factum* generale historiæ Ecclesiæ, quod sc. per omnia sæcula fideles eas doctrinas crediderint, et quidem ut ex obligatione, quas Ecclesia tanquam revelatas et credendas proposuerat, determinaverat, definierat.

Ad rem optime S. *Irenæus :* « Non oportet quærere apud alios veritatem quam facile est ab Ecclesia sumere ; cum apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerit omnia quæ sint veritatis, uti omnis quicumque velit sumat ex ea potum vitæ... Propter quod oportet...

1. Modernistæ, ut patet, Ecclesiam vi -v-ı.-ıı..i'I ni ıı u .m lldei admittere nequeunt.

ea quæ sunt Ecclesiæ cum summa diligentia diligere et apprehendere veritatis traditionem[1]. »

Prob. 3°. *Ex qualitatibus doctrinæ Ecclesiæ.* Doctrina enim Ecclesia habet omnia quibus *optima* et *aptissima* regula fidei efficitur ; nam *a)* est regula *universalis* : cum magisterium Ecclesiæ ad totum depositum fidei sese extendat ; *b)* est regula *facilis* et *prompta* : cum doctrina Ecclesiæ facile omnibus innotescere possit et magisterium in omnibus quæstionibus fidei intervenire possit ; c) est regula *aptissima* : cum sit regula viva quæ hominibus rationalibus maxime conveniat ; *d)* est regula *certissima* : cum magisterium Ecclesiæ in quæstionibus fidei definiendis sit infallibile ; e) denique est regula *necessaria :* assensus enim fidei ex natura sua regulam infallibilem postulat cum fides omnem possibilitatem erroris excludat : unde solum magisterium infallibile est sufficiens regula in veritatibus fidei proponendis.

Itaque Deus, instituendo Ecclesiam tanquam regulam fidei, optime necessitatibus hominum consuluit.

Thesis II : S. Scriptura nequit esse regula fidei proxima et sufficiens.

S. Scriptura est quidem regula remota fidei, inquantum continet verbum Dei inspiratum ; simul ut regula remota habet quandam sufficientiam, inquantum omnia ad salutem necessaria *aliqua saltem ratione* in ea continentur : ita e. g. magisterium Ecclesiæ et romani Pontificis in S. Scriptura continetur et sic indirecte simul tota doctrina Ecclesiæ ; tamen S. Scriptura non est sufficiens regula proxima.

Prob. 1°. Regula fidei *sufficiens* oportet continere *totam* doctrinam revelatam. Atqui S. Scriptura non continet totam doctrinam revelatam, ut in quæstione de traditione vidimus.

Prob. 2°. Illud non potest esse regula *proxima* fidei quod *alia regula* fidei *indiget :* atqui S. Scriptura indiget alia regula fidei, tum quoad auctoritatem tum quoad explicationem. Quoad auctoritatem enim S. Scriptura ab Eccle-

1. *Adv. Hær.,* III, 4, 1.

lia tanquam verbum Dei inspiratum proponitur, quoad Mensum maxime alia regula indiget, ut tota historia exeftmeos et historiæ dogmatum manifeste ostendit[1]. Inde 'rot,estantes, tenentes solam S. Scripturam, ex hoc ipso inter sc in fide discrepant ac denique omnem fidem determinatam reliquerunt ; insuper Protestantes de 'facto alias regulas fidei præter S. Scripturam sequuntur, sc. vel inspirationem privatam vel novatores reformationis vel leientiam theologicam et exegeticam sui temporis[2].

V. Differentia inter doctrinam catholicam et protestanticam ad diversum conceptum revelationis reducitur. — Secundum conceptum protestanticum revelatio divina semel facta sibi ipsi ac libero arbitrio hominum relinquitur, ita Ut unusquisque inde sumat quod sibi placuerit vel secundum quod Spiritps S. suggesserit. Secundum vero doctrinam catholicam (sicut secundum rei veritatem) Deus Bose revelavit, ut hominibus viam salutis a Deo determinatam patefaceret[3] : inde una ex parte revelatio non relinquitur liberae voluntati hominum, sed ipsis imponitur ut fide accipienda et opere applicanda ; altera ex parte nec ipse Deus revelationem suam derelinquit, sed illam tuetur ac explicat, non quidem per novas revelationes, sed primo eam consignando in S. Scriptura divinitus inspirata, deinde instituendo Ecclesiam tanquam organum vel instrumentum Dei in custodienda et exponenda revelatione, denique illuminando Ecclesiam per assistentiam Spiritus Sancti. Hoc modo fidei doctrina quam Deus revelavit, Ecclesiæ tradita est tanquam « divinum depositum ». Itaque Deus opus salutis continuat, homines mediante Ecclesia illuminat ; fideles vero, sequendo Ecclesiam, ipsi Deo adhærent. Unde docet S. Thomas : « Formalis ratio obiecti

1. Ad rem optime S. Thomas : « Veritas fidei in S. Scriptura diffuse continetur et variis modis et in quibusdam obscure, ita quod ad eliciendum fidei veritatem ex S. Scriptura requiritur longum studium et exercitium, ad quod non possunt pervenire omnes Illi quibus necessarium est cognoscere fidei veritatem ». II, II, q. i, a. 9 ad 1.

2. Obiectiones contra utramque thesim sunt eædem ac contra magisterium Ecclesiæ (cf. art. 41).

3. *Conc. Vatic.,* Sess. III, c. n.

in fide est *veritas prima per doctrinam Ecclesiæ manifestata*[1] » vel : « Omnibus articulis fidei inhaeret fides (sc. catholica) *propter unum medium,* sc. propter veritatem primam propositam nobis in Scripturis secundum doctrinam Ecclesiæ intelligentis sane[2] ». Itaque fideles doctrinam Ecclesiæ amplectendo, ipsam amplectuntur veritatem primam[3].

VI. Fundamentum doctrinæ catholicæ de Ecclesia ut regula fidei. — Protestantes, in neganda regula fidei catholica, praeter rationem mox adductam alium simul errorem supponunt, sc. quod doctrina ipsius Ecclesiæ sit regula *aliena* a veritate divina revelationis ac insuper regula *opposita.* E contra tamen doctrina Ecclesiæ est regula *suhordinala* ac *ministerialis* veritatis divinæ, adeoque nec aliena nec opposita obiecto formali fidei, quod est veritas prima vel auctoritas Dei revelantis. Id quod optime S. Thomas edocet.

In II. II. q. v, a. 3 Angelicus Doctor hæc habet : « Formale obiectum fidei est veritas prima, secundum quod manifestatur in Scripturis Sacris et doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima. « Sensus huius dicti est : Obiectum formale fidei, i. e. ratio propria et immediata ob quam fides alicui doctrinæ assentit, est veritas quam illa doctrina in intellectu divino habet, ac quia est a Deo revelata : « non enim fides assentit alicui nisi quia est a Deo revelatum[4] ». Veritas autem prima vel increata nobis manifestatur in revelatione divina, quæ in Scripturis Sacris et divinis traditionibus continetur. Itaque eadem est doctrina vel veritas cognitionis divinæ ac S. Scripturæ vel depositi fidei. Similiter tamen doctrina fidei Ecclesiæ identificatur cum veritate divina, inquantum sc. « procedit ex veritate prima in S. Scripturis manifestata », i. e. inquantum doctrina fidei Ecclesiæ est hausta ex S. Scriptura (et traditione divina) : quæ non est aliud quam manifestatio vel revelatio cognitionis divinæ.

Inde sequitur : a) ille qui veritati primæ vel auctoritati

1. *De carit.,* a. 13 ad 6.
2. II, II, q. v, a. 3 ad 2.
3. Schaezler, *Introductio,* p. 156
4. II, II, q. i, a. 1.

i revelantis per gratiam fidei adhaeret, simul adhæret et BBsentit illis quæ in S. Scriptura traduntur ac similiter octrinæ Ecclesiæ ;

δ) ille qui doctrinæ fidei Ecclesiæ adhæret seu assentit, le. fide divina, simul S. Scripturæ et veritati primæ ad-Jlæret et assentit.

Itaque Ecclesia ut regula fidei minime nos a Deo separat Vel alienat, sed e contra Deo ut veritati primæ nos coniungit, eo sc. quod doctrina Ecclesiæ « procedit ex veritate prima in S. Scripturis manifestata », vel quia doctrina Ecclesiæ revelationem divinam infallibili! er proponit[1].

Corollaria. — *Coroll. 1. Fides divina et catholica* est *una tademque fides,* uiius idemque assensus ad veritates revelatas, tantummodo suh diverso respectu consideratus. Assensus dicitur fides *divina* inquantum fit propter auctoritatem Dei revelantis; dicitur fides *catholica* inquantum Veritas credita est ab Ecclesia definita et omnibus ad credendum proposita[2].

Coroll. ***II.*** Illi qui per cœleste fidei donum catholicæ Veritati adhæserunt atque fidem sub Ecclesiæ magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam caulem mutandi aut in dubium fidem eandem revocandi[3].

Coroll. ***III.*** Ille qui ex propria culpa et pertinaciter aliquod dogma fidei discredit (i. e. negat vel de eo dubitat) neque de aliis veritatibus fidei habet fidem divinam, sed illis alio modo quam per fidem divinam assentit, utpote oh niotivum humanum : etenim « ille qui inhæret doctrinæ Ecclesiæ tanquam infallibili regulæ, omnibus assentit, quæ Ecclesia docet[4]. »

1. Ilii Protestantes qui S. Scripturam ut divinitus inspiratam tamquam Tegulam fidei admittunt, neque Ecclesiam divinitus infallibilem tanquam regulam fidei respuere possunt : nam tum **S.** Scriptura tum doctrina Ecclesiæ pari ratione sunt instrumenta inanifestativa veritatis divinæ, quæ est obiectum fidei. — Cf. Comment. Caietani et D. Bannez in loc. cit. S. Thomæ.

2. Protestantes fidem « catholicam » communiter ita iritelligunt ac si non esset fides propter auctoritatem Dei revelantis sed propter nolam auctoritatem Ecclesiæ eamque humanam. Cf. R. Schultf.h, *Fides implicita.*

3. *Cone. Vatic.,* Sess. Ill, can. m et c. 6.

4. S. Thomas, II, II, q. v, a. 3.

ARTICULUS SEXAGESIMUS SEPTIMUS

Quo assensu doctrina ab Ecclesia proposita teneri debeat[1]

I. Triplex assensus. — Magisterium Ecclesiæ fidelibus obligationem imponit, ut doctrinas ab Ecclesia propositas assensu interiori teneant. Iamvero triplex assensus distinguendus est.

1. Assensus *fidei divinæ* est assensus quo *a Deo revelata* vera esse credimus *propter auctoritatem Dei revelantis :* est assensus absolutus et certissimus, excludens omnem formidinem, immo possibilitatem errandi. *Fides catholica* non est alia fides quam fides divina (theologica), superaddit tamen quod veritas credita est ab Ecclesia ad credendum proposita.

2. *Fides ecclesiastica*[2] dicitur *assensus quo indicia infallibilia Ecclesiæ circa connexa cum revelatis credimus.* Ratio formalis et immediata huius assensus est infallibilitas Ecclesiæ. Assensus dicitur *fides* inquantum doctrina propter auctoritatem indicii alterius, sc. Ecclesiæ, non vero ut in se cognita, tenetur; assensus dicitur fides *ecclesiastica* inquantum ratio propria et immediata assensus est auctoritas et infallibilitas Ecclesiæ. Inde patet simul distinctio fidei divinæ (theologicæ) et fidei ecclesiastic® : fides enim divina est circa ea quæ a Deo sunt revelata et in S. Scriptura et divinis traditionibus continentur, fides vero ecclesiastica est circa ea quæ cum revelatis sunt connexa ; fides

1. L. Choupin, *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du Saint-Siège.* Paris, 1907 ; A. Straub, *De Ecclesia Christi,* II, n. 963-69.

2. Terminus « fides ecclesiastica » prima vice anno 1644 ab archiepiscopo parisiens! Péréfixe adhibitus fuisse dicitur : Tournely, *De Eccl.,* q. v, a. 5. Cf. Marin-Sola, *L'évolution homogène du dogme catholique,* I, p. 406 ss.

Attamen Péréfixe nomine fidei ecclesiastic» tantum assensum religiosum significasse videtur (cf. textus apud Marin-Sola, l. c., I, 408 ss.), distinctio fidei divinæ et ecclesiastic» proprie lac. *Granado* attribuenda esse videtur : cf. MArtn-Sot l p τ =

divina assentit alicui doctrinae immediate et formaliter propter auctoritatem Dei revelantis, fides vero ecclesiastica formaliter et immediate propter auctoritatem Ecclesiæ assentit : habetur igitur distinctio tum ex parte obiecti tum ex parte rationis formalis vel motivi assensus. Uti patet fides ecclesiastica mediate vel reductive ad fidem divinam pertinet[1].

3. *Assensus religiosus* dicitur *assensus éxhibitus decretis doctrinalibus Ecclesiæ propter ipsam auctoritatem magisterii Ecclesiæ.* Ratio vel motivum huius assensus est auctoritas magisterii Ecclesiæ ut talis, abstraction» facta ab eius infallibilitate. Magisterium enim Ecclesiæ, etiam facta abstractione ab eius infallibilitate, habet auctoritatem et pondus obligandi, sc. ex obædientia Christo eiusque vices gerentibus debita : unde decreta doctrinalia Ecclesiæ habent vim obligandi ad assensum, etiamii infallibilitas non adiungatur ; tantum ad assensum *fidei* obligare non possunt quippe quia possibilitas erreris non excluditur. Itaque statuitur assensus religiosus qui est quidem *assensus,* i. e. adhæsio *mentis* ad decretum doctrinale Ecclesiæ, assensus *firmus,* i. e. qui excludit formidinem errandi, tamen non firmus super omnia, i. e. non excii dit possibilitatem erroris ; est assensus *religiosus* quia ratio eius vel motivum est religiosum, i. e. auctoritas supernaturalis magisterii Ecclesiæ. Distinctio assensus religiosi ab assensu fidei sive divinæ sive ecclesiasticæ est multiplex : conveniunt quidem in hoc quod uterque assensus est firmus et propter Deum ; distinguuntur autem in hoc quod assensus fidei est firmus super omnia, excludit non tantum formidinem errandi sed simul possibilitatem erroris, et non admittit iustam causam mutandi vel in dubium vocandi assensum — assensus vero qui dicitur religiosus non est firmus super omnia sed simpliciter et quasi de facto firmus, excludit quidem formidinem errandi, sed non possibilitatem erroris,

1. Theologi adhuc dissentiunt in determinanda habitudine lidei divinæ et ecclesiasticæ. Maior pars quidem theologorum, nl l'osch, Siinar, Schceben, Billot, Van Noort, lliekanip, linarie, Straub admittunt fidem ecclesiasticam *distinctam* a fido divina ; alii ut Glossner, Schiflini, Gardeil, Tuyærts, Marin-Sola coni rariuni tenent. Cf. Sg iiiii.t e s, *Introductio in hi.d. doi/nialum,* p. 1.30 s.

admittit causam iuotam ex qua assensus suspendatur, in dubium vocetur vel etiam denegetur. Ita in vita humana communi multis rebus vel sententiis simpliciter quidem et de facto firmiter assentimus sive propter rationes proprias sive propter auctoritatem aliorum, attamen iste assensus non est firmus super omnia, non excludit possibilitatem erroris et quandoque ex justa, immo necessaria causa in contrarium mutatur. Ita e. g. cum amico deambulo "t certus sum quod ille me nolit interficere, tamen huiusmodi certitudo possibilitatem erroris non excludit, quippe cum amicus e. g. in insaniam incidere potest ; similiter in infinitis negotiis humanis.

Distinctione igitur facta inter tripiicem assensum, quaeritur, *quænam decreta magisterii Ecclesiæ tenenda sint vel fide divina vel fide ecclesiastica vel assensu tantum religioso.*

II. Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, *quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelala credenda proponunturl.* C. I. C. can. 1323 notat : « Declarata seu definitia dogmatice res nulla intelligitur, nisi id manifeste constiterit. »

Inde, ut aliqua doctrina fide divina vel tanquam dogma sit tenenda, requiritur : *a)* ut tanquam doctrina divinitus *revelala* proponatur ; *b)* ut tanquam *credenda,* sc. fide divina, declaretur ; c) ut huiusmodi *iudicium* sit manifeste *definitivum.* Fide divina igitur et catholica credenda sunt : a) *symbola fidei* quibus sc. proprie et directe doctrina revelata credenda proponitur ; *b) definitiones sollemnes,* sive Conciliorum cecumenicorum sive Romanorum Pontificum, quæ dicuntur ex cathedra, quibus aliqua doctrina tanquam revelata et credenda proponitur, sive directe, ut e. g. in definitione Immaculatæ Conceptionis B. M.. V., sive indirecte, inquantum doctrina opposita tanquam hæretica damnatur ; c) *doctrinæ,* quæ *per magisterium ordinarium* et universale Ecclesiæ manifeste *tanquam doctrinæ revelatæ et credendæ proponuntur,* vel ab universali Ecclesia tanquam revelatæ *creduntur*[1]. Omnes huiusmodi doctrinæ, fide di-

1. *Cone. Vatic.,* Sess. III, c. m ; Denz., 1792.
2. Cf. Denz., 1683.

vina et catholica credendæ, sub nomine « dogmatis » comprehenduntur — de cuius notione in art. seq. erit quæstio.

Ratio necessitatis assensus fidei divinæ et catholicæ facile patet. Etenim ea quæ una ex parte sunt a Deo revelata, altera ex parte ab Ecclesia definitive tanquam revelata et credenda proponuntur, evidenter credenda sunt fide *divina,* et catholica, tum quia revelatio divina fidem divinam exigit tum quia Ecclesia in definienda doctrina de fide et moribus est infallibilis, tum quia Ecclesia vi magisterii divini habet ius et auctoritatem determinare credenda eaque fidei fidelium imponere.

III. Quæritur : utrum *cui sensus alicuius loci S. Scripturæ omnino constat, illum fide divina credere debeat. Resp.* Ex parte ipsius S. Scripturæ, quæcumque in ea proprie affirmantur, sunt obiectum fidei divinæ quia S. Scriptura est verbum Dei inspiratum ; ex parte *Ecclesiæ,* tota S. Scriptura in generali ad credendum proposita est, insuper textus quidem particulares, sive per definitiones sollemnes sive per magisterium ordinarium. Quodsi igitur alicui omnino constat, aliquem textum S. Scripturæ per *magisterium Ecclesiæ sive* sollemne sive ordinarium in sensu determinato ad *credendum* proponi, ad *fidem divinam* tenetur; quodsi vero aliqws *ex studio privato,* per media exegetica, sensum alicuius textus cognovisse censet, *non tenetur* ad eliciendum actum fidei circa sensum illum. In prima enim suppositione habetur doctrina revelata et ab Ecclesia ad credendum proposita ; in secunda autem suppositione *deesl propositio* ex parte Ecclesiæ adeoque obligatio fidei catholicæ. De reliquo *vix aliquis absolute certus esse potest* de sensu alicuius textus quem Ecclesia nondum explicaverit.

IV Fide ecclesiastica credenda sunt omnia iudicia infallibilia Ecclesiæ circa obiectum secundarium infallibilitatis (cf. art. 34-38). — Fide igitur ecclesiastica tenenda sunt iudicia infallibilia circa conclusiones proprie dictas vel quoad se, circa facta dogmatica, quoad canonizationem sanctorum sollemnem, quantum ad approbationem for-

malem et expressam Ordinum religiosorum et doctorum Ecclesiæ, immunitas legum disciplinarium universalium ab errore contra fidem. *Ratio* huius obligationis ex infallibiîitate Ecclesiæ facile patet[1].

V. 1 Assensu religioso tenenda sunt caetera ea iudicia doctrinalia Ecclesiæ quæ licet infallibilitatis praerogativa non sint induta, tamen ab Ecclesia ex auctoritate sua divina feruntur atque fidelibus ut tenenda et exsequenda imponuntur.

2. In particulari igitur asseisu religioso tenenda sunt :

a) *Decreta doctrinalia Romanorum Pontificum* non definitiva, tamen auctoritativa, eaque tum circa doctrinas formalit°r revelatas, tum circa connexa cum revelatis (ut circa conclusiones theologicas proprie dictas, circa facta dogmatica, etc.)

Ita expresse Cone. Vatie. : « Ecclesia quæ una cum apostoiico munere docendi mandatum accepit fidei depositum custodiendi, *ius* etiam et *officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi* ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam *(Coi.,* n, 8). Quapropter omnes Christiani fideles huiusmodi opiniones quæ fidei doctrinæ contrariæ esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesiare probatæ fuerint, non solum prohibentur ut legitimas scientiæ conclusiones defendere sed pro erroribus potius qui fallacem veritatis speciem præ se ferunt, habere *tenentur omnino*[2]. » Et alio loco[3] : « Quoniam satis non est, hæreticam pravitatem devitare nisi ii quoque errores diligenter fugiantur qui ad illam plus minusve accedunt, omnes *officii monemus,* servandi etiam constitutiones et Decreta quibus

1. Illi theologi qui vel distinctionem inter fidem divinam et ecclesiasticam negant vel conclusiones, facta dogmatica et sanctorum beatitudinem tanquam revelata considerant, per consequentiam circa huiusmodi iudicia infallibilia fidem divinam et catholicam exigunt. Cf. Marin-Sola, *L'évolution homogène,* I, 401-514. —· Sententiam nostram exposuimus in *Divus Thomas* (Piacenza), I, 1925.

2. Sess. III, c. iv ; Denz., 1798.

3. Denz., 1820.

ri væ eiusmodi opiniones quæ istic non enumerantur, ab li · Sede proscriptæ atque prohibitæ sunt[1]. »

b) « *Decisiones* ad doctrinam pertinentes quæ *a Pontificiis Congregationibus* proferuntur[2] » — eduntur enim auctoritate R. Pontificis, licet non sint infallibiles.

c) Doctrinæ et decisiones doctrinales quæ ab *episcopis* particularibus fidelibus imponuntur[3].

d) « Ea doctrinæ capita quæ *communi et constanti catholicorum assensu* retinentur ut *theologicæ veritates* et *conclusiones* ita *certæ,* ut opiniones eisdem doctrinæ capitibus adversæ, quamquam hæreticæ dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram[4]. »

4. *Ratio* necessitatis talis assensus ad prædicta est sequens : *a) auctoritas magisterii* ecclesiastici ex se, abstraction facta ab infallibilitate, ad assensum obligat : unde decretis doctrinalibus quæ directe vel indirecte fidem respiciunt, saltem assensus religiosus præstandus est ; *b) assistentia Spiritus* S. Ecclesiæ non tantum in quæstionibus definiendis promissa est, sed generaliter ad fidei depositum custodiendum, explicandum et applicandum ; c) *necessitas vitæ christianæ huiusmodi assensum exigit :* quodsi enim decretis doctrinalibus non definitivas, adeoque non formaliter infallibilibus, nullus assensus internus atque firmus deberetur, tota quasi vis magisterii evanesceret, vel Ecclesia ad infinitas definitiones definitivas adduceretur. Tanquam ratio auxilians accedit tum scientia et

1. *Cone. Vatic,* in locis adductis non distinguit inter decreta infallibilia et non-infallibilia, sed simpliciter ad *omnes* damnationes et constitutiones et ad omnia decreta doctrinalia *assensum exigit :* unde illis saltem assensus religiosus debetur, quibusdam autem decretis, ob infallibilitatem iudicii insuper fides ecclesiastica. Eodem modo etiam in lureiurando contra errores Modernistarum dicitur : « Me etiam qua *par* est, reverentia subicio totoque animo adhaereo damnationibus, declarationibus praescriptis omnibus quæ in Encyclicis litteris « Pascendi » et in Decreto « Lamentabili » continentur. »

2. *Pius IX,* Denz., 1684 ; *Decret. Lament,* prop. 8 ; Denz., 2008. *Commissio biblica* Congregationibus æquiparatur.

3. Cf. Straub. *De Ecclesia Christi,* u, n. 966 ss.

4. *Pius IX,* Denz., 1684.

auctoritas personalis sive romanorum Pontificum sive episcoporum sive theologorum sive membrorum Congregationum romanarum, tum matura deliberatio, quæ auctoritativas decisiones præcedit.

Unde fideles et præsertim theologi rationabiliter et secundum Dei voluntatem huiusmodi decretis Ecclesiæ assentiunt, sicut et in rebus humanis assentimus ex rationibus sufficientibus.

4. *Quid in casu difficultatis scientificæ agendum est ?* Diximus quod assensus religiosus non est supra omnia firmus et admittit causam iustam, assensum suspendendi, in dubium vocandi vel mutandi in contrarium : assensus enim religiosus est circa illa decreta, quæ non sunt proprie infallibilia adeoque possibilitatem erroris non excludunt. Atque de facto non raro accidit, ut viris scientiæ theologicæ deditis aliquod decretum, e. *g.* Romanorum Congregationum, doctrinæ scientific®, e g. exegeseos, contrarium esse videatur. Quid igitur in hoc casu agendum est ?

a) In casu difficultatis, ortæ ex rationibus scientificis, *non licet stalim assensum suspendere vel denegare,* sed *nova et exactior investigatio scienlifica instituenda est.* Sicut enim error in decretis Congregationum non absolute excluditur, ita multo minus in investigationibus scientificis. Ubi notandum est quod quandoque investigatio scientifica ex aliis rationibus vel fontibus procedit quam decretum ecclesiasticum : nam exegeta e. g. sententiam suam statuit ex investigatione textus secundum regulas interpretationis philologicæ et historic®, Congregatio autem forsitan iudicat secundum aliquod principium dogmaticum. Unde Congregatio secundum principium dogmaticum potest ferre certum iudicium, dum exegeta mediis suis ad certitudinem vix pervenire potest. Denique in deductionibus scientificis conclusio communiter a pluribus præsuppositis dependet in quibus error facillime intervenire potest, ita ut rarissime conclusio tanquam omnino certa defendi possit. Ex his rationibus primo standum est decreto ecclesiastico et nova investigatio instituenda.

b) Non obstantibus rationibus, etiamsi gravibus, theologus luto, i. e. rationabiliter, honeste et secundum regulas

ienliæ suæ decrelis Congregationum adhærel. Id quod ex onibus mox adductis sequitur. Stantibus enim rationi- | 8 in contrarium duplex auctoritas est in quaestione : toritas magisterii ecclesiastici et auctoritas rationis priæ. lamvero in conflictu harum duarum auctorita- | auctoritas magisterii ecclesiastici prævalet : auctoritas dm et pondus propriae sententiae est ordinis naturalis'et |" i'▮ nalis, auctoritas vero magisterii est ordinis supernaalis et divini. Inde theologus rationabiliter, i. e. ex rasione bona et sufficienti, iudicium suum indicio auctoritatis ecclesiasticae subordinat ; similiter honeste, i. e. secundum Optimas regulas morum ; denique secundum normas scientiæ theologicae, quæ sc. primario ex auctoritate Dei procedit. Inde theologus etiam in gravibus difficultatibus contra decreta militantibus *luto* decretis adhæret.

c) Quodsi tamen rationes decreto contrariae (subiective) omnino *necessariæ et convincentes* esse censeantur, *Straub*· optime sequentia statuit. « Quoniam rationabile obsequium deposcitur, licebit dissentire... licebit sive suspendendo assensum dubitare sive etiam sententiam ab edicto sacro discrepantem adhuc tanquam probabilem existimare ; nec tamen pro reverentia auctoritatis sacræ fas erit publice •contradicere, præsertim ipsi pontifici supremo, nisi forte ad lumen maius quæstioni nondum peremptorie defmitæ afferendum potestas sacra ipsa id permittit ; sed silentium servandum est quod obsequiosum vocant, vel difficultas tribunali sacro modeste exponenda est vel ad tribunal altius iudiciumque infallibile recurrendum[1]. » Adiungit tamen auctor : « Quisque videat, ne præoccupatus amore opinionis suæ ipse libere decipiat, rationem duram Domino scrutatori cordium redditurus. Namque qui assensum de quo agitur, temere detrectat, is graviter obædientiam potestati legitimæ præcipienti debitam violat ; simul eatenus contra fidem peccat, quatenus se proclivem facit ad refragandum pertinaciter potestati sacræ etiam infallibiliter fidem divinam vel ecclesiasticam præscribenti sive universe sive nominatim de veritate ea ipsa vel coniuncta ei quæ interim

1. *De Ecclesia Christi,* n, p. 347).

providendo proposita prius erat ; insuper plus sapiendo quam oportet, intemperantiæ spiritualis quæ dicitur, ille reus fit. »

d) Denique *examen scientificum* quæstionis ipsius per decretum ecclesiasticum *minime impeditur :* e contra officium erit theologorum ut secundum principia et methodum disciplinée propriæ *argumenta* pro et contra *diiudicent.* Itaque theologus, tenendo decisionem sacri tribunalis, omnes rationes quæ contra illam pugnare videntur, plene exponere poterit — servata tamen modestia et reverentia debita.

5. Itaque unusquisque Constitutiones, decisiones et decreta Romanorum Pontificum, congregationum pontificiarum et Commissionis Biblicæ, iudicia doctrinalia episcoporum et doctrinas theologice certas (si de certitudine constat) tanquam *per se* ad assensum obligantes tenere debet, licet forsitan per accidens in aliquo casu ab assensu praestando excusetur. Pessime igitur et contra principia ipsa theologica agunt illi theologi vel exegetæ vel historici qui huiusmodi decreta vel decisiones tacite vel expresse, re, dictis vel scriptis ignorare se fingunt vel simpliciter ut non considerandas tractant.

De reliquo quæcumque aliæ doctrinæ Ecclesiæ vel ab Ecclesia approbatae summa *reverentia* accipiendæ sunt. Legibus vero disciplinaribus *obœdientia* debetur[1].

VI. Obiectiones sunt triplicis generis.

Primo : contra obligationem credendi dogmata fide divina et catholica opponitur, solam revelationem divinam esse obiectum fidei divinæ.

1. *Revelationibus privatis* ab Ecclesia *approbatis* « non debetur nec potest adhiberi assensus fidei catholicæ (neque fidei ecclesiastic»), debetur tamen *assensus fidei humanæ* iuxta prudentiae regulas, iuxta quas nempe tales revelationes sunt probabiles et pie credibiles). » Benedictus XIV, *De servorum Dei beatificatione,* II, xxxii, 12. *Idem.,* l. c., III, 1 iii, 13 docet: « Sequitur posse aliquem, salva et integra fide catholica, assensum revelationibus prædictis non præstare et ab eis recedere, dummodo id flat cum debita modestia, non sine ratione et citra contemptum. » — De assensu debito an iis quibus revelationes privatæ fiunt vel ad quos diriguntur, vide l. c. III, 1 iii, n. 12 s. et auctores dogmaticos de fide.

Resp. Motivum vel obiectum formale fidei divinæ est auctoritas Déi revelantis eaque sola ; definitio vero vel auctoritas Ecclesiæ est conditio et medium, quo infallibiliter determinatur quænam doctrinæ sint divinitus revelata; adeoque propter auctoritatem Dei revelantis credendæ.

Secundo : contra fidem ecclesiasticam opponitur, omnia indicia infallibilia Ecclesia esse fide divina credenda : ita maxime Marin-Sola, l. c.

Resp. Ecclesia quidem æque infallibilis est circa revelata ipsa et circa connexa cum revelatis ; obiectum autem fidei ea sola esse possunt quæ sunt revelata. Cum igitur infallibilitas Ecclesiæ etiam ad non-revelata se extendat, minime omnia indicia Ecclesiæ, etsi infallibilia, sunt obiectum fidei divinæ[1].

Tertio : contra obligationem assensus religiosi opponitur possibilitas erroris.

Resp. Possibilitas erroris excludit assensum fidei, sive divinæ sive ecclesiastic®, non vero assensum simplicem,, ut expositum est.

1. Argumenta contraria fusius examinavimus in *Divus Thomas* (Piacenza), I (1925).

SECTIO II

De dogmate et de censuris ecclesiasticis

In doctrina Ecclesiæ adeoque in regula fidei primum locum tenent definitiones dogmaticæ aliaque iudicia doctrinalia Ecclesiæ docentis, præsertim eæ quæ nomine censurarum ecclesiasticarum vocantur. Inde in hac sectione agemus :

1° De *nolione dogmatis* (a. 68) ;

2° De *progressu dogmatico* (a. 69) et

3° De *censuris ecclesiasticis* aliisque quibusdam documentis pontificiis (art. 70).

ARTICULUS SEXAGESIMUS OCTAVUS

De notione dogmatis[1]

I. Definitio dogmatis. — *Dogma definitur : Doctrina revelata de fide vel moribus quæ in verbo Dei scripto vel tradito continetur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata definitur atque ut ab omnibus credenda proponitur.* Brevior definitio : *Dogma est doctrina revelata, ab Ecclesia ut revelata et credenda definita atque proposita.*

Hæc notio ac definitio dogmatis quoad rem expresse a Concil. Vatie, exhibetur. Illud enim *a)* docet, fide divina et catholica ea omnia esse credenda quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur (= revelata) et ab Ecclesia tanquam revelata ad credendum proponuntur[2] ; *b)* Romanus Pontifex infallibilis declaratur, cum doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit[3].

1. Cf. R. Schultes, *Introductio in hist, dogm.,* p. 7-39.
2. Sess. III, c. m ; D., 1792.
3. Sess. IV, c. iv; Denz., 1839.

Idem Concilium infallibilitatem Romani Pontificis « divinitus revelatum dogma » vocat[1]. Simul definitio dogmatis ex natura magisterii Ecclesiæ sequitur quippe cuius est, doctrinam revelatam ad credendum fidelibus proponere[2].

II. Definitio explicatur. — In definitione dogmatis duo sunt distinguenda : elementum materiale (genus) — doctrina revelata, et elementum formale (differentia specifica) = ab Ecclesia definita vel ut credenda proposita. Breviter singulas partes explicabimus.

a) Dogma est *doctrina* quædam. Doctrina significat cognitionem vel *veritatem* ad docendum vel instruendum propositam. Cum veritas sit obiectum intellectus et intellectus humanus veritatem per indicium cognoscat, affirmando sc. vel negando praedicatum de subiecto, dogma indicium importat, quod per modum propositionis exprimitur[3]. Inde distinguendum est inter rem de qua est dogma, et dogma ipsum, sc. inter rem ipsam et doctrinam de re in dogmate enuntiatam. Dogma igitur est veritas obiectiva[4].

b) Dogma est doctrina *revelata.* Revelatio de qua agitur, est revelatio *divina, supernaturalis* et *publica.* Simul supponitur revelatio *proprie et formaliter dicta.* Ecquidem consuevimus distinguere inter revelationem formalem (immediatam) et virtualem (mediatam) : at revelatio virtualis per analogiam tantum dicitur revelatio, inquantum sc. aliquid in sua causa vel in suo principio revelatur. In omni autem definitione termini definitionis proprie et formaliter sunt accipiendi ; ex eadem ratione in definitione Cone. Vatie, terminus « revelata » proprie et formaliter, i. e. pro formaliter revelatis, accipiendus est. Proindcque illæ doctrinae vel iudicia illa quæ sunt circa connexa cum revelatis, non vocantur dogmata.

c) Dogma est doctrina revelata *de fide vel moribus.* Licet cuncta formaliter revelata et cuncta quæ in S. Scriptura continentur, æqualiter sint credibilia, tamen distin-

1. l. c.
2. usu historico vocis dogmatis vide Scnm.Tiss, *Introductio,* art. I *Undem,* a. 3 de conceptibus erroneis dogmatis.
3. Thomas, I, q. xvr, a. l, 2 ; /)<: *Veril.,* q. t, a. 1-3.
t. TIU'MAs, H, II. q la. .'.

guere consuevimus inter res fidei et morum vel per se revelata et revelata in ordine ad alia tantum, similiter vox dogmatis non usurpatur nisi pro doctrinis per se revelatis, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentibus. — Distinctionem inter res fidei et morum iam supra explicavimus. Inde sequitur distinctio inter dogmata theoretica (ut e. g. de existentia angelorum) et dogmata practica (ut e. g. de necessitate orationis).

d) Dogma est doctrina revelata quæ *continetur in verbo Dei scripto vel tradito.* — Per hanc particulam fontes proprii dogmatis indicantur. Simul excluditur sententia protestantica quod sola Scriptura sit regula (remota) fidei.

Hucusque partem materialem dogmatis consideravimus, Inde doctrinæ quibus conditiones expositæ conveniunt, hodie *dogmata materialia* vocantur. Theologi vero veteres (etiam post Concil. Trid.) cum quærunt, utrum aliqua doctrina sit de fide, communiter tantum dogma materiale considerant.

e) Dogma est doctrina revelata et *ab Ecclesia definita el ad credendum proposita.* Hæc particula rationem formalem dogmatis statuit, qua sc. dogma a doctrina obiective revelata distinguitur. *Propositio* importat *iudicium* Ecclesiæ quo aliqua doctrina tanquam revelata declaratur, et insuper *præceplum* quo omnes fideles in conscientia et sub periculo salutis æternæ obligantur ut doctrinam propositam tanquam divinitus revelatàm admittant atque credant. Idem dicit terminus : *definitio ;* tantum hic expressius indicat, iudicium ac præceptum esse ultimum, finale ac definitivum. Attendendum tamen est, non omne iudicium definitivum constituere dogma, sed illud tantum quo aliqua doctrina de fide vel moribus *tanquam divinitus revelata credenda proponitur.* Recolatur etiam can. 1323, § 3, C. I. C. : « Declarata seu definita dogmatice res nulla intelligitur nisi id manifeste constiterit. » Id quod ex *signis* diiudicandum est.

Signa definitivæ sententiæ sunt : *a) formula expressa,* ut : « definimus tanquam dogma », « definimus tanquam doctrinam revelatam»; *b} formula sgmboli,* cum sc. aliqua doctrina tanquam *fide* profitenda proponitur, ut in symbolo apostolico, Nicæno — Cpto, Pii IV et in prima

parte iurisiurandi contra errores Modernistarum ; c) *declaratio* qua sententia opposita tanquam *haeretica* damnatur ; *d) pœna anathematis* vel *excommunicationis* quæ contrasentientibus infligitur — quæ tamen pœna non semper definitionem dogmaticam demonstrat cum etiam aliis indiciis, vel non infallibilibus, adiungatur ; e) *sententia Ecclesiæ :* quandoque enim tantum ex posteriori declaratione Ecclesiæ vel ex communi sententia SS. Patrum et theologorum constat, præcedentem declarationem Ecclesiæ (Cone, generalis vel Romani Pontificis) fuisse definitivam, dogmaticam vel ex cathedra. Denique non desunt decisiones de quibus inter theologos disputatur utrum sint defmitivæ an non. *f)* Propositio vel declaratio dogmatica denique fit vel *per iudicium sollemne* sive Romani Pontificis solius-definitio ex cathedra — *vel per magisterium ordinarium et universale Ecclesiæ,* cum sc. aliqua doctrina in universa Ecclesia ut revelata *creditur* vel *praedicatur* vel in instructione religiosa (in catechismis, e. g.) *docetur,* ab episcopis in orbe dispersis *promulgatur,* a SS. Patribus vel theologis consensu unanimi et constanti ut doctrina fidei *testificatur.* ***III.***

III. De veritate et immutabilitate dogmatis. — Ex notione dogmatis denique sequitur *veritas et immutabilitas absoluta dogmatis.* Hæc enim sequitur ex utroque elemento dogmatis ; primo ex eo quod veritatem divinitus revelatam continet, secundo ex eo quod hæc infallibiliter est proposita. Quæ quidem veritas et immutabilitas directe et per se sensum vel doctrinam dogmatis respicit. Unde Cone. Vatie, contra Guenther definivit : « Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiæ sensus tribuendus sit alius ab eo quem intellexit et intelligit Ecclesia, a. s.1. » Similiter definitiones ex cathedra declarantur « irreformabiles ». Mutatio tamen terminorum non excluditur, cum sc. unus idemque terminus temporibus succedentibus diversam significationem obtinere potest.

IV. Quæstio de definibilitate conclusionum theologica-

i Spss ITT can. 3 de fide et ratione, Denz., 1818, cf. n. 1800.

rum[1]. — Uti vidimus, Cdncil. Vatie, definivit, fide divina credenda esse ea quæ sunt a Deo *revelata* et ab Ecclesia tanquam revelata et credenda proposita. Iamvero revelatio distinguitur duplex : formalis (immediata) et virtualis (mediata). Inde a theologis mota est quæstio, utrum etiam virtualiter revelata credenda sint fide divina vel ab Ecclesia ut dogmata fide divina tenenda definiri possint = quæstio de definibilitate conclusionum theologicarum. Res hucusque est *controversa. Veteres scholastici* duo docent. Primo distinguunt inter articulos (symboli apostolici) et eorum conclusiones : sub nomine vero conclusionum intelligunt veritates revelatas quæ ad articulos se habent sicut conclusiones : ita e. g. doctrina de Eucharistia dicitur conclusio articuli de omnipotentia Dei[2]. Secundo scholastici docent, aliquid dupliciter ad fidem pertinere posse, sc. directe vel indirecte : directe, ut articulos fidei, indirecte ut « ea ex quibus negatis consequitur aliquid contrarium fidei » vel « corruptio articuli[3] ». Qua duplici autem doctrina veteres scholastici hoc tantum docent, primo : esse quendam ordinem vel connexionem quandam inter veritates revelatas, secundo : expositionem, explicationem vel determinationem veritatum revelatarum ad fidem pertinere, sc. post propositionem per Ecclesiam[4].

Sæc. xv communis invaluit sententia : ad fidem pertinet « veritas habita per divinam revelationem... explicite in propria verborum forma vel implicite *in bona et certa consequentia*[5] ». Quæ sententia etiam post Conc. Trid. remansit. Deinde tamen, facta distinctione inter revelationem implicitam et virtualem et inter conclusiones illativas, proprias vel quoad se et conclusiones explicativas, improprias vel quoad nos tantum, facta est simul divi-

1. Hanc quaestionem fuse tractavimus in nostro opere, *Introduclio in historiam dogmatum,* p. 115-149 ; 192-210.

2. S. Thomas, II, II, q. i, a. 8 ad 6 ; cf. Schultes, *Introd.,* p. 73 ss.

3. S. Thomas, II, II, q. xi, a. 2 ; *I Sent.,* q. xxxm, q. i, a. 3-5 ; I, q. xxxii, a. 4.

4. Schultes, *Introductio,* p. 131-149.

5. Gerson, *Opera omnia* (Antro.), tom. I, p. 27 ; cf. Schultes, *Introd.,* p. 82 et Eiusdem, *Fides implicita,* i.

sio inter theologos. Alii simpliciter defmibilitatem omnis conclusionis certæ admittunt, ut præsertim Scotistæ[1]; alii ponunt illas omnes et solas conclusiones de fide esse posse quæ cum certitudine metaphysica ex doctrina immediate revelata deducuntur[2]; alii distinguunt inter conclusiones quoad se et quoad nos, admittentes definibilitatem tantum conclusionum quoad nos. Alii denique aliter[3].

V. Distinctio inter conclusiones quoad se (proprias, illativas) et quoad nos tantum (improprias, explicativas). — 1. *Conclusio theologica* dicitur propositio vel doctrina per discursum ex veritate revelata deducta. Vocatur : « conclusio » inquantum per discursum cognoscitur ; vocatur « theologica » inquantum ex doctrina revelatur deducitur et cognoscitur : theologia enim est argumentative, ita sc. ut ex principiis revelatis ad aliquid ostendendum procedat[4]. Conclusio igitur theologica aliquam veritatem revelatam supponit ex fide, ex qua tamen mediante proprio discursu deducitur.

2. Huiusmodi conclusio theologica distinguitur in conclusionem quoad se et quoad nos tantum.

Conclusiones quoad se dicuntur doctrinæ quæ ex se, obiective, ex parte revelationis virtualiter tantum sunt revelatæ, i. e. revelatum est tantum principium, ex quo illæ doctrinæ per discursum cognosci vel deduci possunt ; *conclusiones quoad nos tantum* sunt doctrinæ, quæ secundum se, obiective, ex parte revelationis, sunt formaliter (explicite vel implicite) revelatæ, quæ tamen ex parte nostra vel quoad nostrum modum cognoscendi per discursum ex revelatione deducuntur et cognoscuntur. Patet, conclusiones quoad se simul esse conclusiones quoad nos.

1. Ita Parth. Minges, *Compend. theol.,* 240-242 ; ex thomistis præsertim M. Tuyaerts, L'évolution *du dogme* (1919).

2. Ita præsertim P. Mahin-Sola, O. P., in magna serie articulorum in *Cientia Tomista* (1911-1922) et in opere : « *La evolution homogénea del dogma catolico* » (1923), gallice : *L'évolution homogène du dogme catholique* (1924).

3. Cf. Schultes, *Introductio,* p. 116-131. Videsis ibi etiam sententiam Suarezii et Lugonis nunc inveteratam.

4. S. Thomas, I, q. i, a. 8.

3. Conclusiones quoad se alio nomine vocantur conclusiones *proprie dictæ,* conclusiones vero quoad nos tantum dicuntur conclusiones *improprie dictæ :* non quidem ac si conclusiones quoad nos tantum sint minus vere conclusiones logicæ, sed inquantum conclusiones quoad se doctrinam deducunt quæ tantum in principio est revelata, adeoque proprie et quoad se conclusiones vel consequentias deducunt, dum conclusiones quoad nos tantum doctrinam revelatam explicant, determinant.

4. Alio modo conclusiones quoad se et quoad nos distinguuntur per hoc quod conclusiones quoad se deducuntur per *syllogismum proprium,* conclusiones quoad nos vero per *syllogismum improprium.* Salmanticenses sic distinguunt : « Discursus est duplex, proprius et improprius. Prior importat motum intellectus a principiis ad effectus vel ab effectu ad sua principia : est enim progressus a notis ad ignota. Posterior vero non includit huiusmodi motum, sed *quasi in eodem punclo persistens lanium explicat* in consequenti (i. e. in conclusione) quod in præmissis non ita perspicue significatum habebatur. Ob idque illius consequentia non dicitur illativa et probativa sed tantum explicativa. Et merito, quia non est apta nata generare diversam specie notitiam a cognitione præmissarum quod videtur proprium esse discursus, sed tantum hanc perficit et illustrat. Licet appareat ratio discursus ex parte formæ, non tamen adest vera illatio aut probatio conclusionis[1]»

Syllogismus enim sub duplici ratione considerari potest. Primo modo mere formaliter, sc. ut est *forma logica* ad conclusionem deducendam ; secundo modo materialiter, sc. quantum ad *doctrinam acquirendam vel deducendam.* Quodsi syllogismus tantum formaliter consideratur, syllogismo utimur eodem modo, secundum easdem leges logicas, in cognoscendis vel deducendis explicite, implicite et virtualiter revelatis ; si vero syllogismus consideratur materialiter, i. e. ex parte materiæ vel quantum ad doctrinam deductam, aliter syllogismo utimur in cognoscendo formaliter aut virtualiter revelato : in cognoscendo sc.

I. *De fide,* disp. I, dub. ιν, η. 122 ; cf. Suarez, *De fide,* disp. 3 s. 11, n. 6.

formaliter revelato utimur syllogismo ad determinandum sensum revelationis per conceptus æquivalentes ; in cognoscendo vero virtualiter revelato utimur syllogismo ad cognoscendas consequentias revelationis formalis. In syllogismo igitur improprio doctrina in se revelata exponitur, aliis conceptibus exprimitur et cognoscitur, in syllogismo proprio sequela doctrinæ revelatæ deducitur.

5. Inde conclusiones proprie dictæ vocantur conclusiones *illativae,* conclusiones vero quoad nos conclusiones *explicativæ.*

6. Notandum tamen est, apud varios auctores distinctinctionem inter conclusionem quoad se et quoad nos vel inter syllogismum proprium et improprium aliter et aliter accipi. Thomistæ veteres, ut Capreolus, conclusionem propriam vocant illam quæ est *circa* ipsa *revelata,* illa exponendo, quam nos igitur conclusionem impropriam vocamus : atque talem conclusionem proprie theologicam vocant quia est obiectum primarium theologiæ. P. Marin-Sola conclusionem cum certitudine metaphysica deductam vocat conclusionem propriam, ita ut « conclusio propria » ipsius conclusiones quoad se et quoad nos tantum comprehendat.

Apud auctores recentiores sub nomine « conclusionis » intelligitur communiter conclusio quoad se, propria et illativa. Ad evitandam tamen confusionem necessarium est distinctio inter conclusiones explicativas (quoad nos tantum) et illativas (quoad sc).

VI. Theses.

Prop. I. Conclusiones explicativæ (quoad nos tantum, impropriae) sunt definibiles ut dogmata, sc. quoad doctrinam in eis assertam. — Hæc propositio facile probatur.

Prob. 1. *Ec Cone. Vatie.* Secundum definitionem Cone. Vatie, doctrina revelata tradita est Ecclesiæ « tanquam divinum depositum fideliter custodiendum et infallibiliter declarandum[1] » et Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est ut « traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter expone-

1. Sees. III; Denz., 1800.

rent[1]. » Atqui conclusiones quoad nos tantum sunt declarationes, explicationes "t expositones revelatorum. Ergo definiri possunt.

Prob. 2. *Ex factis historicis.* Ex historia dogmatum et Ecclesiæ luculenter constat plures doctrinas, quæ a theologis per modum deductionis cognitæ fuerunt, ab Ecclesia tanquam dogmata definita fuisse, et quidem secundum conceptus et terminos quibus a theologis propositæ fuerunt : et quidem incipiendo a definitione consubstantialitatis usque ad definitiones Vaticanas.

Prob. 3. *Ex ratione theologica.* Definibilitas alicuius doctrinæ nullo modo ex eo afficitur quod illa doctrina ex parte nostra vel a theologis ex revelatione per modum discursus cognoscitur, dummodo doctrina secundum se, ex parte sua vel ex -parte revelationis sit formaliter (explicite vel implicite) revelata. Tantummodo addimus : conclusiones quæcumque, *ut conclusiones,* sc. ut per rationem deductæ, non sunt definibiles ; tamen quoad doctrinam deductam, utpote revelatam secundum se.

Prob. 4. *Ex consensu ss. Patrum et theologorum,* qui sc. unanimiter defmibilitatem conclusionum quoad nos tantum edocent, ut in Introductione in historiam dogmatum per longum et latum exposui (art. 4).

Inde refutatur sententia Protestantium qui sc. declarationes, expositiones et explicationes revelatorum per terminos scientificos tamquam dogmata admittere recusant, utpote utrem revelationi extraneam[2].

Prop. II. Conclusiones illativae (quoad se, propriæ dictae) tanquam dogmata definiri nequeunt[3].

Prob. 1. *Ex notione dogmatis.* Tres sunt conditiones dogmatis, sc. ut sit doctrina revelata, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continetur, et ab Ecclesia tanquam revelata credenda proponatur.

1. Sess. IV ; Denz., 1836.
2. Cf. *Introductio,* art. 11 (de formulis dogmaticis).
3. Notamus, conclusionem accipiendam esse secundum sensum supra, n. v, explicatum. Si quis igitur nomine conclusionis propriæ » conclusionem *metaphysice certam* significare voluerit, *huiusmodi* « conclusiones propriæ » iterum dividends sunt in conclusiones explicativas et illativas.

Atqui hæ tres conditiones accipiendæ sunt proprie et formaliter neque tamen in conclusione theologica quoad se Verificantur. Ergo.

Maior patet ex notione dogmatis vel potius ex definitione Concilii Vaticani.

Minor probatur quoad primam partem : termini alicuius definitionis sive scientific® sive dogmatic® sunt accipiendi in sensu proprio et formali : de hoc non potest esse dubium, secus enim omnis definitio esset ambigua et æquivoca. Unde termini definitionis vaticanæ in sensu proprio et formali sunt accipiendi.

Prob. minor quoad secundam pariem : a) conclusiones théologie® illativæ vel quoad se non sunt revelat® in sensu proprio et formali : non enim formaliter, sed virtualiter tantum revelat® sunt, ut patet ex ipsa notione conclusionis proprie diet®. Insuper notandum est, distinctionem inter formaliter et virtualiter revelata non esse univocam sed *analogam* tantum, analogia sc. attributionis : virtualiter enim revelata in tantum revelata dicuntur inquantum ex revelatis deduci possunt.

β) Eodem modo patet, conclusiones quoad se minime formaliter in verbo Deo contineri, sicut nec formaliter in ipso enuntiantur.

γ) Denique conclusiones quoad se ab Ecclesia non proponuntur ut formaliter revelat® vel credend® : id quod maxime patet. Ecclesia quidem doctrinas formaliter revelatas tanquam revelatas et credendas proponit atque definit, non vero conclusiones proprie dictas. Id quod maxime ex modo damnandi doctrinas oppositas apparet : doctrinæ enim formaliter revelatis opposit® tariquam *hæreticæ* damnantur ; doctrinæ vero conclusionibus opposit® tanquam errone®.

Prob. 2. Ex natura fidei theologicæ. Dogmata fide divina sunt credenda. Atqui conclusiones theologicæ quoad se fide divina credi nequeunt. Ergo tanquam dogmata definiri non possunt.

Maior patet; *minor probatur.* Ea qu® fide divina credenda sunt, propter auctoritatem Dei revelantis credenda sunt, non vero simul propter aliam rationem formalem. Atqui virtualiter tantum revelata non possunt teneri

propter solam Dei revelantis auctoritatem, sed tenentur simul ratione discursus quo deducuntur. Ergo virtualiter revelata fide divina credi nequeunt.

Maior subsumptionis probatur ex S Thoma II, II, q m, a 3, ubi dicit : « Species cuiuslibet habitus dependet ex formali ratione obiecti ; qua sublata, species habitus remanere non potest. Formale autem obiectum fidei est veritas prima, secundum quod manifestatur in Scripturis sacris et in doctrina Ecclesiæ » i. e. prout revelatur in S. Scriptura et divina traditione. Ille igitur solus assensus est assensus fidei divinæ qui ob solam auctoritatem Dei revelantis fit.

Minor vero subsumptionis patet. Conclusiones enim theologicæ quoad se non ob solam Dei revelantis auctoritatem cognoscuntur, sed simul et proxime per discursum.

Neque dicatur, id valere ante Ecclesiæ iudicium, non vero post Ecclesiæ iudicium infallibile. Etenim Ecclesiæ iudicium quidem infallibile est, attamen non efficit ut illatio non sit illatio, sicut neque efficit ut id quod virtualiter tantum revelatum est, fiat formaliter revelatum.

Prob. 3. *Ex modo agendi Ecclesiæ.* Non potest probari, quamcumque conclusionem theologicam quoad se vel proprie dictam aliquando ab Ecclesia tanquam dognja definitam fuisse. Concedimus quidem, omnia dogmata ab Ecclesia definita, a theologis per modum conclusionis cognita fuisse, sive per modum conclusionis impropriæ sive propriæ : at hoc se tenet ex parte theologorum, dum Ecclesia doctrinam illam non ut conclusionem, sed ut doctrinam in deposito fidei explicite vel implicite contentam definivit. Id quod maxime in dogmate Immaculatæ Conceptionis B. M. V., apparet, ad quod adversarii communiter appellant ; idem tamen valet de aliis dogmatibus quæ in argumentum adducuntur.

Prob. 4. Ex consequentiis. — Secundum sententiam contrariam, quælibet consequentiæ certæ, saltem metaphysice certæ, quæ ex revelatione deduci possunt, tanquam dogmata definiri possent : id quod ad consequentias impossibiles deducit. Nam *a)* ex doctrina revelata consequentiæ *infinilæ* cum certitudine metaphysica deduci possunt, ita ut dogmata in infinitum multiplicari possent. Ex solo dogmate e. g. de existentia, de unitate et trinitate Dei tota doc-

ititia metaphysics deduci potest. Num igitur tota hæc trina tanquam dogma, et quidem divinitus revelatum, finiri possit ?

b) Secundum sententiam contrariam *depositum fidei geretur.* Doctrina enim aliqua augeri potest dupliciter, m per inventionem novorum principiorum, tum per 'I' ductionem novarum conclusionum, ut S. Thomas docet : « Scientia potest augeri secundum seipsam per additionem : sicut cum aliquis plures conclusiones geometriæ addiscit, augetur in illo habitus eiusdem scientiæ secundum speciem[1]. » Jamvero depositum fidei augeri nequit. Neque dicatur, huiusmodi augmentum esse per accidens aut tantum quoad nos. Per accidens enim et quoad nos tantum se habet explicatio, determinatio, expositio ipsius doctrinæ revelatæ (conclusiones quoad nos tantum) ; conclusiones vero quoad se ipsam substantiam doctrinæ augent, ergo quoad se, sicut habitus alicuius scientiæ per novas conclusiones secundum seipsam, secundum speciem, augetur, ut dicit S. Thomas.

c) Adversarii Ecclesiæ ipsi opponunt, in dogmatibus Ecclesiæ *admisceri doctrinæ revelatæ doctrinas extraneas* revelationi. Iamvero facile quidem ostendi potest, per expositionem et declarationem doctrinæ revelatæ nihil deposito fidei secundum se admisceri ; quis autem convincet adversarios, si admittitur, etiam conclusiones ex revelatis ut dogmata revelata definiri posse ? Nolimus iugum inutile imponere[2] !

VII. Doctrina Concilii Vaticani. — *a)* Per doctrinam modo propositam optime explicatur ac defenditur doctrina Concilii Vaticani. Huiusmodi enim Concilium in nostra quæstione duo definit. *Positive* declaratur, Romano Pontifici ad hoc Spiritum S. esse promissum ut traditam per Apostolos *revelationem* sancte *custodiret* et fideliter *exponeret* vel infallibiliter *declararet* (D. 1836-1800) ; *nega-*

1. I. II. q. m, a. 2.

2. Quoad argumenta sententiæ contrariæ videbis Marin-Sola, *Evolution homogène,* I, ch. πι-ν, v. Observationes nostras habes : *Introductio,* p. 197-203, et *Divus Thomas* (Piacenza), I, 1925 p. 83 ss. R. S. Ph. et Th., t. XIV, 1925, p. 286-302.

live edocetur, fidei doctrinam, quam *Deus revelavit, non* fuisse Ecclesiæ propositam velut philosophicum inventum, *humanis ingeniis perficiendam* (D. 1800), hominibus sc. sua industria, solertia, ingenio scholam a Christo eiusque Apostolis per subséquentes- ætates *continuantibus* (lur. c. errores Mod.). lamvero sensus harum definitionum, quantum ad quæstionem præsentem est, in definitionibus dogmaticis, i. e. in proponenda doctrina quæ fide divina sit credenda, nihil aliud haberi quam custodiam, expositionem, interpretationem et declarationem doctrinæ revelatæ. Itaque Ecclesia conclusiones quidem explicatives ut dogmata, ut fide divina credendas definit, minime vero conclusiones (obiective) illativas, quibus sc. doctrina revelata non proprie exponitur vel declaratur sed perficitur ac continuatur.

ARTICULUS SEXAGESIMAL'S.

De progressu dogmatiUQ

Ex notione magisterii Ecclesiæ *Hλ* doctrina de progressu dogmatico sej

1. Doctrina catholica. — ConcilJ hldistas, Protestantes et Guenth^ tanquam fidei doctrinam statuit : •quam Deus revelavit, velut philosopiuvim- posita est humaris ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum... *fideliter custodienda et infallibiliter declaranda.* » Idem principium sub alia ratione his verbis enun- '.tiatur :'« Neque Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, *traditam per Apostolos revelationem seu ' fidei depositum* sancte custodirent et *fideliter exponerent*[2]. » Cone. Vatie, igitur *progressum dogmaticum* edocet qui fit *per infallibilem declarationem et fidelem expositionem doctrines revelatæ.* — Inde Cone, concludit : « Hinc sacrorum quoque *dogmatum is sensus perpetuo est retinendus* quem semel declaravit sancta mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiæ specie et nomine recedendum. *Crescat* igitur... et multum vehementerque proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia : sed in suo dumtaxat genere, in eodem sc. dogmate, eodem sensu eademque sententia[3]. « His

Ratio- ncipium *doctrina* .tum pro-

1. Doctrinam de progressu dogmatico fuse exposuimus in nostro opere : *Introductio in historiam dogmatum,* p. 46-296. Videsis opus præclarum P. Marin-Sola, *L'évolution homogène du dogme catholique.* Literaturam videsis : *Introductio,* p. 149-152.

2. Denz., 1800. 1836.

3. Ultima pars desumpta est ex *Commonit. l* Vincentii Leriiiensis, n. 28.

verbis Concilium immutabilitatem doctrinæ in explicatione et expositione progrediente enuntiat.

Contra errores Modernistarum *lusiurandum a Pio X* propositum doctrinam Cone. Vatie, sic récapitulât atque applicat : « Quarto : fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam sincere recipio ; ideoque prorsus reficio haereticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo quem prius habuit Ecclesia ; pariterque damno errorem omnem quo divino deposito, Christi sponsæ tradito ab eaque fideliter custodiendo, sufficitur philosophicum inventum, vel creatio humanæ conscientise, hominum conatu sensim efïormatæ et in posterum indefinito progressu perficiendae. » In altera parte iurisiurandi additur : « In universum denique me alienissimum ab errore profiteor quo moderniste tenent; in sacra traditione nil inesse divini ; aut, quod longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt ; ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiæ factis æquandum ; hominum nempe sua industria, solertia, ingenio scholam a Christo eiusque Apostolis inchoatam per subsequent.es aetates continuantium. » Itaque progressus dogmaticus declaratur tamquam *explicatio el expositio fidelis doctrinae divinitus revelatae sub infallibili assistentia Spiritus S.*

II. Sententiæ contrariae[1]. — *Hationalistæ* tenent, evolutionem dogmatum esse evolutionem cognitionis humanæ circa quæstiones religionis eamque «pure humanam. *Protestantes,* negantes magisterium infallibile Ecclesiæ, consequenter propositionem dogmatum simpliciter reiciunt atque dogmata Ecclesiæ catholicæ sicut et symbola sectarum protestanticarum nec non totam doctrinam theologicam considerant tanquam explicationem plus minusvc veram doctrinæ evangelicæ, fallibilem ac multipliciter erroneam ; simul prætendunt, dogmata definita continere additamenta revelationi extranea, immo contraria.

1. Cf. nostram expositionem in *Introductio in historiam doainatum,* p. 27-38 ; 153-156.

Modernistæ considerant evolutionem dogmatum tanquam evolutionem vel explicationem sensus religiosi vel conjscientiæ humanæ, proportionatam conditioni moralitatis, culturæ et scientiæ temporum, ita ut dogmata sint symbola tantum et similitudines tum sensus religiosi tum rerum divinarum, defigurationes et transfigurationes factorum historicorum. *Guenther* docuit, per Ecclesiam succedentibus temporibus proponi explicationem revelationis relative veram, proportionatam conditioni ac perfectioni scientiae determinati temporis eique magis accomodatam. — Notetur etiam error abbatis *loachim de Floris,* secundum cuius doctrinam explicatio fidei tres haberet gradus et in ultima periodo ad explicationem litteralem Evangelii sequeretur explicatio pure spiritualis... Evangelium æternum. De errore denique Synodi Pistoriensisl supra in quæstione de traditione tractavimus.

III. Theses.

Prop. I : Profectus dogmaticus est necessario in Ecclesia ponendus.

Prob. 1. *Christus progressum dogmaticum promittit.* Christus instituendo magisterium Ecclesiæ, ipsi officium, ius a‹· potestatem commisit, prædicandi Evangelium usque ad finem mundi et docendi omnes gentes ; simul promisit Spiritum S. ad custodiam infallibilem veritatis revelatæ et nt. doceret omnem veritatem. Atqui his verbis Christus progressum dogmaticum promittit. Secundum enim voluntatem et promissionem Christi Ecclesia omni tempore et omnibus populis doctrinam evangelicam fideliter et sincere prædicabit, eamque contra corruptores et falsos doctores intactam et immutatatm defendet et conservabit; Ecclesia, quacumque quæstione vel difficultate exorta, populos ea docebit quæ Christus dixerat; Ecclesia, assistente Spiritu Sancto, omnem doctrinam Christi explicabit : quæ omnia profectum dogmaticum pronuntiant. Quem denique Christus expresse his verbis promittit : « *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* » (Joa., xvi, 12 s.).

Prob. 2. *Apostoli profectum dogmaticum via facti edocent.* Etenim « acceptis mandatis... Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus Sancti fiducia egressi sunt adnuntiantes regni Dei adventum » (I *Clem.,* xlii, 3), anathematizantes eos qui evangelizarent « præterquam quod evangelizamus vobis » *(Gal.,* i, 8) ; explicaverunt Evangelium Christi, ut præsertim Paulus in epistulis suis ; in Conc. Apostolico quæstiones fidei exortas definiverunt *(Act.,* xv) ; doctrinam a Christo acceptam aliis atque aliis terminis vel formulis gentibus proposuerunt.

Prob. 3. *Ecclesia* Apostolos subsequens similiter *via facti progressum dogmaticum edocet :* nam Evangelium Christi tanquam fide divina credendum prædicat, symbolum apostolicum tanquam « regulam fidei » proponit, tuetur atque explicat, primo quidem per magisterium ordinarium, mox vero per declarationes et definitiones particulares ; contra Gnosticos veritatem divinam atque absolutam fidei ehristianæ et S. Scripturæ utriusque Testamenti defendit; doctrinam traditam mox terminis ac formulis novis exprimit atque explicat ; damnat Arianos, Nestorianos, Pelagianos et alios hæreticos.

Prob. 4. *SS. Patres* una ex parte *profectum dogmaticum* in Ecclesia existentem *tanquam legitimum agnoscunt.* altera ex parte mox doctrinam de progressu dogmatico proferunt. Ita iam *Origenes*[1] distinguit duplex genus veritatum revelatarum. Nam « sancti Apostoli fidem Christi prædicantes, quæcunque necessaria crediderunt, omnibus... manifestissime tradiderunt... ; de aliis vero dixerunt quidem quia sunt, quomodo autem aut unde sint, siluerunt »(n. 3). Inde in ecclesiastica prædicatione quædam sunt definita (n. 4), de quibus totius Ecclesiæ una sententia est (n. 8) et quæ manifeste traduntur (n. 4), quædam vero inquirenda sunt ac investiganda.

S. *Athanasius* definitionem Conc. Nicæni (ex substantia, consubstantialis) tanquam legitimam interpretationem et expositionem terminorum S. Scripturæ defendit[2]. Eodem

1. *De principiis,* prolog.

2. *De decretis* Conc. Nic., 20 s. ; *De synodis,* c. xli, 53 ; *De Seni., Dionysii,* 20 etc.

modo S. *Greg. Naz.* terminos « ingenitus » et « anarchus » defendit[1].

S. *Augustinus* maxime denuntiat fidem occasione alicuius hæresis vel alterius controversiæ explicatam fuisse. « Multa quippe, ait, ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum callida inquietitudine agitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius et intelliguntur clarius et instantius prædicantur et ab adversario mota quæstio discendi extitit occasio[2]. » Sed et generaliter affirmat : « aliquo experimento rerum *aperitur quod clausum erat* et *cognoscitur quod latebat*[3]. »

Vincenlius Lerinensis excludit quidem permutationem fidei, profectum vero exoptat. Etenim « adnuntiare aliquid christianis catholicis præter id quod acceperunt, nunquam licuit, nunquam licet, nunquam licebit[4]. » Sed profectus fidei inde non excluditur. « Sed forsitan dicit aliquis : nullus ergo in Ecclesia profectus habebitur religionis ? Habeatur plane et maximus... Sed ita tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet ut in semetipsum unaquæque res amplificetur, ad permutationem vero ut aliquid ex alio in aliud transvertatur[5]. » Denique profectum dogmaticum per analogiam corporis et segetis 'crescentis illustrat[6].

Prob. 5. *Rationem intrinsecam* progressus dogmatici optime S. *Thomas* sic proponit : « quia una fides debet esse totius Ecclesiæ... quod servari non posset nisi quæstio fidei exorta determinaretur... et sic sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur[7]. » Et ad obiectionem quæ opponit sufficientiam revelationis, respondet : « In doctrina Chrisi et Apostolorum veritas fidei est sufficienter explicita : sed quia perversi homines Apostolicam doctrinam et cæteras doctrinas et scripturas pervertunt ad sui ipsorum perditio-

1. *Orat.* 31 (theol. 5), c. xxm, s.
2. *De civ. Dei,* xvi, 2 ; cf. *De bapt.,* n, 4, 5.
3. *De baptismo,* n, 4 ; cf. expositionem apud P. Batiffol, *Le catholicisme de saint Augustin,* i, p. 38 ss.
4. *Commonitorium, I,* c. ix, al. 13.
5. l. c., c. xxm, al. 28. Sequuntur verba a Conc. Vatie, citata.
6. l. c., Videsis *Introductio,* p. 55-57, 288-290.
7. IIa, IIae, q. i, a. 10.

nem, necessaria fuit temporibus procedentibus explicatio fidei contra insurgentes errores[1].»

Prop. II : Progressus dogmaticus in successiva propositione et explicatione revelatorum consistit[2]. — Hæc propositio facile ex dictis sequitur.

Prob. 1. *Ex notione progressus dogmatici.* — Progressus dogmaticus per definitionem novorum dogmatum proprie constituitur. Atqui definitio novorum dogmatum fit per successivam propositionem et explicationem doctrinæ revelatæ. Ergo.

Prob. 2. *Ex natura dogmatis.* Progressus dogmaticus habetur secundum quod dogma est subiectum mutationis, lamvero dogmata sunt subiectum mutationis secundum quod in ipsis habetur propositio et explicatio successiva per Ecclesiam. — Dogma enim est doctrina revelata et ab Ecclesia ad credendum proposita. Inde in dogmate didistinguendum est : *a)* inter eius *revelationem* per Deum et inter *propositionem* per Ecclesiam ; *b)* inter *veritatem* vel doctrinam revelatam et inter *cognitionem,* explicationem vel determinationem sensus doctrinæ revelatæ. lamvero α) revelatio post tempus Apostolorum est finita, propositio vero revelatorum per Ecclesiam usque ad finem mundi continuabitur ; *b)* veritas revelatorum stat in æternum immutabilis, expositio vero ct explicatio sensus doctrinæ revelata; continuo augeri potest ac debet. Ergo progressus dogmaticus in successiva propositione et explicatione revelatorum necessario consistit. Ita definitio consubstantialitatis Verbi cum Patre importat propositionem novam et explicationem divinitatis Verbi, definitio transsubstantiationis propositionem et declarationem verborum institutionis Eucharistiæ, definitio primatus Romani Pontificis expositionem textus Mt., xvi, 17-19, etc.

Prob. 3. *Ex falsitate conceptuum contrariorum de natura*

1. l. c. ad 1. — Plura videsis in *Introductio,* p. 279 ss.

2. Propositio et .explicatio revelatorum secundum se quidem ab invicem distinguuntur ; in praxi tamen communiter simul habentur, lia Ecclesia quidem symbolum apostolicum simpliciter fidelibus ad credendum proponit ; per definitionem vero consubstantialitatis divinitatem Christi simul proponit et explicat.

progressus dogmatici. Conceptus rationalisticus, protestanticus, guentherianus et modernisticus de natura progressus dogmatici ex eo præcise est erroneus quod evolutionem dogmatum aliter quam ut successivam propositionem et explicationem revelatorum considerat. Nam a) *Ralionalistæ* negant veritatem revelatam dogmatis ; *b) Protestantes* fidelem expositionem et declarationem infallibilem Evangelii negant; c) *Guentherus* absolutam ac immutabilem veritatem dogmatis destruit ; d) *Modernislæ* denique radicitus veritatem dogmatis eludunt.

Prop. III : In progressu dogmatico doctrina revelata vel depositum fidei quoad substantiam (quoad se) nec mutatur nec augetur.

Hæc propositio est simplex corollarium ex prop. 2a. Nam progressus dogmaticus in successiva propositione et explicatione infallibili revelatorum consistit. Atqui propositio et explicatio revelatorum per magisterium infallibile Eccledæ depositum fidei quoad substantiam, i. e. quoad doctrinam ipsam, nec mutat nec auget : quia doctrina noviter proposita et explicatio fidelis ac infallibilis eadem est doctrina ac doctrina quæ explicatur.

Prop. IV : In progressu dogmatico doctrina prius implicite tantum revelata, cognita vel proposita, postmodum explicite cognoscitur ac proponitur vel definitur. — Hæc propositio est doctrina communis scholasticorum.

Scholastici, insistendo in vestigiis S. Augustini, distinctionem inter fidem explicitam et implicitam, inter revelationem explicitam et implicitam introduxerunt. Secundum hanc distinctionem progressus dogmaticus triplicem profectum importat.

a) Progressus dogmaticus 'est profectus a propositione implicita revelatorum ad propositionem explicitam. — Omnes enim veritates revelatæ aliquo modo iam ab initio in Ecclesia propositæ fuerunt, inquantum sc. S. Scriptura, doctrina vel fides Ecclesiæ et symbolum apostolicum tanquam credenda proposita fuerunt. Tamen non omnes veritates revelatæ determinate et distincte (= explicite) ad credendum proponebantur (sicut nec hodie). Succe-

dentibus vero temporibus in dies plures veritates revelate determinate, explicite, actu tanquam credendæ propositæ ac defmitæ sunt. Itaque profectus dogmaticus est profectus a propositione implicita ad propositionem explicitam.

b) Progressus dogmaticus est profectus a cognitione revelationis implicita ad cognitionem explicitam. Per profectum enim dogmaticum doctrina revelata perfectius cognoscitur, sensus singularum doctrinarum determinatur et explicatur. Ita divinitas Verbi tanquam consubstantialitas cum Patre cognoscitur, sicut Incarnatio sub ratione unionis hypostaticae. Inde in progressu dogmatico illa quæ prius implicite tantum cognita ac definita fuerant, postmodum explicite cognoscuntur ac definiuntur.

c) *Profeclus dogmaticus est profectus a fide implicita ad fidem explicitam.* Omnes veritates revelatæ iam ab initio Ecclesiæ aliquo modo credebantur, i. e. implicite, in quantum sc. fideles totum Evangelium, totam S. Scripturam, totam doctrinam Ecclesiæ credebant ; non tamen omnes veritates particulariter et distincte ab omnibus credebantur. Per definitiones autem dogmaticas quibus veritates revelatæ determinate ut fide divina et catholica credendæ definiuntur, fides actuatur, determinatur, fit distincta et explicita. Ita progressus dogmaticus est profectus a fide implicita ad fidem explicitam[1].

Inde progressus dogmaticus a scholasticis nomine proprio et technico vocatur : *explicatio fidei vel revelationis* : sicut et a Conc. Vatie, tanquam *fidelis expositio et infallibilis declaratio* doctrinæ revelatæ definitur.

IV. Doctrina S. Thomæ et scholasticorum de explicatione revelatorum. — 1. Celeberrimus est locus S. *Thomæ,* II, II, q. i, a. 7 : ubi explicat quomodo articuli symboli apostolici et ceteræ doctrinæ successive *revelatæ* fuerint. Docet : « Omnes articuli implicite continentur in aliquibus primis credibilibus, sc. ut credatur Deus esse et providentiam habere circa hominum salutem..; In esse enim divino includuntur omnia quæ credimus in Deo æternaliter existere... ; in fide autem providentiæ includuntur omnia

I. Cf. *Introductio,* art. 10.

quæ temporaliter a Deo dispensantur ad hominum salutem : et per hunc etiam modum aliorum subsequentium articulorum quidam in aliis continentur, sicut in fide redemptionis humanæ implicite continentur et Incarnatio Christi et eius passio et omnia huiusmodi.

Sic ergo dicendum est, quod *quantum, ad substantiam articulorum fidei, non est factum eorum augmentum per temporum successionem ;* quia quæcumque posteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium patrum (i. e. patriarcharum et prophetarum), licet implicite : sed *quantum ad explicationem crevit numerus articulorum ;* quia quædam explicite cognita sunt a posterioribus, quæ a prioribus non cognoscebantur explicite. »

Docet igitur S. Doctor, revelationem singularum veritatum fidei successive esse factam, ita tamen ut omnes veritates posterius revelatæ implicite in duabus veritatibus a principio revelatis contineantur, sc. in revelata existentia et providentia Dei : non quidem prout existentia et providentia Dei ratione naturali cognosci potest, sed prout est obiectum revelationis, i. e. ipse Deus in se et ipsa providentia Dei cum suis decretis circa salutem hominum[1]. Inde simul patet quo sensu S. Thomas hoc loco terminos « implicite » et « quoad substantiam » accipiat. Posteriores enim revelationes in prioribus *implicite* continentur inquantum *res* postmodum revelata includitur in *re* antea revelata : sicut Trinitas in esse divino et Incarnatio in decretis providentiæ divinæ. Similiter *substantia* articularum non crevit per subséquentes revelationes, inquantum eadem *res* successive magis revelebatur, sc. esse divinum et decreta providentiæ divinæ circa salutem hominum.

2. *Theologi post Conc. Trid.* doctrinam S. Thomæ de *revelatione* transtulerunt ad determinandam naturam *progressus dogmatici :* servata tamen analogia vel proportione. Aliter enim doctrinæ posterius revelatæ continentur *implicite* in doctrinis prius revelatis, et aliter doctrinæ ab Ecclesiæ definitæ in doctrinis revelatis implicite continentur : sc. non tantum quia sunt de eadem *re,* sed quia sunt *doc-*

1. Rannez, *Comment,* in IIa, IIae, q. i, a. 7, dub. n; Joa. a S. Thoma, *Cursus Theol., De fide,* disp. VI, a. 1.

trinae æquivalentes vel *æquipollenles.* Similiter aliter *substantia* credibilium in revelatione et in progressu dogmatico nec mutatur nec. augetur : in revelatione substantia non augetur inquantum omnes revelationes sunt de eodem esse divino et circa eadem decreta divina salutifera, in progressu vero dogmatico insuper *doctrinae ipsae* non augentur sed tantum explicantur, exponuntur, declarantur. Denique etiam « *explicatio* » alium induit sensum : in revelatione *esse et providentia Dei novis revelationibus, novis et distinctis doctrinis* successive magis explicatur, in progressu dogmatico tantum revelatio iam facta perfectius cognoscitur, exponitur ac declaratur. Inde denique patet sensus formulæ : in progressu dogmatico doctrina revelata quoad substantiam vel quoad se non mutatur.

3. *Immutabilitas* enim *substantialis* in progressu dogmatico tria importat : *a)* progressus dogmaticus *non* iit *additione novarum revelationum,* sed maiore explicatione apostolicarum ; *b)* dogmata ab Ecclesia definita exhibent *eandem doctrinam* obiectivam quam Apostoli Ecclesiæ tradiderunt, tamen magis explicatam ac determinatam, aliis formulis expressam ; c) dogmata Ecclesiæ *nulla* continent *additamenta* revelationi extranea vel contraria, sed tota doctrina definita obicctive, quoad rem et doctrinam assertam, in deposito fidei continetur.

V. Obiectiones solitæ contra progressum dogmaticum post exposita facile solvuntur. Communiter obicitur : *a)* dogma tanquam veritas revelata progressum vel evolutionem non admittit ; ὐ) revelatio est finita ; c) fides mutationem vel augmentum non patitur; *d)* Ecclesia non potest facere nova credenda; e) dogma novum est contradictio in se ipso.

Omnes huiusmodi obiectiones solvuntur per distinctionem duplicis elementi dogmatis, i. e. per distinctionem inter revelationem et propositionem vel cognitionem doctrinæ revelatæ.

Nam *a) Dogma* ut est veritas revelata, mutationem non admittit ; ut vero constituitur per propositionem Ecclesiæ est effectus evolutionis.

b) Revelatio quidem ipsa est finita, non vero eius propositio, expositio, declaratio, explicatio.

c) *Fides* ex parte quidem veritatum revelatarum non iam nec mutatur nec augetur, bene tamen ex parte *subiecti credentis* secundum quod ipsi successive piures veritates actualiter et explicate ad credendum proponuntur vel doctrinæ iam creditæ magis explicantur, ita ut quæ antea implicite credebantur, postea explicite credantur.

d) Ecclesia quidem efficere nequit ut veritates quæ obiective vel quoad se non sunt credendae (quia sc. non revelatæ), postmodum sint credendæ ; attamen vi sui magisterii veritates revelatas fidelibus tanquam actu et explicite credendas imponere potest : ita non potest facere credenda quoad se, sed quoad nos.

e) Dogma *novum* est impossibile quantum ad doctrinam revelatam ac si sc. præter doctrinas revelatas alia quædam doctrina nova ad credendum proponi possit ; non vero repugnat dogma novum quoad propositionem et explicationem, i. e. quod aliqua doctrina revelata nunc primo ut explicite credenda proponatur vel sensus illius nunc primo perfectius cognoscatur[1].

1. Plura de evolutione dogmatum edocet *nostra Introductio,* ‹»t opus iam laudatum P. Mar in-Sol a, O. P.

ARTICULUS SEPTUAGESIMUS

De censuris ecclesiasticis aliisque quibusdam documentis pontificiis

I. Munus Ecclesiæ proscribendi et damnandi errores contra fidei doctrinam. — Munus magisterii Ecclesiæ est fidei depositum sancte custodire et fideliter exponere. Expositio fit præsertim per definitiones dogmaticas ; custodia vero depositi fidei per damnationes errorum. Unde « Ecclesia ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam[1]. » Harum damnationum magnus extat numerus. Etenim in decursu temporum quamplurimi errores contra fidei doctrinam insurrexerunt ; id quod facile ex debilitate intellectus humani, per peccata depravati, ex superbia hominum, ex influxu diaboli ac maxima ex obiectiva difficultate doctrinæ revelatæ explicatur. Diversimode tamen aliqua doctrina veritati revelatæ adversari potest. Unde Ecclesia quandoque quidem doctrinam falsam simpliciter damnat, quandoque vero determinat, nota adiecta, qua ratione, saltem generali, aliqua doctrina a veritate fidei deficiat. Inde ortæ sunt censuræ ecclesiastic® errorum[2].

II. Definitio censuræ. — Censura ecclesiastica definitur : *qualificatif) qua ab Ecclesiæ magisterio propositioni nota inuritur ob aliquam cum fidei doctrina oppositionem.* Quodsi huiusmodi qualificatio a theologis fit, vocatur censura theologica.

III. Qualitas diversarum censurarum. — 1. Propositio *haeretica* est illa quæ *certo et immediate verbis explicitis*

1. *Cone. Vatic.,* Sess. III ; Denz., 1789.

2. Aliæ sunt *censuræ pœnales* quibus sc. delinquentes quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privantur donec, a contumacia recedentes, absolvantur (C., I. à., can. 2241).

l'rl æquivalentibus adversatur veritati fide divina et catholica i redendæ, i. e. doctrinæ immediate revelatæ et ab Ecclesia ad credendum propositæ[1]. Propositio *notarie* hæretica est, Iline non tantum certo, sed terminis ex se claris dogmati definito contradicit ; *hæresi proxima* dicitur quæ adversatur doctrinæ quæ communi propemodum omnium sententia vel ut ab Ecclesia definita vel immediate revelata censetur ; *hæresim sapiens* est propositio quæ dat ansam timendi ne lateat hæresis ; *suspecta de hæresi* declaratur propositio quæ licet non certo, tamen plus minusve probabiliter est hæretica. Suspicio vel sapor hæresis quandoque non tam ex verbis quam ex modo dicendi vel ex adiunctis oriri potest.

2. Propositio *erronea* (quæ etiam error in fide vocaturi *proprie* dicitur doctrina vel propositio, *quæ immediate conclusioni theologicæ certæ adversatur*[2]. Sub nomine conclusionis theologicæ hic intelligitur omnis doctrina *certa,* ex revelatione hausta vel fluens, quæ tamen ab Ecclesia non ut revelata atque credenda est proposita. Tanquam propositiones erroneæ igitur damnantur illæ, quæ α) adversantur doctrinæ quæ in Ecclesia certe tanquam revelata censetur, licet nondum tanquam talis sit definita ; *b)* quæ négat aliquod iudicium infallibile Ecclesiæ circa obiectum secundarium infallibilitatis, ut circa facta dogmatica proprie dicta vel canonisationem sanctorum ; c) quæ adversatur conclusioni theologicæ certæ, i. e. confîrmatæ per iudicium Ecclesiæ vel consensum theologorum. Error in fide igitur *opponitur veritati catholicæ,* prout sc. veritas catholica proprie accipitur, ut distincta a dogmate.

Propositio dicitur notorie erronea, proxima errori, errorem sapiens, suspecta de errore, eo modo quo, servata proportione, propositio dicitur hæresi proxima etc.

3. Propositio *temeraria* dicitur quæ *circa fidei doctrinam absque solido fundamento aliquid affirmat vel negat.* Id quod

1. C. I. C. can. 1325, § 2 : « Post receptum baptismum si quis, nomen retinens Christianum, pertinaciter *aliquam ex veritatibus /ide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat, hæreticus est.* »

2. Theologi veteres terminum *erroris* in fide communiter in sensu largiori accipiunt, ita quod etiam hæresim significet.

dupliciter fieri potest : put inquantum aliquid *contra doctrinam salis solidam et receptam* et contra rationes validas affirmatur vel negatur, aut inquantui^i simpliciter in rebus fidei et morum aliquid *sine ratione sufficienti* affirmatur vel negatur, ut si quis S. Joseph privilegium Immaculatæ Conceptionis tribueret.

4. *Propositio* dicitur *male sonans* quæ *habet sensum congruentem fidei, verba autem incongrua,* sive in se sive ex adiunctis ; e contra propositio dicitur *captiosa vel simplicium mentium seducliva* quæ *verbis haud male sonantibus sensum fidei non congruentem importat.*

5. Alia series censurarum defectum quendam moralem notat. Ita propositio dicitur *scqndalosa :* quæ *occasionem ruinæ spiritualis præbet,* ut quod homo absque mortificatione perfectionem consequi possit; *piarum aurium offensiva :* quæ, *licet verum dicat, tamen tali modo ut sanctis contemnendis ansa præbeatur; blasphema* quæ, saltem in verbis et modo, *iniuriam aliquam Deo vel sanctis irrogat ; schismalica* quæ *membrorum Ecclesiæ unitati adversatur; seditiosa :* quæ nata aptaque est *ad obœdientiam principibus-debitam detrahendam* vel tumultus excitandos ; *iniuriosa :* quæ *caritatem vel iustitiam aliis debitam lædit,* etc.

6. Denique censuræ ecclesiastic® distinguuntur in censuras *infallibiles* et *simplices :* sc. secundum quod sunt definitivæ vel non. Quodsi aliqua doctrina tanquam hæretica damnatur, censura est definitiva adeoque infallibilis atque doctrina contradictoria est de fide ; quoad alias vero censuras attendendum est ad tenorem decreti respectivi.

IV. Quantum ad inflictionem censurarum sequentia sunt notanda : 1. *Una eademque doctrina vel propositio multiplici censura notari* potest, ut quod sit hæretica, erronea, temeraria, blasphema, scandalosa, etc., secundum quod sc. aliqua doctrina sub diverso respectu diversimode doctrinæ fidei et bonis moribus adversatur. Cf. e. g. censuras errorum Cornelii Jansenii, Denz., 1092-1096 ; censuras propositionum synodi Pistoriensis, Denz., 1506 ss.

2. Quandoque *una* propositio una vel pluribus censuris notatur (cf. Denz. 1096, 1290), quandoque vero *plures* propositiones simul vel, ut dicitur, *in globo,* censura notan-

Im. Atque id iterum duplici modo : aut enim *omnes* propositiones eadem vel *eisdem* censuris notantur, ita ut omnes propositiones eodem modo sint damnatæ (cf. Denz., | 101-1145 ; 1145-1215) ; aut plures propositiones in globo il.a pluribus censuris notantur, ut *non omnes* propositiones *eisdem et omnibus* censuris notentur, sed « *respective* » | autum : in hoc casu quælibet propositio est damnata, quælibet propositio meretur saltem unam ex censuris latis, forsitan etiam plures, et quælibet ex censuris latis de una vel pluribus propositionibus verificatur-non tamen exprimitur qualem ex censuris notatis quælibet propositio mereatur vel quænam ex singulis propositionibus talem vel talem censuram mereantur. Ita e. g. propositiones Bail (D. 1001-1080), damnatæ fuerunt tanquam « hæreticæ, erroneæ, suspectæ, temerariæ, scandalosæ et in pias aures offensionem immitentes *respective* » ; inde ex illis propositionibus una vel plures sunt hæreticæ vel erroneæ etc., non tamen exprimitur quænam propositiones sint hæreticæ cl ·. Cf. Denz. 1221-1288; 1291-1321 etc.

De reliquo caute procedendum est in determinando tum tenore damnationis tum sensu propositionum. Consulantur igitur libri in quibus sensus et tenor damnationis propositionum explicatur[1].

V. De effectu censurae ecclesiasticae. — Effectus censuræ est duplex. *Primo* doctrina, cui censura infligitur, *damnatur,* et quidem secundum tenorem censuræ inflictæ ; *secundo* doctrina contradictorie opposita *approbatur,* et quidem proportionate modo quo alia doctrina damnatur. Inde si quædam doctrina tanquam hæretica damnatur, doctrina contradictorie opposita tanquam doctrina fidei approbatur, agnoscitur, declaratur, vel definitur. Quodsi doctrina quædam ut erronea damnatur, doctrina contradictorie opposita est doctrina theologice certa vel doctrina catholica. Sicut autem non raro valde difficile est determi-

1. Montaigne, *De censuris seu notis theologicis et de sensu propositionum,* in collectione Migne, *Cursus theologiae,* vol. I ; Dom. Viva, *Damnatæ theses ad theol. trutinam revocatae ;* loa. de Cardenas, *Crisis theologica;* Tosi, *De syllabo errorum* (Pii IX); Heiner, *Der neue Syllabus Pius X.*

nare, qualis sit sensus propositionis damnatae et sub quanam ratione damnetur, ïta, et multo magis, difficile est determinare, qualis sit doctrina damnationi contradictorie opposita.

VI. De Syllabo Pii IX. — Maximum rumorem excitaverat « Syllabus » seu collectio errorum modernorum, in Bulla « Quanta cura » die 8. dec. 1864 a Pio IX editus (Denz., 1700-1780).

Quantum ad historiam istius Syllabi sequentia sint notata. Papa Pius IX in variis Allocutionibus, Encyciicis et Epistulis varios errores sui temporis damnaverat : qui errores ad systema sic dictum « Liberalism! » pertinent illudque proprie constituunt. Ex mandato Pii IX Card. Antonelli ex illis Allocutionibus, Encyciicis ac Epistulis excerpere fecit 80 errores a Summo Pontifice damnatos et collectionem hanc ad omnes episcopos misit sub titulo : « Syllabus complectens praecipuos nostræ ætatis errores... ». Pius IX vero ipse in Bulia « *Quanta cura* » omnes huiusmodi errores tanquam damnatos denuntiavit ac declaravit.. Omnes deinde episcopi ‘catholici eiusmodi damnationem publicaverunt atque damnationi adhaeserunt[1].

Quæstio nunc est de valore huiusmodi « Syllabi », i. e. de obligatione fidelibus imposita ; specialiter quæritur, utrum propositiones Syllabi infallibiliter sint damnatæ.

Resp. 1. *Omnes propositiones* (80) in Syllabo notatae sunt valide *damnatæ* atque ab omnibus catholicis *reprobandæ :* damnatæ enim sunt a Romano Pontifice, ut pastore et doctore universalis Ecclesiæ, utendo sua potestate apostolica et obligante fideles ad huiusmodi errores respuendos et evitandos; unde huiusmodi sententiæ atque iudicio Romani Pontificis saltem assensu religioso assetiendum est. Tamen notandum est, errores Syllabi eo sensu eaque ratione esse reprobandos quo illi ab ipso Romano Pontifice damnati fuerunt. Sensus vero plurium propositionum iam hodie valde difficile determinatur adeoque multo magis ratio sub qua illæ damnatæ fuerunt[2].

1. Pro historia Syllabi, cf. C.-G. Rinaldi, *Il valore del Sillabo* (1888) ; Hourat, *Le syllabus* (1904).

2. Ratio huius facti est quod propositiones damnantur, prout

Rèsp. 2. Syllabus *non* importat *definitionem dogmaticam :* propositiones enim damnatæ nulla censura speciali notantur, sed simpliciter reprobantur. Unde doctrina opposita *vi Syllabi* minime fide divina credenda est. Certe tamen in propositionibus Syllabi plura dogmata manifesta negantur.

Resp. 3.Damnatio propositionum Syllabi *non est definilva neque infallibilis.* Plures quidem auctores, inter quos De Groot[1], Mazella, Scheeben, Straub, Syllabum tanquam definitionem ex cathedra considerant ; alii vero et plures negant. Atque certo damnatio errorum in Allocutionibus^ Encyciicis et Epistulis Pii IX non fuit definitiva ; neque collectio errorum per theologos est ad rem ; neque publicatio in Bulla « *Quanta cura* » argumentum indicii definitivi præbet ; neque denique publicatio Syllabi per episcopos aliquid in re mutat. Deest igitur in Syllabo intentio ferendi definitionem dogmaticam aut saltem de huiusmodi intentione non constat. Iamvero « declarata seu definita dogmatice res nulla intelligitur, nisi id manifeste constiterit » (C. I. C., can. 1323, § 3). De reliquo magna pars propositionum habet materiam quæ ad obiectum secundarium infallibilitatis pertinet[2]. ,

VII. De definitionibus dogmaticis aliisque iudiciis infallibilibus recentiorum Romanorum Pontificum. — I. *Pius IX* dogmatice definivit Immaculatam Conceptionem B. Mariæ V., assentientibus episcopis per orbem diffusis; similiter

vulgo circumferebantur. Modus autem loquendi liberalism! est valde ambiguus et æquivocus, ita ut sub forma optimorum terminorum doctrina pessima intendatur. Ita e. g. prop. 17 habet : « Saltem bene sperandum est de æterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur. » Certe etiam catholici *speranl,* multos acatholicos per Dei misericordiam salvari at propositio damnata intendit significare, Ecclesiam non esse ex voluntate Dei medium necessarium salutis. Prop. 75 habet : « De temporalis regni cum spirituali compatibilitate *disputant* inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii » : propositio non merum factum diversimodæ sententiæ aliquorum, sed iustam rationem dubitandi insinuat.

1. q. xvi, a. 7.

2. F. Heiner, *Der Syllabus* (1905) ; A. Straub, *De Ecclesia,* n. 999 ss. ; De Groot, *De Ecclesia,* q. xvi, a. 7.

dogmatice definivit decreta Concilii Vaticani, approbante Comilio.

2. *Leo XIII milium dogma definivit,* mirantibus quidem adversariis infallibilitatis pontificiæ, quippe qui post definitionem Conc. Vatie, copiam enormem definitionum ex cathedra expectarunt. Tamen Leo XIII *duplex indicium infallibile* tulit : unum quidem *de ordinationibus anglicanis* (Denz., 1966), aliud *de doctrina* sic dicta *Americanismi* (Denz., 1967 ss.). Infallibilitas horum indiciorum patet, cum intentio ferendi indicium definitivum adeoque infallibile constet. Primum indicium est de facto dogmatico, aliud indicium doctrinas theologicas Americanismi damnat, quin tamen aliquam doctrinam ut de fide tenendam definiat.

3. *Pius X plura iudicia infallibilia eaque ex cathedra* tulit. Causa erat doctrina et periculum hæresis modernisticæ.

Atque *primo* Pius X in Encyclica « Pascendi dominici gregis « *systema modernismi* per definitionem ex cathedra *tanquam haereticum,* immo « ut omnium hæresum collectum » *damnavit.* Unde fide certum est, in doctrina modernistica multas saltem hæreses contineri : quales tamen doctrinæ *vi Encyclicæ* tanquam hæreticæ sint damnatæ, non determinatur.

Secundo Pius X decretum S. Off. « *Lamentabili* » declaratione expressa suum fecit adeoque errores in eo damnatos tanquam definitive atque infallibiliter damnatos denuntiavit. Cum enim decretum « Lamentabili » esset Congreg. S. Officii adeoque non infallibile, cum simul modernistæ auctoritatem Congregationis parvipenderent, Pius X ad omnem ambiguitatem tollendam decretum illud sua auctoritate pontificali munivit. In isto igitur documento *errores principales* modernismi *particulariter determinantur atque infallibiliter damnantur.* Cum autem nulla censura determinata singulis propositionibus infligatur, ex vi decreti non apparet, quænam propositiones sint hæreticæ, licet id facile aliunde determinari possit.

Tertio Pius X in Motu Proprio « Sacrorum Antistitum », die 1 Sept. 1910 formulam *lurisiurandi contra errores modernistarum* iurandam ac profitendam proposuit. Hu-

iusmodi documentum, secundum regulas sanæ theologiae, certe tanquam infallibile admittendum est. Proponitur enim a Romano Pontifice, ut doctore et pastore totius Ecclesiæ, utente sua potestate suprema et apostolica et obligante conscientiam fidelium. Neque obstat quod certi tantum fideles ad iusiurandum emittendum obligentur : certe enim doctrina iuramenti omnibus imponitur, licet non obligatio iuramenti. Maxime vero constat intentio iudicii definitivi, sive ex circumstantiis sive ex textu ipso. Iusiurandum enim proprie hac intentione imponebatur, ut quæstio finaliter determinaretur. Quantum ad materiam quidem distinguendum est. In prima enim parte formulæ et in eiusdem duabus ultimis propositionibus proponitur doctrina directe ad fidem vel mores pertinens, atque huiusmodi doctrina tanquam profitenda et confitenda proponitur : id quod est signum certissimum definitionis ex cathedra. Aliæ quidem propositiones ad obiectum secundarium infallibilitatis pertinent, ut de methodo historiæ dogmatum et exegeseos : iudicium tamen etiam de his rebus indubie tanquam definitivum adeoque infallibile apparet. Difficultates quorundam circa materiam vel doctrinam harum propositionum una ex parte ex falso intellectu sensus propositionum, alia ex parte ex defectu sanæ theologiæ processerunt. Atque in ista Iuramenti formula Pius X erroribus modernismi *positivam doctrinam Ecclesiæ et fidei opposuit*[1].

Benedictus XV et Pius XI feliciter regnans nullum iudicium doctrinale ex cathedra ediderunt.

Omnes denique prædicti Rom. Pontifices quosdam sanctos sollemniter adeoque infallibiliter canonizaverunt.

VIII. De auctoritate theologica Codicis Iuris Canonici. — 1. Codex Iuris canonici est *infallibilis quoad substantiam,* i. e. nihil continet quoad res fidei et morum quod doctrinæ revelatæ et dogmatibus Ecclesiæ sit contrarium : id quod supra, art. 36 n. 5 probavimus.

1. Circa quæstionem infallibilitatis formulæ iurisiurandi contra errores modernistarum cf. : B. Bauer, *Klarheit and Wahrheit,* 1911 ; Bessmer, *Philosophie und Théologie ;* Lepicier, *De slabilitate et progressu dogmatico ;* R. Schultes, *Was beschwôren wir im Antimodernisteneid ?*

2. G. I. C. *non* est *definitio ex cathedra :* intentio enim Summi Pontificis non erat determinare quæstiones fidei, sed ferre leges/et determinare vitam fidelium. Adeoque *nulla doctrina ex eo quod in C. I. C. edocetur, est de fide divina,* licet multæ doctrinæ G. I. C. aliunde sint de fide.

3. *C. I. C. magnam habet auctoritatem theologicam,* ita ut *quælibet doctrina theologica* quam C. I. C. tuetur, *sit doctrina theologice certa, doctrina catholica atque tuto ab omnibus tenenda.* C. igitur I. G. est locus theologicus certus. Id quod facile probatur.

G. I. G. ferendo leges et determinando ius Ecclesiæ certam quandam doctrinam theologicam supponit, applicat et approbat. Atqui huiusmodi doctrina a) est doctrina Romani Pontificis, appellantis ad supremam suam potestatem magisterii, docendi sc. et regendi omnes gentes (Constitutio « *Providentissima mater Ecclesia* ») ; *b)* est doctrina Ecclesiæ universalis docentis, inquantum sc. omnes episcopi doctrinam G. I. C. sequuntur. Itaque doctrina theologica G. I. C. est doctrina quæ omnibus a supremo magisterio Ecclesiæ imponitur adeoque theologice certa, doctrina catholica atque ab omnibus tenenda, assensu saltem religioso.

4. *In particulari* sequentia sunt notanda.

a) Plurimæ doctrinæ C. I. C. sunt dogmata iam aliunde definita, ut circa primatum Rom. Pontificis, constitutionem hierarchicam Ecclesiæ, materiam et formam sacramentorum, etc.

b) Plurimæ aliæ doctrinæ sunt doctrinæ de quarum veritate iam antea in Ecclesia constabat, et quæ per Codicem de novo confirmantur.

c) Plurimæ doctrinæ theologorum, sive communiter receptæ sive disputatæ, approbantur vel confirmantur, ita quidem ut ad auctoritatem quam illæ doctrinæ prius ex parte theologorum habebant, auctoritas Romani Pontificis accedat.

d) Omnis doctrina quæ certe in G. I. C. tenetur, ab omninus theologis *tuto teneri potest ac debet,* i. e. secundum regulas scientiæ theologicæ.

e) Id quod valet non tantum quantum ad doctrinas dogmaticas, sed simul quoad doctrinas *morales*. Hic quidem notandum est, plures quæstiones morales, de quibus disputabatur inter theologos, novam determinationem accepisse, uno modo per mutationem materiae, ut præsertim quoad matrimonium, alio modo per determinationem iuris positivi[1].

1. De auctoritate theologica iuris canonici videsis : M. Cano, lie *loc. theol.,* l. VIII, c. vi, 7 ; Gotti, *Theol. schol. dogm.,* I, tract. I, q. m, dub. ix ; Penzi, O. P., *Theologiæ rudimenta,* l. X ; Turrecremata, *Comment, in Decret. Grat.,* prooem. ; Berthier, *De locis theol.,* p. 406 ss. ; Schultes R., *Die theologische Auktoriiat des neuen C. I. C.* in *Schweizerische Kirchenzeitung,* 1920, n. 5.

SECTIO III

De auctoritate theologica SS. Patrum et Doctorum Ecclesiæ atque theologorum

Ecclesia doctrinam revelatam fidelibus proponit, *uno modo directe,* edocendo sc., praedicando, indicando, definiendo illam, *alio modo* quasi *indirecte,* approbando sc. doctrinam SS. Patrum et Doctorum Ecclesiæ nec non theologorum eamque tanquam normam veritatis statuendo. Inde oritur quæstio de auctoritate theologica SS. Patrum, Doctorum ac theologorum.

Veteres quidem theologi sicut plures moderni auctoritatem Patrum et theologorum maxime sub hac ratione considerant, quomodo aliqua thesis ex doctrina ss. Patrum et theologorum probari possit ; at similiter, et quidem magis, considerandum est qualem *vim obligandi* ac determinandi sententiam habeat doctrina ss. Patrum nec non theologorum. Nos utrumque modum considerandi coniungimus.

Itaque in hac sectione tractabimus :

1° De auctoritate SS. *Patrum* ac *Doctorum* Ecclesiæ (art. 71) ;

2e De auctoritate *theologorum* (art. 72) ;

3° De auctoritate theologica S. *Thomæ* Aquinatis (art. 73).

ARTICULUS SEPTUAGESIMUS PRIMUS

De auctoritate SS. Patrum et Doctorum Ecclesiæ[1]

I. Prænotamina. — 1. *Qui sunt SS. Patres. Patres* sensu proprio sunt a) *scriptores ecclesiastici qui doctrina orthodoxa et sanctitate vitæ conspicui primis sæculis in Ecclesia floruerunt atque ab Ecclesia approbati sunt*[2]. Quantum ad doctrinam orthodoxam « unus alterve error materialis non impedit orthodoxiam, dummodo ille, de quo agitur, habuerit mentem catholicam et plurimis catholicam doctrinam recte expresserit[3]». Ad quod præcipue requiritur ut' scriptor nullam doctrinam suo tempore iam sufficienter explicite in Ecclesia creditam vel edoctam negaverit. Sanctitas vitæ sicut et orthodoxia ex sententia Ecclesia constat. Quod antiquitatem attinet, alii illam ad tempus « infantiæ » Ecclesiæ restringunt, ita ut Gregorius M. et Ioa. Damascenus ultimos limites constituant, alii usque ad tempus scholasticorum extendunt, ita ut S. Bernardus sit ultimus Pater. Certe antiquitas intelligenda est de antiquitate Ecclesiæ universalis, non vero de antiquitate alicuius Ecclesiæ particularis, cum Patres sint patres Ecclesiæ universalis. *Approbatio* fieri potest vel per iudicium sollemne vel per consensum Ecclesiæ, potestqi e esse vel permissiva vel positiva, communis vel specialis vel specialissima, saltem quantum ad doctrinam particularem, ut S. Augustinus specialissime in doctrina de gratia et peccato originali approbatus est. Inter huiusmodi Patres speciali nomine insigniuntur *Patres aposlolici* qui sc. auditores Apostolorum fuerunt vel saltem tempore Apostolos immediate subséquente vixerunt : huiusmodi *proprie* sunt Clemens Romanus, Ignatius Antiochenus, Polycarpus.

1. M. Cano, *De locis theologicis,* l. VII ; D. Bannez, *Comment, in IP·, ID':,* in q. i, a. 10 ; C. Schaezler, *Introductio·,* Scheeben, *Dogmatik,* I, § 26, p. 192 ss. ; H. Lamiroy, *De argumento ex Patribus,* Coll. Brug., t. XXIV, 1924, p. 35-43.

2. Antiquitus episcopi nomen « Patris » habuerunt.

3. Ch. Pesch, *Prælectiones,* i, n. 572.

De reliquis Patribus videsis libros Patrologiæ vel literaturæ ecclesiasticae veteris, ut præsertim *Bardenhewer,* Geschichte der altchristlichen Literatur.

b) Ob defectum vel orthodoxiæ vel sanctitatis non habentur Patres sed tantum *scriptores ecclesiastici* Tatianus. Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Arnobius, Lactantius, Eusebius Cæsariensis, Theodoretus Cyreqsis. Rutinus et alii.

c) *Doctores Ecclesiæ* dicuntur *scriplores ecclesiastici, qui doctrina theologica et sanctimonia vitæ præstantes ab Ecclesia tanquam doctores Ecclesiæ declarati sunt.* In doctoribus igitur Ecclesiæ non quidem antiquitas, at doctrinæ præstantia requiritur. Insuper regulariter nemo doctoris titulo decoratur nisi aliquam hæresim vel errorem cum effectu impugnaverit.

Patres et doctores per eminentiam habentur quatuor latini : Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius M., et græci : Athanasius, Basilius M., Gregorius Nazianzenus, Ghrysostomus.

Patres et doctores sunt Ephraem,Leo M., Hilarius Piet., Petrus Chrysologus, Johannes Damascenus.

Ex sanctis scriptoribus theologicis ætatis recentioris doctores declarati sunt : Thomas Aquinas a Pio V (1567), Bonaventura a Sixto V (1588), Alphonsus M. de Liguorio a Pio IX (1871), Franciscus Salesius ab eodem Pontifice (1877), Canisius a Pio XI (1925).

2. De varia consideratione S. Patrum. — S. Patres considerari possunt : vel ut *doctores privati* inquantum sc. iudicium proprium scientificum de doctrina vel naturali vel revelata enuntiant, vel ut *testes* doctrinæ Ecclesiæ inquantum aliquam doctrinam tanquam ad depositum fidei pertinentem declarant.

Approbatio igitur quæ ad titulum Patris Ecclesiæ requiritur, scriptores ecclesiasticos tanquam testes qualificatos constituit quos sc. Ecclesia ipsa tanquam testes propriæ doctrinæ admittit et agnoscit, sicut in testimonio coram iudice ferendo qualificatio testium prius examinatur.

3. *De varia auctoritate SS. Patrum.* Auctoritas SS. Patrum triplex distingqi potest, sc. *scientifica, historica, dogmatica.* Auctoritas scientifica ipsis attribuitur secundum valorem

ml rinsecum doctrinæ et secundum vim argumentorum; nmtoritas historica ut testibus historicis doctrinæ Ecclesiæ miliquæ *personaliter* qualificatis ; auctoritas dogmatica ut testibus doctrinæ Ecclesiæ, ab ipsa Ecclesia approbatis et admissis. Hic non agitur de auctoritate neque scientifica neque historica (licet sit maximi momenti), sed exclusive pe auctoritate dogmatica Patrum.

II. Sententia adversariorum. —*Protestantes* SS. Patres quidem tanquam *testes historicos* doctrinæ Ecclesiæ admittunt, licet « cum beneficio inventarii », nullo tamen modo doctrinam Patrum, etiam unanimem, tanquam *argumentum dogmaticum veritatis* doctrinæ agnoscunt ; immo protestantes non pauci Patres accusant de corruptione doctrinæ evangelicæ et traditæ, et quidem de corruptione etiam culpabili.

Modernistæ ss. Patres vel tanquam expositores sententiie communis vel tanquam auctores novæ interpretationis experientiæ religiosæ vel denique tanquam novæ experientiæ leligiosæ auctores sibi repræsentant. Certe « in hoc præeise videtur fundamentalis error modernistarum consistere quod contendant, Ecclesiam accepisse doctrinam suam a Patribus aut Doctoribus ecclesiasticis ; dum e contra Patres «I Doctores ecclesiastici suam doctrinam ab Ecclesia acceperunt1. »

III. Doctrina Ecclesiæ. — Cone. Trident. « Ad coercenda petulantia ingenia decernit ut nemo... in rebus fidei et morum ad ædificatïonem doctrinæ christianæ pertinenlium sacram Scripturam... contra eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia,., aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat » (Denz., 785) ; quale decretum a Cone. Vatie, repetitur atque confirmatur (Denz., 1788). Similiter in professione fidei tridentina habetur :«Nec eam (sc. S. Scripturam) unquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor » (Denz., 995). Qua in re observandum est quod *doctrina* S. Patrum, et quidem *unanimis*

1. Lépicier, *De stabilitate dogmatis2,* p. 167.

circa res fidei et morum, ad ædfîicationem doctrinæ christianæ pertinentes, i. e. circa *per se revelata,* tanquam *norma S. Scripturæ interpretandae* statuitur, eo quidem modo ac *ipsius Ecclesiæ sensus* perpetuus.

Vetera Concilia, latius accipientes nomen Patrum, i. e. tum pro episcopis, præserti'm in Conciliis congregatis, tum pro scriptoribus ab Ecclesia approbatis, generalius simul doctrinam Patrum tanquam regulam fidei statuunt, simulque doctrinam Patrum et Ecclesiæ identificant. Ita Cone. Lateran. (649) definit : « Si quis *secundum S. Patres* non confitetur proprie et secundum veritatem *omnia* quæ *tradita* sunt et *prædicata* sanctæ catholicæ et apostolicæ Dei ecclesiæ perindeque *aS. Patribus* et venerabilibus quinque Conciliis, usque ad unum apicem verbo et mente, condemnatus sit » (Denz., 270). Cone. Nie. II (787) doctrinam S. Patrum et traditionem s. catholicæ Ecclesiæ identificat (Denz., 303). In Cone. Valent. III (685) Patres Concilii profitentur : « Indubitanter *doctoribus* pie .et *recte tractantibus verbum veritatis* ipsisque *Sacræ Scripturæ lucidissimis expositoribus,* i. e. Cypriano, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, cæterisque in catholica pietate quiescentibus, reverenter auditum et obtemperantér intellectum *submittimus* et pro viribus quæ ad salutem nostram scripserunt, *ampleclimur* » (Denz., 320). Cone. Cpt. IV declarat debitum retinendi « definitiones et sensus » simul ac « regulas deiloquorum Patrum » (Denz., 336).

Inde Pius IX Guenthero improbat, « nec ea sanctos Patres reverentia haberi quam *Conciliorum Canones* præscribunt » (Denz., 1657).

Ex opposito tamen Ecclesia reprobat iansenisticam propositionem quæ tenet : « Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam » (Denz. 1320) : de sensu huius propositionis infra.

In luramento denique contra errores modernistarum continetur : « Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam sincere recipio » (cf. prop, ultimam).

IV. Explicatur sensus doctrinæ Ecclesiæ. — Ob multi-

plicem confusionem et varias difficultates adversariorum sensus doctrinæ Ecclesiæ explicandus est, ut sciamus quid probandum atque defendendum sit.

a) SS. Patrum auctoritas asseritur quoad *res fidei et morum,* ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentes, i. e. quoad per se revelata, non vero quoad illa quæ in S. Scriptura in ordine ad alia narrantur, ut facta plurima historica (cf. de distinctione hac, supra art. 33, n). Ita SS. Patres quidem diluvium ut universale intelligunt, solem moveri vel stetisse supponunt ac alia huiusmodi tanquam sensum S. Scripturæ proponunt : tamen inde nil pro veritate sententiæ probatur quia talia ad per se revelata, ad res fidei et morum, minime pertinent[1].

ò) Quoad *interpretationem S. Scripturæ,* etiam quoad locos dogmaticos, distinguendum est inter *doctrinam* quam ss. Patres tanquam sensum S. Scripturæ proponunt, et » *interpretationem* ipsam alicuius *textus* particularis. Doctrina dogmatica ipsa quæ a SS. Patribus tanquam sensus S. Scripturæ unanimiter proponitur, certum argumentum præbere asseritur. Interpretatio vero textus particularis tunc tantum certum argumentum dogmaticum præbet cum SS. Patres simul explicite vel æquivalenter affirmant talem interpretationem esse ipsius Ecclesiæ, ut e. g. quoad sensum verborum in institutione Eucharistiæ ; secus vero, quodsi sc. SS. Patres sensum propriis tantum mediis deducant, interpretatio ut talis non habet vim dogmaticam, cum SS. Patres in hoc non tanquam testes doctrinæ Ecclesiæ se gerant, sed ut theologos vel exegetas : inde doctrina quidem proposita erit vera, textus autem ille particularis alium sensum habere potest. Ita SS. Patres, interpretando Heb., 6, 4-6, tanquam doctrinam fpas›

1. M. Canus, *De locis theol.,* l. VII, c. ii, distinguit inter « genus earum rerum quæ vere ad fidem spectant doctrinamque catholicam, alterum earum quæ citra iacturam pietatis ignorari... possunt, quod nec fidei dogmata sunt neque ex illis derivantur. » Quoad secundum genus doctrinarum statuit : « Omnium etiam sanctorum auctoritas in eo genere quæstionum quas ad fidem diximus minime pertinere, fidem quidem probabilem facit, certam tamen non facit. » In adducendo vero exemplo (de Immaculata Conceptione B. M. V.) infelix fuit.

unanimiter et vere proponunt, baptismum iterari non posse, exegetæ tamen recentiores textum ipsum ita interpretantur quod Apostolus de peccato contra Spiritum S. loquatur; similiter SS. Patres ad Is., 53,8:« Generationem eius, quis enarabit? » doctrinam de generatione divina Christi et de eius incarnatione proponunt, dum tamen etiam exegetæ catholici sub nomine « generationis » homines illius temporis (« dor ») intelligunt. Itaque non licebit interpretari S. Scripturam in aliquo sensu qui doctrina dogmaticæ unanimiSS. Patrum adversatur; insuper tamen regulariter præsumendum est, textusS.Scripturæ aSS.Patribus tanquam a testibus sensus Ecclesiæ exponi ideoque interpretationem in ipsum textum cadere.

c) SS. Patribus auctoritas dogmatica tanquam *testibus* doctrinæ in Ecclesia vigentis tribuitur[1]. Id quod tamen non ita intelligendum est ac si SS. Patres doctrinam Ecclesiæ nude tantum vel quoad verba testificentur, sed simul inquantum *sensum* doctrinæ catholicæ explicant atque declarant ; immo auctoritas SS. Patrum quam maxime in explicando sensu depositi fidei et doctrinæ Ecclesiæ intervenit. Testificantur autem SS. Patres doctrinam Ecclesiæ eiusque sensum, cum aliquam doctrinam tanquam revelatam vel tanquam doctrinam Ecclesiæ proponunt, sive expressis verbis, sive formulis æquivalentibus : non enim testimonium SS. Patrum formulis determinatis alligatur.

Ex hoc capite illis Patribus qui doctrinam millenariam tenuerunt, auctoritas deest. Etenim illa doctrina non tanquam doctrina Ecclesiæ proponitur, cum Justinus e contra expresse testetur : « multos vero etiam qui pure pieque sunt Christianorum sententiæ, hoc non agnoscere tibi

1. Alii quidem theologi, ut Pesch, l. c., n. 579, cum Franzelin, de tradit. 179 ss., docent, SS. Patres simul sumptos, licet non singulos, eadem auctoritate pollere tum ut doctores privatos tum ut testes : ita ut quando constet de unanimi consensu Patrum, non sit inquirendum utrum tanquam testes an ut doctores privati locuti fuerint. At his verbis nil aliud significari videtur quam quod SS. Patres non tantum in simpliciter enuntianda doctrina sed simul in doctrina explicanda auctoritatem habeant. Ecquidem singuli Patres ne in testificando quidem auctoritatem irrefragabilem habent, dum e contra consensus unanimis pirca sensum doctrinæ simul testimonium doctrinæ Ecclesiæ involvit.

ligndicavit » (Dialog. cum Tryph., 80) : simul tamen nec ' "iisensus unanimis Patrum habetur (cf. Groot, p. 791). Similiter quoad doctrinam de natura Verbi in doctrina vd erum Patrum distinguendum est inter id quod tanquam ilK>< Irinam Ecclesiæ testificantur, et inter modum vel tentamen quo doctrinam explicare conantur : manifeste enim ' onstat, Patres in multis non tam sensum Ecclesiæ quam doctrinam propriam scientificam proponere[1].

</) Agitur de *consensu unanimi SS. Patrum,* non quidem absolute sed moraliter, ita sc. ut omnes Patres secundum indicium prudens in eadem doctrina convenire dicendi sint. \d quod quandoque testimonium Patrum eminentiorum .mgularium partium Ecclesiæ sufficere potest, quando sc. huiusmodi testimonium moraliter sententiam quoque aiiorum enuntiare indicatur ; quandoque testimonium Patrum ' dius Occidentis vel Orientis sufficere potest, utpote cum Iiuæstio in una sola ex duabus partibus fuit agitata, ut e. g. quaestio de divinitate Verbi apud solos græcos, quæstio vero de gratia apud solos latinos.

Adversarii quidem a tempore humanistarum et prolestantium prætendunt, in nulla fidei quæstione doctrinam unanimem SS. Patrum extare. Id quod generaliter quidem Ilictum certissime falsum est. An non omnes SS. Patres unanimiter existentiam unius Dei, divinitatem Patris, Filii et Spiritus S. testificentur ? An doctrina protestan- [iK a non facile per doctrinam SS. Patrum refellatur ? An doctrina modernistica non aperte doctrinæ unanimi SS. Patrum adversetur[2] ? Optime e contrario P. Kleutgen aliquando notat : quod si quis doctrinam SS. Patrum bene noverit, mirabitur quot et quales doctrinæ a SS. Patribus proponantur. Nec tamen necessarium est, *omnes* doctrinas

1. Cf. quæ scripsimus, in *Introducito in historiam dogmatum,* nil. 14.

2. Formula Juramenti contra errores modernistarum duabus vicibus ad consensum unanimem SS. Patrum appellat : primo in propositione : « *fidei doctrinam* ab Apostolis *per orthodoxos Patres* eodem sensu eademque semper sententia ad nos usqm *transmissam* sincere recipio », secundo in propositione : *«fidem Patrum* firmissime retineo... de charismate veritatis certo... in episcopatus successione... ».

quae quocumque modo ad depositum fidei pertinent, ex Patribus probari posse. Sufficiunt enim duo : primum quod SS. Patres non contradicant doctrinæ postmodum admissæ, et secundum, quod maxima pars doctrinarum etiam positive a SS. Patribus edoceatur. Locus enim theologicus ex SS. Patribus non est adæquatus, sicut e. g. locus traditionis, cum nec S. Scriptura sit locus adæquatus.

Testimonium unanime SS. Patrum doctrinam propositam intantum certam facit inquantum Patres eam testificantur. Unde si SS. Patres doctrinam quandam tanquam doctrinam fidei,doctrinam creditam vel credendam testificantur, testimonium eorum doctrinam ulam tanquam doctrinam fidei certam facit ; quodsi vero ss. Patres doctrinam quandam tantum tanquam certam testificantur (non vero ut creditam vel credendam), de certitudine illius doctrinæ constat; quodsi vero SS. Patres doctrinam tantum opinative vel dubitative proponunt, certum argumentum non habetur, uti patet.

e) Nemo non videt, *cognitionem exactam doctrinæ Ecclesiæ circa autoritalem SS. Patrum summi esse momenti,* non tantum pro probanda et defendenda SS. Patrum auctoritate, sed simul pro argumento exSS. Patribus conficiendo atque pro iudicando valore singularum doctrinarum. Adversarii quidem opponunt, vim quorundam dictorum SS. Patrum, minus opportunorum, a catholicis artificiose eliminari. At primo certe Ecclesiæ non potest imputari doctrina quam ipsa revera non tenet, et secundo doctrina de auctoritate SS. Patrum Successu temporum magis magisque fuit determinata et exactius cognita sicut et cæteræ doctrinæ theologicæ.

V. Thesis : Unanimis consensus SS. Patrum in rebus fidei et morum est certum argumentum theologicum.

Prob. 1. *Ex S. Scriptura.* S. Scriptura auctoritatem SS. Patrum enuntiat, cum indefectibilitatem et infallibilitatem Ecclesiæ in rebus fidei et morum edocet. Etenim huiusmodi infallibilitas simul hoc comprehendit quod in doctrina unanimi SS. Patrum circa res fidei error esse nequeat. *Prob. min.* Ecclesia approbando SS. Patres approbat eorum doctrinam, admittendo sc. Patres tanquam testes doctri-

næ propriæ, immo doctrinam eorum suam facit ; insuper Ecclesia doctrinam Patrum fidelibus tenendam imponit ac denique ipsa Ecclesia in definiendis quaestionibus fidei doctrinam unanimem Patrum tanquam regulam fidei agnoscit et applicat. Quodsi igitur in doctrina fidei communi SS. Patrum esset error, Ecclesia ipsa erraret ac in errorem induceret. Itaque S. Scriptura, edocendo infallibilitatem Ecclesiæ, simul implicite auctoritatem SS. Patrum enuntiat.

Confirmatur argumentum, ex hoc quod auctoritas dogmatica SS. Patrum negatur ab iis solis et omnibus qui Ecclesiæ ipsius infallibilitatem negant.

Prob. 2. *Ex testimonio veterum.* In Ecclesia, statim ac primi Patres extiterunt, doctrina Patrum ut regula fidei (licet remota) tenebatur et agnoscebatur. Ac primum *de facto* Ecclesia doctrinam Patrum amplexa atque secuta est, ut Clementis Romani, Ignatii Antiocheni, Cypriani, Athanasii. Cyrilli, Hieronymi, Augustini et aliorum — ut fit usque in diem hodiernum. Nec secundo deest *doctrina* explicita. N. *Athanasius* vocem ὁροούσιο in definitione Conc. Nic. inde defendit quod «episcopi non sibimetipsis adinvenientes verba, sed habentes ea a Patribus testimonia conscripserunt » (Ep. ad afros, n. 6 M. G. 26. 1039). S. *Augustinus* expresse ad consensum SS. Patrum eorumque zelum in fide defendenda, communionem cum Ecclesia atque auctoritatem in Ecclesia appellat.

Ita contra Julianum Eclanum scribit : Patres sunt, « quorum te movere debeat tanta *consensio*... In *Ecclesia catholica* doctrinæ sanæ studiis *claruerunt;* spiritualibus armis muniti et accincti strenua contra *haereticos* bella gesserunt ; perfuncti fideliter suæ dispensationis laboribus in *pacis* gremio dormierunt... Conventus sanctorum istorum non est multitudo popularis, non solum fiii, sed et patres Ecclesiæ sunt... Ex qua filii generati sunt, ut hæc *discerent,* eius *patres facti sunt ut docerent* » (Contra Iui, l. I, VII, n. 30, 31 M. L. 44, 661 s.). Adductis deinde variis auctoritatibus, ipse concludit : « Tales ac tanti viri secundum catholicam fidem... et hoc et illa vera esse confirmant » (I. II, 9, M. L. 44, 694). Alio in loco Augustinus adiungit, quod Patres tunc iudicaverunt, cum ab odio, amicitia,

inimicitia, ira vacui erant : « quod *invenerunt in Ecclesia, tenuerunt ;* quod didicerunt, docuerunt ; quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt » (l. *c.,* n, 34, M. L. 44, 698).

S. Cyrillus Alex, ita concludit : « Omnibus quibus integra mens est, propositus est hic scopus ut illorum (sc. Patrum) opiniones sequantur, quoniam et ipsi, apostolica et evangelica *traditione* cum *mentem implevissent* suam ac fidei doctrinam recte ac *citra labem et errorem* admodum tractassent, luminaria in mundo fuerunt, verbum vitæ continentes» *(Apol.,* pro. 12 cap., in Anath., VIII; M. G. 76, 350). Cf. Theodoret.. *Ep.,* M. G., 83, 1284,; Vinc. Lerins., *Commonit.,* c. m, ss., 28.

Prob. 3. *Ex natura rei.* SS. Patres, ut *doctores* sunt competentes in cognoscenda et testificanda doctrina Ecclesiæ, ut *sancti,* non defuit ipsis illuminatio et quodvis auxilium Spiritus S., ut *approbati,* constat de eorum orthodoxia. Atqui ex his omnibus sequitur, testimonium unanime SS. Patrum subministrare certum argumentum pro veritate doctrinæ eorum.

Quodsi quidem scientia, sanctitas et orthodoxia SS Patrum *historice* tantum consideratur, certitudo inde subsequens, historica tantum est ac humana ; quodsi vero sanctitas, scientia ac orthodoxia *secundum principia fidei christianæ* adeoque in lumine fidei consideratur, certitudo consequens est divina adeoque dogmatica. Etenim secundum principia Christiana omnia illa tria, sc. sanctitas cum scientia fidei eximia absque errore, est donum speciale gratiæ divinæ quod secundum seipsum est veritatis argumentum, et quidem divinum.

Itaque SS. Patribus appropriantur optime verba Domini : « Vos estis sal terræ... vos estis lux mundi » (Mt., xv, 13, 14), i. e. quod SS. Patres a Deo dati sunt Ecclesiæ in illuminationem, in conservationem, in consolationem. Etenim Ghristus quidem Ecclesiam primario per Romanum Pontificem et per episcopos illi coniunctos illuminat, gubernat atque conservat—quibus proinde etiam charisma infaliibilitatis promisit; attamen Christus Ecclesiam etiam aliis auxiliis illuminat. In primitivo quidem tempore Christus abundantiam charismatum Ecclesiæ largitus est, ponendo

ni Ecclesia « quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, *ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi* ». (Eph., iv, 11, 12) : « ad ædificationem et exhortationem et consolationem » (Z Cor., xiv, 3). Simili tamen modo in tempore subséquent! Christus ss. Patres suscitavit ac illuminavit in auxilium Ecclesiæ docentis, in illuminationem Ecclesiæ credentis, in consummationem corporis Christi. Neque huiusmodi auxilium Ecclesiæ temporis posterioris deficit, ‹ Jiristo per Spiritum S. illuminante SS. Doctores Ecclesiæ nec non theologos, spiritu et mente catholicos. Atque il a Deus omnia *suaviter disponit,* dirigendo, illuminando ac conservando Ecclesiam per causas proprias et proportionates, ut « omnia quasi propria sponte perveniant in id ad quod divinitus ordinantur » (S. Thomas, I, q. cui, a. 8).

VII. Inde solvuntur obiectiones. — *Obiectio* Ia. Nullus Pater particularis est infallibilis ; ergo neque omnes Patres simul.

Resp. Transmisso antecedenti negatur consequens et consequentia. Ex eo enim quod singuli Patres, seorsim sumpti, errare possunt, minime sequitur, eos etiam collec- l im sumptos errare posse. Ita decem homines, seorsim quidem sumpti, non constituunt societatem, optime tamen collectin'!.

Vel *distinguendum* est : cuncti Patres simul errare possunt, ut doctores *privati,* transeat; ut *testes,* nego. Similiter m testibus coram iudice testimonium unius vel alterius Iirinum forsitan argumentum non facit, testimonium autem plurium, præsertim testium quaiificatorum, testimonium certum facit. Plurium enim testium consensio singulis lolimoniis unitatem quandam affert, ex qua unitate præ- ‹ i - l certitudo nascitur. In testimonio quidem uniformi lestium iudicialium unitas est mere moralis adeoque simul certitudo inde nata : fundatur enim in certitudine morali cognitionis uniformis hominum; in testimonio vero unanimi SS. Patrum unitas est supernaturalis atque certitudo consequens est absoluta : fundatur enim in infallibilitate Ecclesiæ cuius doctrinam Patres testificantur. Inde infal-

libilitas Ecclesiæ participatur in ss. Patribus quoad testificationem, utpote ut in testibus ab Ecclesia approbatis. Quo sensu S. Thomas ait : « Ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia catholica auctoritatem habet » (II, II, q. x, a. 12), i. e. sive *doctrina* ipsa ut ab Ecclesia approbata sive *testimonium* doctrinale ut testium approbatorum ab Ecclesia. Itaque nulla nova infallibilitas statuitur, sed exercitium infallibilitatis Ecclesiæ.

Obieclio IIa. Probare per Patres Ecclesiam et per Ecclesiam Patres, est petitio principii. Atqui ita fit in asserenda auctoritate Patrum. Ergo.

Besp. distinguendo : probare Ecclesiam per Patres tanquam per testes dogmaticos, disputando contra *acatholicos,* est petitio principii, conc. ; inter *catholicos,* nego.

Explic. Certe in argumentatione contra acatholicos qui sc. institutionem divinam ac infallibilitatem Ecclesiæ non admittunt, SS. Patr°s in argumentum dogmaticum sine petitione principii adduci nequeunt : unde in apologetica Ecclesiæ SS. Patres vel ut testes historici adducuntur vel saltem abstrahitur a valore dogmatico doctrinæ ipsorum. In argumentatione autem dogmatica quæ fit in theologia catholica, nil obest quin doctrina SS. Patrum tanquam argumentum dogmaticum ad probandam doctrinam Ecclesiæ adducatur, cum SS. Patres tanquam testes doctrinæ Ecclesiæ auctoritatem habeant. Nihil autem obstat quin ille qui testimonium fert, auctoritatem testis habeat ab illo de cuius factis vel dictis testificatur ; e contra testis e. g a reo admissus et qualificatus maiorem habet auctoritatem quam testis non admissus vel disqualificatus. Denique per ss. Patres *non Ecclesia ipsa* probatur : veritas enim Ecclesiæ in argumento dogmatico supponitur ; sed ex testimonio Patrum ostenditur *quænam sit doctrina Ecclesiae* vel quænam doctrina revelata Ecclesiæ sit commissa. Itaque argumentum ex ss. Patribus nullam involvit contradictionem.

Obiectio IIIa. Quodsi ss. Patms auctoritatem habent ut testes ab Ecclesia admissi et inquantum sunt ab Ecclesia approbati, locus theologicus ex auctoritate ss. Patrum idem est ac locus ex auctoritate Ecclesiæ ipsius.

Besp. distinguendo : quodsi consideretur tantum *doc-*

Irina ss. Patrum, et quidem ut est ab Ecclesia approbata, cone. : tunc enim revera de doctrina Ecclesiæ ipsius agitur, quam sc. Ecclesia suam fecit ; quodsi vero *testimonium.* SS. Patrum circa doctrinam quandam consideratur, sc. quod talis doctrina sit doctrina revelata vel credita vel doctrina Ecclesiæ, nego. Alia enim est auctoritas testis, alia est auctoritas doctrinæ testificatæ, adeoque aba est auctoritas Patrum ut testium, alia Ecclesiæ docentis vel credentis. Tamen vis dogmatica testimonii SS. Patrum *dependet* ab hoc quod doctrina Ecclesiæ quam testificantur, sit divinitus vera.

Obiectio IVa. S. Augustinus protestatur : « Solis iis Scripturarum libris qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam... Alios autem ita lego ut quantalibet sanctitate et doctrina præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita sensuerunt ; sed quia mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt » (Ep. 82, 3 ad Hieronymum, M. L. 33, 277). Atqui his verbis Augustinus SS. Patribus auctoritatem dogmaticam denegare videtur.

Hesp. S. Augustinus scriptoribus ecclesiasticis auctoritatem denegat : *a)* illam auctoritatem infallibilem et absolutam quæ S. *Scripturæ* competit ; *b)* ut doctoribus *privatis;* c) *singulis* auctoribus : id enim verba clare evincunt; nonvero Augustinus Patribus ut *testibus* auctoritatem denegat : de hac enim re in textu citato ac in occasione data minime loquitur ; aliis autem in occasionibus et locis auctoritatem istam aperte proclamat, appellando sc. ad « universi orbis auctoritatem » (De bapt., II, 5), ad « universalis Ecclesiæ consensionem » (De bapt., VII, 102), ad « universæ Ecclesiæ concordissimam auctoritatem » *(ib.,* II, 5) vel scribendo quod homoousion « in concilio Nicæno... a catholicis patribus veritatis auctoritate et auctoritatis veritate firmatum est » (Contra Maxim. Arian. II, xiv, 3). Atqui Ecclesiæ universæ auctoritas, consensio et concordia in doctrina unanimi SS. Patrum maxime apparet[1].

1. Cf. P. Batiffol, *Le catholicisine de S. Augustin,* p. 37 ss.

VII. Corollaria de auctoritate SS. Patrum. — Uti vidimus, testimonium ss. Patrum certum ac infallibile argumentum præbet in rebus fidei et morum et cum adsit consensus eorum unanimis. Circa aliam materiam vel quando non adest testimonium commune, doctrina SS. Patrum argumentum quidem certum non præbet, attamen non esi absque ulla auctoritate. Inde secundum doctrinam communem sequentia habentur corollaria quorum veritas et ratio ex iam dictis facile patet.

1. *Circa res fidei et morum, a) Unias aut duorum Patrum* auctoritas « probabile quidem argumentum subministrare potest, firmum vero non potest. Ita despicere et pro nihilo habere impudentis erit ; suscipere et habere pro certo, erit omnino imprudentis » (Canus, *de locis theol.* vu, 3, secunda conci.). Ratio patet ex valore testimonii.

b) « *Plurium sanctorum* auctoritas, *reliquis,* licet paucioribus *reclamantibus,* firma argumenta theologo sufficere et præstare non valet » *(Canus,* l. c., conci. 3).

c) « *Interdum* fit ut *plures Patres,* aliquam doctrinam testificantes, *irrefragabile argumentum* suppeditent », si sc. isti Patres, etsi pauciores, omnium mentem expressisse censeantur (de Groot, q. xx, a. 2, η. 1 c.l : quo enim in casu æquivalenter consensus unanimis Patrum habetur.

d) Singulorum Patrum *non* omnium *par* est *auctoritas,* sed differt secundum approbationem et materiam, inquantum sc. aliquis Pater est testis magis qualifiçatus. Ita maxima est auctoritas Athanasii in quæstione antiariana, maxima auctoritas Gregorii Naz., Nysseni et Basilii in quæstione trinitaria, maxima auctoritas Cyrilli Alex, in quæsstione de unione hypostatica, maxima denique auctoritas S. Augustini in doctrina de gratia et prædestinatione : quippe quia huiusmodi Patres in materiis relativis sunt testes maxime competentes et specialiter ab Ecclesia approbati. Inde nascitur monitum pro theologis ut in quæstionibus determinatis maxime Patres et Doctores in illa materia competentes et quasi « expertes » consulant.

e) SS. Patres *ut doctores privati,* etiam in rebus quæ ad fidem vel mores pertinent, auctoritatem dogmaticam non habent, i. e. doctrina eorum theologo firmum argumentum non præbet; unde SS. Patres ut doctores privati

Imlicnt auctoritatem humanam, pro mensura ingenii, doc-liiiiie, argumentorum. Certe tamen SS. Patres, etiam ut ■priores privati, magnam induunt auctoritatem. Denique |›r‹› praxi notandum est quod non raro difficile est diiudi-l ure, an SS. Patres tgnquam testes vel tanquam doctores privati locuti fuerint, neque facile præsumendum est, I'e lres tantum ut doctores privatos locutos esse.

/) Denique *doctrina ipsa SS. Patrum* circa res fidei et morum, non ut est doctrina Patrum, sed *ut est ab Ecclesia approbata.,* quam sc. Ecclesia suam fecit, auctoritatem et vim dogmaticam habet, *secundum gradum quo ab Ecclesia rsl approbata.* Multæ sc. doctrinæ ss. Patrum postmodum ab Ecclesia fuerunt defmitæ, ut e. g. duodecim capitula S. Cyrilli Alex, in Conc. Ephesino, multæ doctrinæ S. Augustini de pceato originali et de gratia in Conc. Carthag. (418), in Gone. Arausicano II (529) (vel in approbatione consequenti horum Conciliorum) et in Conc. Tridmtino ; similiter plures doctrinæ S. Thomæ in Concilio l uni Tridentino tum Vaticano defmitæ sunt. Aliæ doctrinæ quorundam Patrum declarationibus ecclesiasticis specialibus approbate fuerunt, licet non tanquam dogmata delinite.

2. *Circa ea quæ in S. Scriptura habentur, at indirecte tantum ad res fidei perlinent,* ut circa res physicas, astronouiicas, mere historicas, sententia SS. Patrum firmum argumentum non præstat, et auctoritas non est maior quam sententiæ ipsius quam proferunt. Ratio est, quia huiusmodi res ad obiectum auctoritatis dogmaticæ Patrum non perlinent ; et insuper Patres in his rebus indicandis non tam sententiam Ecclesiæ, sed propriam referunt, immo senten-l iam scientiæ illius temporis. Unde Leo XIII (Denz., 1948) docet : « Non omnes æque sententiæ tuenfæ sunt quas singuli Patres aut qui deinceps interpretes in tadem (S. Scriptura) declaranda ediderunt : qui prout erant opiniones .etatis, in locis edisserendis, ubi physica aguntur, fortasse non ita semper iudicaverunt ex veritate, ut quædam posuerint quæ nunc minus probantur»(Denz., 1948). Similiter iam S. *Thomas* scripserat : « Expositores S. Scripturæ in hoc (in doctrina de natura firmamenti) diversificati sunt, secundum quod diversorum philosophorum sectatores fuerunt » (In II *Sent.,* d. 14, q. i, a. 2).

3. *Extra res fidei et morum* SS. Patres non ut Patres sed ut doctores privati vel ut philosophi auctoritatem habent et doctrina eorum tantum probat quantum probant argumenta. Minime tamen SS. Patres, etiam ut philosophi, parvi habendi sunt. Licet enim quidam ex iis doctrina philosophica minus imbuti fuerint, tamen vel ipsi et maxime alii multas veritates philosophicas in lumine fidei optime statuerunt. S. Thomas merito notat : « Sancti (sc. Patres) hoc tradiderunt, non quasi asserentes, sed sicut *utentes* his quæ in philosophia didicerant ; unde non sunt maioris auctoritatis quam dicta phiilosaphorum quos sequuntur, nisi in hoc quod sunt ab omni infidelitatis suspicione separati » (In Sent., II, d. 14, q. i, a. 2). Atque S. Thomas ipse doctrinam philosophicam S. Augustini multis in partibus correxit (cf. Hertling, *Augustinuszitate).*

4. Ex dictis quoque quæstio *de auctoritate S. Augustini* facile solvitur[1].

n) De fide tenenda est S. Augustini sententia in iis tantum quæ ab Ecclesia expresse definita fuerint.

&) DoctrinaS. Augustini, quæ ad res fidei et morum pertinet, maxime ea quæ est de gratia, de peccato originali et de prædestinatione, etiamsi ab Ecclesia definita non fuerit, *tuto teneri potest ac debet.* Sensus propositionis est quod talis doctrina S. Doetoris a theologo secundum regulas scientiæ suæ teneri possit ac debeat, et quod theologus, talem doctrinam non admittendo, contra principia scientiæ suæ peccet. Cum autem doctrina s. Augustini non sit definita neque alio modo infallibiliter certa, probationem contrariam sive ex S. Scriptura sive ex traditione sive ex declaTatione Ecclesiæ admittit.

Quæ propositio facile ex dictis sequitur. Nam primo S. Augustinus specialiter tanquam testis doctrinæ Ecclesiæ est approbatus ; præsertim in doctrina de peccato originali, de prædestinatione et de gratia ; secundo Ecclesia doctrinam S. Augustini, maxime eam quæ est de gratia, de peccato originali et de prædestinatione, suam fecit. Inde doctrina S. Augustini dupliciter specialem habet auctoritatem,

1. Cf. G. de Schaezler, *Introductio in s. theol. dogm.,* p. 209-219.

Imu ut testis specialiter approbati, tum ut doctrina quam 1|'ь lesia suam fecit1.

c) De approbatione specialissima doctrinæ S. Augustini *dubium esse nequit.* Inter ep. Ccelestini I habetur : « Auguulijium s'. r. virum... in nostra communione semper habuimus nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor mlspersit : quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus ut m 1er magistros optimos etiam ante a meis semper decessoribus haberetur » (Denz. 128 ; cf. *ibidem* n. 320. 322. 388). Iiijinde summa s. Augustini auctoritas ex eo patet quod plura Concilia doctrinam S. Augustini, ipsissimis ipsius verbis definierunt. Denique Clemens VIII rationes propter quas in celeberrima Congregatione « De auxiliis » totam disputationem ad normam doctrinæ S. Augustini de gratia ndstrinxisset, his verbis proposuit : « Prima est, quod si leste B. Prospero fere initio libri contra Collatorem, viginti minorum spatio acies Ecclesiæ ita dimicavit pro gratia contra Pelagianos, ut tandem Augustino duce vicerit, oportet etiam in causa consimili eundem ducem agnoscamus d sequamur. Secunda est, quod idem sanctus nihil videtur prætermississe eorum quæ ad præsentes quæstiones perlinent... Tertia ratio est quod cum multi Pontifices et prædecessores nostri doctrinæ S. Augustini tam acres fuerint assertores et vindices, ut quasi hæreditario iure eam in Ecclesia relinqui voluerint, æquum est ut non patiar illam hac hæreditate privari2. »

d) Neque tres solitæ *exceptiones* obstant. *Primo* enim obiicitvr c. xiii « Indiculi » de gratia, Cœlestini I, ubi dicitur : « Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quæstionum quas latius pertractarunt qui hæreticis restituerunt, sicut non audemus contemnere ita non necesse habemus adstruere... » (Denz., 142)3.

1. Optime Schaezler, l. c., p. 210 : « Est enim probe a<lvertendu.m - quod dictrina S. Augustini non propter eximias ingenii dotes qufchê ·?« Ille præstitit, neque ab aliam quamcumque similem exceJleniiarn lania sit auctoritate ; sed hanc nimirum ideo accepit quia fideftt$r\ exprimit verum sensum traditionis ». \

2. Oratio habita in principio disputationum. Gf. Card. Noris, *V'indiciæ Augustinianæ,* c. vi ; Venet., 1769, II, 438; Macedo, *Concentus Euchologicus,* Venet, 1668, 406.

3. Cl'. P. Batiffol, *Le catholicisme de saint Augustin,* p. 629-534.

Resp. Optime Schazler respondet, ad « profundiores el difficiliores partes » « pertinere illas omnes sententias qua· non asseruntur ut pertinentes ad doctrinam fidei, sive qua· solum spectant ad *modum* exponendi doctrinam assertam, non ad substantiam eius. Loquitur dicta clausula de rebus *latius pertractis* adeoque de talibus quæ maioris explicationis gratia, præsertim a discipulis S. Augustini, adiiciebantur principalibus assertis eius, exprimentibus ipsam substantiam doctrinæ » (l. c., p. 204). Unde immerito quidam concludunt, non omnem doctrinam Augustini, ad •res fidei et morum pertinentem, ab Ecclesia approbatam esse.

Tantummodo sub nomine « *doctrinæ S. Augustini* » intelligitur doctrina quam ipse certe ac definitive tanquam doctrinam fidei vel Ecclesiæ asserit, minime vero ea multa quam Augustinus dubitative tantum vel opinative proposuit.

Secundo ipsa verba Augustini opponuntur[1], cum dicit : « Neminem velim sic amplecti mea ut me sequatur nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit » (De dono perseverantiæ, I, 21, M. 45, 1027).

Resp. Manifestum est, Augustinum loqui de se ipso tanquam de doctore privato, non vero tanquam de Patre vel Doctore Ecclesiæ, neque de sua doctrina prout Ecclesia eam suam fecit. Dictum igitur illüd Augustini non est ad rem.

Tertio opponitur damnatio propositionis iansenisticæ : « Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam » (Denz., 1320).

Resp. Damnatio illa nihil probat quoad nostram quæstionem sed tantum errores iansenisticos respuit. Propositio enim damnata multiplici errore laborat. Primo negat auctoritatem infallibilem Romani Pontificis ; secundo non distinguit inter doctrinas ad fidem vel ad alias res pertinentes; tertio non distinguit inter ea quæ Augustinus ut testis fidei Ecclesiæ, et quæ ut doctor privatus edocet ; quarto

1. Ita in ipso *Enchiridion,* Denzinger-Baunwart, in nota ad n. 128.

mn distinguit inter doctrinam S. Augustini ipsam et documini quam quis subjective in S. Augustino invenisse iediderit, ut Jansenistæ præcise aliam doctrinam in I. Augustino invenisse gloriabantur quam alii theologi id holici, imo Ecclesia ipsa.

VIII. De necessitate, utilitate et difficultate argumenti x Patribus in theologia. — *d)* Argumentum ex doctrina IS. Patrum pro theologia est maxime *necessarium,* et piidem non tam mere historicum quam dogmaticum : ita niiii doctrina traditionis Ecclesiæ veteris complete et lliiaciter proponitur.

b) Similiter huiusmodi argumentum maxime *utile* est. A doctrina enim ss. Patrum primo patefit *sensus* tum). Scripturæ tum definitionum dogmaticarum tum traditionis divinæ; secundo apparet quo *modo* singulæ doctrinæ evelatæ succedentibus temporibus in Ecclesia creditæ, doctæ ac propositæ fuerint ; tertio *argumenta* theologica durima et optima theologo quasi ad manus offeruntur ; uarto *termini* optimi ac ab Ecclesia approbati discuntur l que sensus eorum innotescit.

c) Tamen argumentum ex SS. Patribus *non* est res *tam acile* sicut plurimi opinantur. Non enim sufficit, adducere [iiosdam textus fortuito inventos et qui primo intuito rem uæsitam vel thesim propositam enuntiare videntur ; e ontra examen accuratum necessarium est tum authenticiatis textus tum sensus dictionis, attentis omnibus circumtantiis historicis. Insuper opus est ut theologus æquivaleniam dictorum et formularum SS. Patrum tum inter se tum um verbis S. Scripturæ et cum definitionibus Ecclesiæ cl cum thesi a theologo proposita ostendat. Perfectissinum foret argumentum illud quo manifestatur qua ratione l quo modo aliqua doctrina revelata incipiendo a S. Scripura vel a traditione primitiva successive per diversa empora in Ecclesia enuntiata fuerit[1].IX.

IX. Regulæ pro usu SS. Patrum. —Non est hic locus

1. Cf. quæ de hac re scripsimus in « Introductio in historiam dogmatum », a 19.

exponendi regulas particulares expositionis et investigationis scientific® doctrinæ SS. Patrum, sed sufficiat notare quasdam regulas generales, prout ad tractatum de locis theologicis pertinent.

Primo: Maxima semper SS. Patribus debetur reverentia, utpote ut instrumentis Spiritus S., ut ministris et simul testibus approbatis Ecclesiæ, ut ducibus victoriosis in bello contra hæreses. Contra reverentiam debitam non solum illi peccant qui auctoritatem SS. Patrum negant vel vilipendunt, sed etiam ii qui Patres facile ac temerarie de errore accusant. Unde dicta ambigua SS. Patrum benigne interpretanda sunt, secundum monitum S. Thomæ : « Si aliqua in dictis antiquorum doctorum inveniuntur quæ cum tanta cautela non dicantur quanta a modernis servatur, non sunt contemmenda aut abiicienda, sed nec etiam ea extendere (sc. premere) oportet, sed *exponere reverenter* » (Contra errores Græc., prœmium). De reliquo despectus vel accusatio SS. Patrum communiter ex ignorantia procedit.

Secundo : Maxime vitandum est *studium, trahendi SS. Patres ad sensum proprium ;* e contra summa diligentia ipse sensus doctrinæ SS. Patrum investigandus ac determinandus est, ita ut theologus sententiam suam doctrinæ Patrum accomodet, non vero defectus ac errores proprios Patribus imputet. Quot controversiæ theologicæ non amplius existèrent vel nunquam extitissent, quodsi regula ista semper adamussim observata fuisset !

Tertio : optimum exemplum usus SS. Patrum habes in S. Thoma. Ipse enim primo in suis scriptis, maxime in Summa theologica, regulariter doctrinam SS. Patrum reddit, ut ex argumento « sed contra » et præcipue ex dictis Patrum in corp. art. adductis patet — paucos enim invenies articulos S. Thomæ in quibus sententiam suam ex Patribus non confirmaverit. Secundo Aquinas diligentissime sensum doctrinæ vel dictorum SS. Patrum inquirit, communiter apposita distinctione opportuna: inde plurimi articuli sunt proprie explicationes ac determinationes dictorum SS. Patrum.

Tertio Angelicus quantum potest *terminologiam* SS. Patrum retinet et applicat, atque studiose sensum accuratum

ac, uti dicunt, formalem terminorum traditorum applicare nititur.

Quarto Doctor communis dicta singulorum Patrum in unam doctrinam unire conatur, simul illustrando unum dictum per aliud ac inde rem ipsam. Quæ omnia complexus, Leo XIII in Encycl. « Æterni Patris » de S. Thoma verba Caietani (In II, II, q. CXLVIII, a. 4) refert : « doctores sacros quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est. »

ARTICULUS SEPTUAGESIMUS SECUNDUS

De auctoritate theologorum[1]

1. Prsenotamina. — 1. Sub nomine *theologorum* intelliiguntur *viri docti qui elapsa ss. Patrum setate doctrinam sacram in Ecclesia scientifice docuerunt.* Quodsi theologi ‹ in Ecclesia » docuisse dicuntur, intelligendum est non tantum materialiter, sed formaliter, sc. quod in unione cum Ecclesia docuerunt, sive missione proprie dicta accepta, sive saltem cum consensu expresso vel tacito Ecclesiæ. Unde hic non annumerantur nec theologi ab Ecclesia damnati nec illi qui data opera contra directionem et sensum Ecclesiæ docuerunt. Sub nomine sacræ doctrinæ theologiam tum dogmaticam tum moralem intelligimus, ad modum quo S. Thomas et scholastica vetus sacram doctrinam intellexit (cf. Summa theol., I, q. i). Denique hic sub nomine theologorum non intelliguntur illi qui sacram doctrinam Tnodo mere historico tractaverunt, sed tantum illi qui doctrinam revelatam proprie excoluerunt.

2. *De distinctione inter theologiam positivam et scholasticam.* — *Theologi positivi* illi vocantur qui doctrinam fidei investigant et exponunt *ex S. Scriptura et ex documentis traditionis* adeoque præsertim ex doctrina SS. Patrum, Doctorum et veterum theologorum, maxime ope investigationis historicæ. Subdividitur theplogia positiva in *mere positivam* quæ maxime doctrinam veterem simpliciter determinat et proponit, in theologiam *biblicam* quæ maxime sensum doctrinæ S. Scripturæ investigat, ac theologicam *patristicam* quæ sensum doctrinæ ss. Patrum investigat ;

1. M. Cano, *De locis theologicis,* l. VIII ; Du Plessis d'Argentre, *Elementa theologica,* c. x ; Gautier, *Prodromus ad theol.,* c. n, art. 7 ; Scheeben, *Dogmatik,* i, § 27 ; Franzelin, *De traditione,* thesis XVII ; A. Weiss, O. P., *Liberalismus und Christentum,* 1914, p. 106 ss.; H. Lamiroy, *De auctoritate theologorum,* coli. Brug., t. XXIV, 1924, p. 66-69.

lue duæ notris temporibus-maxime auxilio investigationis historic® utuntur.

Theologia *scholastica* maxime *intellectum* fidei quaerit : el quidem tum ex documentis S. Scripturæ et traditionis, i. e. SS. Patrum et theologorum, tum mediante usu ra- l ionis deducentis (syllogismi!, immo mediante applicatione philosophiæ in explicandis revelatis et deducendis conclusionibus et definitionibus efformandis. Historice loquendo, l heologia scholastica tanquam proprium habet quod philosophiam aristotelicam in excolenda theologia applicavit.

Inde duo simul patent : *primo* quod divisio inter theologos positivos et scholasticos non est divisio personarum sed modi tractandi theologiam : unde theologus positivus potest simul esse scholasticus sicut viceversa ; *secundo* quod ipsa theologia scholastica magna ex parte est positiva, utpote vetera documenta investigans et exponens sicut theologia positiva : immo quamplurimi ex illis qui scholastici vocantur, proprie non nisi theologi positivi sunt, quaerentes sc. intellectum fidei ex documentis veterum theologorum. Theologia autem scholastica proprie dicta super positivam hoc addit quod intellectum fidei non tantum ex sententiis veterum, sed insuper per deductionem rationalem, per definitiones formales, per unionem doctrinarum in systema quoddam, ac denique per applicationem philosophiæ quaerit.

3. *Theologi diversimode considerari possunt, sicut SS. Patres.*

a) Considerari possunt theologi vel ut *doctores privati,* inquantum sc. doctrinam revelatam proprio ingenio vel etiam ope philosophiæ determinant, exprimunt, vel simpliciter rationes philosophicas adducunt; vel ut *testes* fidei, inquantum sc. doctrinam S. Scripturæ, traditionis, Ecclesiæ reddunt. Theologi igitur tanquam doctores privati considerandi sunt quoad opus proprie scientificum, ut testes vero quoad doctrinam quam ut doctrinam fidei exhibent.

'b) Theologi considerari possunt vel *mere personaliter,* ut cultores scientiæ, ingenio pollentes, scientia excellentes, vel *ut theologi Ecclesiæ,* habentes sc. missionem vel approbationem Ecclesiæ.

c) Similiter sicut in Patribus etiam in theologis triplex

auctoritas distinguitur, sc. *historica, scientifica, dogmatica.*

d) Denique doctrina theologorum considerari potest vel *ut est theologorum* vel ut est *Ecclesiæ,* quatenus sc. Ecclesia eam suam fecit.

II. Sententiæ adversae. — Iam in medio ævo theologia scholastica impugnata fuit, ut a Baco de Verulam. Bellum tamen contra theologiam scholasticam maxime a *humanistis* declaratum est, apparenter propter defectum elegantiæ styli et verborum, revera autem quia scholastici principia supernaturalia defendebant quæ humanistæ impugnabant, utpote naturalismo ethnico addicti. Maxime *protestantes* theologorum auctoritatem negaverunt, deridentes doctrinam scholasticam tanquam « ignorantiam veritatis inanemque fallaciam » (Lutherus) vel tanquam « Evangelium obscuratum ac fidem extinctam » (Melanchton) ; — cf. *Cano,* l. c., cui.

Infensissimi fuerunt in scholasticam *lansenistse,* imputantes ipsi obscurationem doctrinæ revelatæ[1]. Ultimis temporibus non tantum rationalistæ ac modernistæ sed maxime sic dictus *liberalismus* theologiam scholasticam impugnat ac odio habet[2].

III. Doctrina Ecclesiæ. — Ecclesia sententiam suam de thologia scholastica multipliciter manifestavit, tum sc. damnando sententias contrarias, tum practice applicando doctrinam scholasticam, tum declarando aliquos scholasticos ut Doctores Ecclesiæ.

Pius VI. damnavit insectationem qua synodus Pistoriensis « scholasticam exagitat velut eam quæ viam aperuit inveniendis novis et inter se discordantibus systematibus quoad veritates maioris pretii ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum » (Denz., 1576) ; similiter damnavit assertionem « quæ conviciis et contumeliis insectatur sententias in scholis catholicis agitatas » (Denz., 1579), ac denique generaliter damnat propositionem» « quæ

1. *Chrismam* in sua *Regula fidei* locum theologicum ex auctoritate theologorum delet.

2. Cf. A. Weiss, O. P., *Lebens-und Gewissensfragen der Gegenwart,* I, 430 ; 464 ss. ; 485 ss. ; II, 222 ss. ; 488 ss.

statuit, postremis hisce sæculis sparsam esse (utpote maxime per scholasticos, ut Jansenistæ intelligebant) generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem et quæ sunt basis fidei et moralis doctrinæ Jesu Christi » (Denz., 1501).

Pius IX denuntiat, « in Germania falsam inyaluisse *opinionem* adversus veterem scholam et adversus doctrinam summorum illorum Doctorum quos propter admirabilem eorum sapientiam et vitæ sanctitatem universalis veneratur Ecclesia. » Atque hanc rem ita iudicat : « Qua falsa opinione ipsius Ecclesiæ auctoritas in discrimen vocatur quandoquidem ipsa Ecclesia non solum per tot continentia sæcula permisit ut ex eorundem doctorum methodo et principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia, verum etiam sæpissime summis laudibus theologorum doctrinam extulit illamque velut fortissimum fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit. » (Denz., 1680). Gf. *ibid..,* 1652,1713 (de methodo scholastica.)

Practice Ecclesia doctrinam scholasticorum approbavit, inquantum illa in questionibus decidendis, immo definiendis utebatur, ut in Cone. Vienn. (Denz., 483) et in Cone. Trid. et Vatie., quorum definitiones summam doctrinæ scholasticæ exhibent, et quidem in forma a theologia scholastica exarata, maxime vero declarando S. Bonaventuram et S. Thomam_ Doctores Ecclesiæ.

Denique Ecclesia in C. I. G. statuit : « Philosophiæ rationalis ac theologiæ studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino' pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant » (can. 1366 § 2). Similiter tota reliqua approbatio doctrinæ s. Thomæ, de qua infra, theologiam scholasticam commendat.

IV. Thesis : Doctrina unanimis theologorum in rebus fidei et morum argumentum dogmaticum certum præstat. — Sensus propositionis patet ex iis quæ super de auctoritate SS. Patrum notavimus.

Prob. 1°. *Ex connexione theologorum cum Ecclesia.* Theologi ut homines quidem, sc. ut colentes scientiam theo-

logicam, auctoritatem tantum scientificam et historicam habent, ut ministri autem, organa et testes Ecclesiæ auctoritatem habent simul dogmaticam eamque certam.

Etenim Ecclesiæ doctrina circa res fidei et morum auctoritatem habet dogmaticam certam. Atqui *a)* unanimis doctrina theologorum doctrinam Ecclesiæ *testificatur atque exprimit,* cum Ecclesia communem doctrinam theologorum tanquam veram ac suam admittat, sive tacite sive virtualiter, immo vel expresse approbet; *b)* theologi ut *ministri et organa Ecclesiæ fideles* in doctrina fidei instruunt : nam de facto in Ecclesia ea prædicantur, docentur, tenentur, immo creduntur quæ a theologis tanquam doctrina fidei proponuntur ac edocentur, ac denique tota vita Christianorum doctrinam theologorum sequitur.

Itaque concors theologorum doctrina ex connexione cum Ecclesia auctoritatem habet dogmaticam eamque certam, cum secus auctoritas Ecclesiæ ipsius periclitetur, utpote ut admittentis, tuentis, immo approbantis doctrinam theologorum. Inde auctoritas theologorum eodem modo ac auctoritas SS. Patrum in S. Scriptura et in traditione enuntiatur, sc. ut connexa cum auctoritate dogmatica Ecclesiæ.

Confirmatur argumentum ex eo quod auctoritas theologorum dogmatica ab iis omnibus et solis negatur qui vel auctoritatem dogmaticam Ecclesiæ non admittunt vel connexionem theologorum cum Ecplesia saltem non considerant. Nil mirum igitur quod omnes inimici Ecclesiæ vel catholicæ veritatis simul theologiæ catholicæ sint inimici.

Prob. 2°. *Ex falsis præsuppositis sententiæ contrariée.* Adversarii auctoritatem dogmaticam theologorum negant:

a) Solvendo vinculum inter Ecglesiam et theologos, vel etiam negando vel saltem minuendo auctoritatem dogmaticam Ecclesiæ ipsius ;

b) Impugnando directe doctrinam catholicam quam theologi proponunt atque defendunt ;

c) Conando introducere philosophiam erroneam vel alios conceptus falsos, incompossibiles cum doctrina fidei — id quodpræsertim in adversariis theologiæ scholasticæ accidit.

Prob. 3°. *Ex effectu.* Doctrina theologorum, maxime scholasticorum, doctrinam fidei optime explicat atque defen-

illit, fidem nutrit ac gignit, vitam christianam auxit atque perfecit : dum e contra quandocumque et inquantum doctrina theologorum atque maxime scholasticorum derelicta fuit, errores theologici, immo vel hæreses, insurrexerunt ac ipsa vita Christiana delapsa est. Huius rei testis est Lota historia ecclesiastica, incipiendo a medio ævo usque ad dies hodiernos : una ex parte enim habes magnificam explicationem et evolutionem doctrinæ christianæ apud scholasticos, approbante et applaudente Ecclesia — cuius est iudicare de veritate doctrinæ theologicæ — et simul habes fidem et vitam christianam eximiam ; altera ex parte habes hæreses, errores theologicos, vitam christianam declinantem, ut probat historia protestantium, baianorum, jansenistarum, modernistarum et aliorum adversariorum recentiorum theologiæ scholasticæ.

V. Corollaria de auctoritate theologorum. — Auctoritas theologorum, sicut et SS. Patrum, alia est atque alia secundum diversitatem materiæ et consensus.

Primo : quoad res historicas, physicas aliasque mere naturales, vide quæ circa auctoritatem SS. Patrum diximus : in his enim rebus scholastici sicut SS. Patres non doctrinam Ecclesiæ, sed sententiam propriam enuntiant, immo non raro doctrinam tantum aliorum referunt. Immerito igitur adversarii ad quasdam doctrinas naturales scholasticorum, hodie reiectas, appellant.

Secondo : quoad res fidei et morum sequentia sunt statuenda :

a) Consensus unanimis theologorum præbet certum argumentum theologicum et *quidem inquantum theologi doctrinam unanimiter edocent.* Itaque a) si theologi doctrinam unanimiter tanquam *doctrinam fidei* proponunt, certum argumentum, omni exceptione maior, est quod illa doctrina sit doctrina fidei, i. e. ad depositum fidei pertinens. In qua re tamen attendendum est, quod theologi antitridentini doctrinam fidei vocant omnes doctrinas quæ obiective vel materialiter ad fidei depositum pertinent, etiamsi nondum ab Ecclesia ad credendum propositæ vel defmitæ fuerint, dum theologi posttridentini exactius inter doctrinas ab Ecclesia iam definitas (quas communiter

proprie tanquam de fide esse dicunt) et inter doctrinas mere obiective revelatas, ab Ecclesia autem nondum definitas, distinguunt, β) Quodsi vero theologi doctrinam quandam tantum ut *doctrinam certam* defendunt, testimonium unanime hoc saltem certificat.

b) Consensus unanimis potest haberi vel *simpliciter,* ut e. g. omnes theologi divinitatem Christi aperte testificantur, et quidem ut doctrinam fidei definitam, vel potest haberi *æquivalenter,* ita sc. ut secundum iudicium prudens et ex rerum circumstantiis omnes consentire censeantur, licet non omnium testimonium habeatur, dum sc. alii taceant dum contradicere debuissent, si sententiam contrariam habuissent ; immo quandoque testimonium paucorum sufficere potest, si sc. sint maiores et categorice doctrinam quandam tanquam doctrinam fidei vel catholicam proponant, aliis non contradicentibus. Denique notandum est quod regulariter consensus unius scholæ theologicæ ad constituendum vel probandum consensum unanimem non sufficit, maxime aliis scholis reclamantibus ; similiter regulariter ad consensum unanimem probandum consensus theologorum ante et post Concilium Tridentinum requiritur, ut patet.

c) Theologorum consensus plus *minusve communis* argumentum quidem non certum, sed tamen solidum et probabile præbet, maxime si consentiunt theologi maioris auctoritatis. Immo semper periculosum est, recedere a sententia plus minusve communi theologorum[1].

d) Unius vel alterius tantum theologi, vel etiam aliquorum sed paucorum doctrina non est argumentum sufficiens, neque quod doctrina non sit contra sensum Ecclesiæ neque quod sit probabilis, *nisi auctores illi sint doctores Ecclesiæ vel specialiter ab Ecclesia approbati*[2]. Ita Alexander VII damnavit propositionem quæ tenet : « Si liber sit alicuius

1. Quantum ad sic dictam *sententiam communem* optime Pesch, l. c., n. 599 : « Notandum est modum loquendi, qui non raro occurrit apud posteriores theologos scholasticos, sc. doctrinam aliquam esse communem, nihil aliud significare nisi doctrinam esse a multis bonis doctoribus receptam ; ergo opposita potest simul esse communis, immo magis communis. »

2. Scheeben, *Dogmatik,* I, § 27, p. 157.

iunioris et moderni, debet opinio censeri probabilis dum non constet, reiectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem » (Denz., 1127).

e) Theologorum etiam multorum testimonium, aliis theologis doctis ac probatis reclamantibus, non plus valet ifiiam argumenta ipsorum vel etiam gravior auctoritas romprobarit (Canus, l. c., vm, 4, conci. 1).

/) Theologorum doctrina ut ab Ecclesia est acceptata ac quasi Ecclesiæ ipsius facta, in tantam habet auctoritatem inquantum est ab Ecclesia accepta vel inquantum doctrina Ecclesiæ ipsius facta est : patet.

VI. Obiectiones. — Difficultates contra auctoritatem theologorum generaliter sunt eædem ac contra auctoritatem SS. Patrum : recole igitur dicta in art. præcedenter n. 6. Specialiter obiicitur :

Ob. 1°. Non est theologorum efficere ut aliqua doctrina sit de fide vel certa vel catholica.

Besp. Non est theologorum *efficere* ut aliqua doctrina sit de fide, conc. ; non est theologorum *ostendere, manifesslare, testificari* quod aliqua doctrina sit de fide, certa,, catholica, temeraria, etc. : nego.

Explic. Cum sola revelata ad fidem pertineant, sola revelatio facit, efficit, ut aliqua doctrina materialiter sit sit de fide. Ecclesiæ vero est, doctrinam revelatam ad credendum proponere ut etiam formaliter sit de fide (dogma definitum). Theologorum vero consensus ostendit ac manifestat quod aliqua doctrina sit revelata, ab Ecclesia credita vel saltem ut catholica consideretur. Theologi igitur dogmata non efficiunt, sed manifestant ; similiter negans doctrinam a theologis admissam, non est hæreticus ex eo quod auctoritatem vel doctrinam *theologorum* non admittit (quoad hoc est temerarius vel errori obnoxius), sed inquantum doctrinam negat de qua ex testimonio unanimi theologorum infallibiliter constat quod sit *doctrina credenda.*

Ob. 2°. Theologi per plura sæcula unanimiter varios errores tenuerunt, ut circa formam et valorem absolutionis, circa materiam diversorum ordinum, circa conditiones ad communionem quotidianam requisitas ; denique in rebus gravissimis, ut de gratia et prædestinatione hucusque graviter inter se disputant.

Resp. Scholastici erraverunt in quibusdam quaestionibus fidei, transeat ; errorem tanquam doctrinam fidei ac unanimiter defenderunt, nego.

Explic. Exposuimus iam supra qua ratione in traditione error intervenire posset, ut sc. doctrina erronea non posset unanimiter tanquam doctrina fidei credi vel ab Ecclesia definiri, atque ita ut semper teneretur principium in quo doctrina vera implicite saltem contineretur. Atque hoc facile ostendi potest quoad omnes errores qui scholasticis imputantur. Ita circa formam et vim absolutionis saçramentalis minime sententia unanimis habebatur; quoad materiam sacramentorum, e. g. ordinis, semper plures erant sententiæ ; quoad conditiones communionis quotidianæ principium postmodum a Pio X statutum admittebatur ; controversiæ eo ipso quod res controvertitur, ostendunt quod consensus unanimis- non habeatur. De reliquo, ut notavimus circa doctrinam ss. Patrum, ex ipsis dictis sequitur quod locus theologicus ex auctoritate theologorum certum argumentum tantum in illis quæstionibus præstet circa quas habetur doctrina unanimis, non vero in aliis circa quas consensus unanimis desideratur.

Ob. 3°. Theologi sunt quidem testes validi *doctrinæ* prout est ab Ecclesia *definita,* at non sunt testes certi quoad *sensum* doctrinæ quem proponunt ; immo in hoc doctores privati censendi sunt, utpote propriam philosophiam applicantes et secundum illam dogmata interpretantes. Ita recentiores plurimi.

Resp. Theologi sunt testes tum doctrinæ, tum sensus doctrinæ definitæ : eodem modo quo de SS. Patribus notavimus. In sensu dogmatum determinando et explicando theologi, quantum quidem ad opus mere et subiectivc scientificum, ut doctores privati considerantur, ut in mediis argumentationis adhibendis, non vero quantum ad doctrinam quam tanquam doctrinam fidei vel Ecclesiæ proponunt, licet sensum doctrinæ aliis et aliis conceptibus et formulis exprimant.

Sententia contraria evidenter contra doctrinam Ecclesia; de auctoritate theologorum peccat : quodsi enim Ecclesia doctrinam theologorum approbat ac tanquam auctoritatem proponit, manifeste sensum doctrinæ scholasticæ ap-

probat ac tanquam normam proponit. Deinde auctoritas theologorum (sicut et Patrum) ad nihilum redigitur si illi lautum doctrinam ipsam, quasi verbaliter tantum, non vero eius sensum testificari valent. Denique absonum est Patres et theologos in determinando et explicando sensu doctrinæ fidei errasse : et hæc sententia errorem ianseni-sticum de obscuratione fidei in Ecclesia involvit. Unde vehementer errant illi quidam theologi recentiores qui e. g. dogma de Trinitate et de Incarnatione quidem admittunt, al non agnoscunt interpretationem, uti dicunt, meta-physicam SS. Patrum et theologorum circa illa dogmata.

Ob. 4°. Theologi, maxime scholastici, in plurimis quæs-stionibus doctrinam S. Scripturæ ac SS. Patrum neque sufficienter investigaverunt neque bene noverunt, sed potius ex principiis philosophicis iisque minus probabilibus conclusiones deduxerunt.

Resp. Dist : quoad res fidei et morum et inquantum sunt testes approbati, nego ; quoad res alias et inquantum pro-prias proponunt speculationes scientificas, transeat.

Explic. Obiectio modo posita sicut est communissima il a est falsissima, utpote procedens ex falso supposito. Nam obiectio, *primo* non distinguit inter scholasticos ut testes doctrinæ Ecclesiæ et ut doctores privatos ; *secundo* non considerat distinctionem inter doctrinam fidei et doc-trinas alias ; *tertio* non distinguit inter investigationem scientificam S. Scripturæ vel doctrinæ Patrum et inter co-gnitionem vel expositionem sensus S. Scripturæ secundum sensum Ecclesiæ : et hic proprie stat error obiectionis. Scholastici enim forsitan minus quam quidam exegetæ el historici moderni in scientifica investigatione doctrinæ S. Scripturæ vel traditionis insudabant, i. e. minus secun-dum regulas scientificas modernas ; at ex hoc non sequitur, eos verum sensum S. Scripturæ non nosse, saltem quoad res fidei et morum, cum e contra scholastici, sequentes el proponentes sensum Ecclesiæ, optime reddant sensum dogmaticum S. Scripturæ. Inde etiam habetur quod expo-silio S. Scripturæ multorum modernorum in S. theolo-gia vel minoris est auctoritatis quam expositio scholastico-rum, quia moderni S. Scripturam communiter ut auctores privati, reddentes ' sententiam propriam, interpretentur,

scholastici vero ut testes doctrinæ traditionis, ut reddentes doctrinam Ecclesiæ, eam exponant. De reliquo non est simpliciter concedendum, S. Scripturam a scholasticis non sufficienter fuisse investigatam : certe plurimi scholastici, ut præsertim S. Thomas, S. Scripturam diligentissime et secundum regulas optimas hermeneuticas investigaverunt atque exposuerunt1; similiter scholastici posttridenlini textus dogmaticos summa acrimonia et diligentia examinaverunt vel opere optimorum exegetarum diligentissime usi sunt. Itaque iuremerito sicut expositio SS. Patrum ita et expositio scholasticorum quoad res fidei et morum maxime in Ecclesia valet.

VII. De necessitate et utilitate studii doctrinæ scholasticorum. — Recolenda sunt ea quæ circa necessitatem cognitionis doctrinæ SS. Patrum diximus : eodem enim proportionate modo dicta valent etiam de studio doctrinæ theologorum. Certe enim constat utilitas, immo necessitas cognitionis doctrinæ scholasticorum, « sine qua, ut ait Cano (l. c., vin, 2) nullam omnino perfectam in Ecclesia doctrinam consequi possumus ». Quis enim in doctrina sacra optime excultus dici potest, præsertim in quæstionibus hodie agitatis, quin doctrinam scholasticorum opi ime noverit ? Quinam theologus, in theologia scholastica ieiunus, ad difficultates, contra fidei veritatem factas, perfecte respondere valet ? Unde optime iterum Cano notat : « ea (theologia scholastica) neglecta, qui se theologos esse arbitrantur, tum se denique errasse sentient, cum eos aut disputatio cum hæreticis aut gravis aliquis et perplexus conscienti® casus experiri coget » (l. c.). Similiter et in aliis theologicis disciplinis excolendis theologia scholastica auxilium vel necessarium vel saltem utilissimum affert : id quod certe constat quoad exegesim ; nec tamen minus quoad historiam Ecclesiæ, maxime dogmatum, sive quoad doctrinam ipsam de evolutione dogmatum exaran-dam sive quoad investigationes historicas ipsas. Id quod

1. Cf. e. g. Denifle, *Luther und Lulhcrlum,* Quellenbelcge, *Die abcndlandischen Schri/tausleger bis Luther über iuslilia Dei {Rom.,* i, 17) *und iustificalio,* Mainz, 1905, cum nostro indice in vol. I2, I, i-xxiv.

etiam ex effectu probatur. Nam quasi omnes theologi qui in errores vel hæreses inciderunt, id oppositioni, despectui vel neglectui doctrinæ scholastic® plus minusve debent,, ut iansenistæ, baiani et sic deinceps usque ad modernistas. Denique ratio ipsa hæc suadet theologica. Deus enim, sicut, SS. Patres in utilitatem Ecclesiæ suscita-' vil, et illuminavit, ita et iam theologos speciali quadam providentia protegit, dirigit, immo illuminat, in utilitatem Ecclesiæ et fidelium : nec Deus theologos posteriores de novo et specialiter illuminabit vel ab errore praeservabit, si doctrinam theologorum anteriorum despexerint, neglexerint. Quo sensu iterum optime Cano : « (Auctoritatem theologorum) parvi facere nemo sine fidei discrimine potest »

Quoad denique *usum* theologorum, præsertim scholasticorum, eadem notanda sunt ac circa usum SS. Patrum (recole dicta, art. præced., η. 9). Specialiter notandum est, etiam usum theologorum non esse rem tam facilem sicut plurimi opinantur. Præsertim cavendum est ne sententiæ adduct® vim probativam amittant, utpote quia non considerantur in contextu neque in connexu cum aliis sententiis, maxime cum etiam inter scholasticos termini scientifici non raro aliam atque aliam significationem, saltem formalem, habeant. Optimum etiam quoad expositionem doctrinæ scholastic® est, ostendere evolutionem alicuius capitis doctrinæ in singulis periodis et apud singulos doctores vel scholas : id quod si quis fecerit, mira in scholastica apparebit tum constantia tum evolutio doctrinæ, ut e. g. quoad doctrinam de evolutione dogmatum ostendimus *(Introductio in historiam dogmatum, ari.* 4). Maxime denique in exponenda doctrina alicuius docturis attendenda est traditio historica : inde gravissime contra normas scientificas peccant qui in investiganda et exponenda doctrina S. Thomæ traditionem sive ante sive post Concilium Tridenttinum negligunt aut etiam vilipendunt.

Concludimus verbis Sixti V et Leonis XIII :

« Et huius quidem tam salutaris scienti® (sc. theologi® scholastic®) cognitio et exercitatio, qu® ab uberrimis divinarum literarum, summorum Pontificum, sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat, semper certe

maximum Ecclesiæ adiumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et hæreses detegendas et refellendas : his vero novissimis diebus, quibus iam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt in peius, errantes et alios in errorem mittentes, sanæ catholicæ fidei dogmatibus confirmandis et hæresibus confutandis necessaria est[1]. »

1. Sixtus V, in *Bulla Triumphantis,* relata et confirmata a Leone XIII in *Encyclica Aeterni Patris.*

ARTICULUS SEPTUAGESIMUS TERTIUS

De auctoritate theologica S. Thomæ Aquinatis[1]

I. Status quaestionis. — Inter theologos eosque scholasticos maxima est auctoritas S. Thomæ Aquinatis, doctoris angelici, Doctoris Ecclesiæ, Doctoris communis. Prætermittimus hic quæstionem de eius auctoritate scientifica et historica, quæ certe est magni ponderis simul differimus adhuc quæstionem de valore philosophiæ thomisticæ ; quæritur tantum de *auctoritate S. Thomæ theologica in quaestionibus quæ ad res fidei et morum pertinent.* Status igitur quæstionis præcisus hic est : *cuius auctoritatis, cuius certitudinis est, et quomodo tenenda est a theologis aliqua doctrina ex eo proprie quod probatur esse S. Thomæ Aquinatis ?*

II. Conclusiones. — Secundum principia generalia modo exposita et ad evitandam confusionem sequentes sint conclusiones :

Conci. I: Doctrina quædam ex eo quod tenetur a S. Thoma, non est de fide tenenda neque materialiter neque formaliter. — Patet : quia ad solius Ecclesiæ auctoritatem pertinet, proponere aliquam doctrinam ut fide tenendam, neque Ecclesia doctrinam S. Thomæ tanquam de fide tenendam approbavit vel declaravit.

Conci. II : Doctrina S. Thomæ non habet eam auctoritatem ut tanquam theologice certa sit tenenda. — Theologice certa illa vocatur doctrina quæ ex auctoritate, appro-

1. Schaezler, *Introductio in S. theol. dogmaticam,* p. 224-285; Sadoc Szabo, O. P., *Die Autoritat des hl. Thomas uon Aquin in der Théologie,* 1919 ; Legendre A., *Introduction à l'étude de la Somme théologique de S. Th. d'A.,* 1923 ; Dom Maunajoli, *De officio adhærendi germanæ Doctoris Angelici philosophiæ,* Romæ, 1916.

batione vel consensu Ecclesiæ absque formidine errandi tanquam ad depositum fidei (sive immediate sive mediate) pertinens est tenenda. Atqui Ecclesia neutiquam declaravit quod obligaret fideles vel theologos ut S. Thomæ doctrinam tenerent *eo assensu qui formidinem errandi excluderet.* lamvero tanta est auctoritas atque certitudo alicuius doctoris quanta illi ab Ecclesia conceditur. Neque « quid eo amplius alii ab aliis exigant quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia[1] ».

Opponitur quidem, doctrinam S. Thomæ, *saltem ut systema, definitive* ab Ecclesia fuisse *approbatam.* At in hac re distinguendum est, ut iam supra fecimus. Extat enim *unum quidem iudicium definitivum ac infallibile* circa doctrinam S. Thomæ ut totum quoddam, sc. iudicium quo S. Thomas tanquam Doctor Ecclesiæ est approbatus. Huiusmodi autem iudicium solemne id tantum respicit, quod sc. corpus vel systema doctrinæ S. Thomæ doctrinæ revelatæ sit *conforme* eamque *eximie exprimat :* similiter huiusmodi iudicium minime imponit ut vel corpus doctrinæ vel doctrinæ singulæ assensu certo teneantur.

Aliæ vero plurimæ approbationes doctrinæ S. Thomæ non sunt defmitivæ adeoque neque formaliter infallibiles. Ecquidem firmissime supponendum est, S. Pontifices neque errasse in specialiter approbanda et commendanda doctrinaS. Thomæ neque unquam iudicium suum mutaturos fore : at ex altera parte, S. Pontifices, licet per sexcentos annos S. Thomam laudaverint, commendaverint et imposuerint, nunquam tamen signum indicii definitivi exprimunt. Signum enim sententiæ definitivæ præter *formulas* expressas vel æquivalentes est *impositio obligationis* qua sc. omnes tenentur, aliquam doctrinam *ut certam tenere* vel respective respuere : id quod in nostro casu locum non habet. De reliquo multæ aliæ doctrinæ per plura sæcula ab Ecclesia fuerunt approbatæ, et quidem instantissime, quin iudicium definitivum haberetur.

Conclusio III : Doctrina S. Thomae in rebus fidei et morum tuto teneri potest ac debet, assensu simplici, relicta etiam sententia opposita alterius scholæ vel doctoris.

1. Pius XI, Encycl. *Studiorum ducem.*

1. *Sensus conclusionis* est : *a)* doctrina S. Thomæ *Iulo* h neri potest ac debet, i. e. talem habet auctoritatem, ut secundum regulas theologicas teneri possit et debeat, ut c contrario qui eam non tenuerit, contra regulas theologicas vigentes peccet. Ô) Tenenda autem est neque assensu fidei nec assensu qui omnem formidinem errandi excludat, sed *simplici assensu,* qui tamen formidinem errandi admittit ; tenenda est doctrina, sicut veteres dixerunt, saltem ut opinio, sc. ut optime fundata et ab Ecclesia admissa vel approbata, quæ proinde in praxim deduci possit ac debeat. Ex hoc quod doctrina S. Thomæ non extra possibilitatem erroris ponitur, sequitur, quod doctrina S. Thomæ evinci possit per maius argumentum : et quidem non tantum per definitionem dogmaticam Ecclesiæ vel per aliud iudicium sive infallibile sive saltem obligatorium Ecclesiæ, sed etiam per rationes stringentes theologicas sive ex S. Scriptura sive ex traditione desumptas. Nota tamen quod sermo est de possibilitate, non vero de facto erroris vel correcturæ ; neque veritas probationis contrariæ præsumenda sed stricte probanda est[1]. c) Additur denique : relicta sententia opposita alterius scholæ vel doctoris. Sensus est quod non tantum de iure et de facto doctrinaS. Thomæ sententiæ contrariæ præferri possit et debeat, sed simul quod doctrina opposita scholæ vel doctoris alterius vim argumenti contrarii non habeat, *d)* Dicta autem valent de doctrina quæ certo est S. Thomæ, quæ ab eo proprie asseritur (non tantum dubitative vel opinative proponitur), et maxime quæ ad corpus vel systema doctrinæ S. Thomæ pertinet.

2. *Probalur conclusio.* Hæc conclusio facile ex principiis de auctoritate theologorum sequitur, immo expresse a summis Pontificibus enuntiatur.

Prob. Doctrina theologica universa S. Thomæ Aquinatis ab Ecclesia specialissimo modo approbatur, commendatur, præscribitur. Huiusmodi autem approbationibus, commendationibus et præscriptis — si aliquid significant — correspondet *assensus* ad doctrinam S. Thomæ, non qui-

1. Cf. quæ exposuimus in Katholik, 19.18, p. 1-26 : *De doctrina S. Thomæ magis magisque fovenda.*

dem absolutus etinconditionatus, attamen assensus verus, tanquam ad doctrinam optime fundatam ac ad assensum propositam.

Minor patet : *doctrina* enim commendatur et præscribitur ut *assensu* teneatur.

Factum vero approbationis et commendationis, immo præscriptionis specialissimæ doctrinæ theologicæ S. Thomæ omnino constat.

Primo : omnes quasi Romani Pontifices, incipiendo a tempore postmortem S.Thomæ, successive magis magisque doctrinam S. Thomæ approbaverunt ac commendaverunt et tenendam imposuerunt. Videsis testimonia in opere P. *Berthier,* O. P. S. *Thomas Aquinas*[1], *Doctor communis Ecclesiæ,* vol. I (Romæ, 1914).

Secundo : C. I. C., can. 1366, § 2 hoc edicit : « *Philosophise rationalis ac theologies studia el alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia eaque sancte teneant*[2]. » Quo canone ordinationes antecedentium Romanorum Pontificum, præsertim Leonis XIII et Pii X, resumuntur ac determinantur.

Hic canon manifeste approbationem specialissimam methodi, principiorum ac doctrinæ S. Thomæ edicit ac simul præceptum de doctrina S. Thomæ tenenda. Inde Pius XI in *Encycl.* « *Studiorum* ducem » (1923) inculcat : « Sanctum igitur unicuique esto quod in Codice iuris canonici *præcipitur*... atque ad hanc normam ita se omnes gerant, ut eum (S. Thomam) ipsi suum *vere* possint appellare magistrum ».

Tertio : idem sequitur *ex praxi Ecclesiæ quæ* sc. ipsa doctrinamS.Thomæsequitur eamque suam fecit: similiter igitur a filiis Ecclesiæ tenenda est.

Præclare Pius X in Motu proprio « Doctoris Angelici » (29. junii 1914, Acta Apost. Sedis, VI, 336-341), Summam

1. Auctor testimonia adducta his verbis concludit : « Ex omnibus præallatis documentis patet non immerito istud asseri posse, videlicet Doctorem Angelicum ab omnibus Pontificibus uno ore, ab Alexandro IV (1254-1261) ad Pius X fuisse commendationibus atque præconiis omnimodis cumulatum » ; l. c., p. 280.

2. Videsis commentarium nostrum, in *Analecta Ord. Præd* 1919, p. 261-266.

theologicam S. Thomæ ianquam librum textus in scholis theologicis superioribus commendans, docet :« Post beatum exitum Sancti Doctoris nullum habitum est Concilium in quo non ipse cum doctrinæ suæ opibus interfuerit. Etenim totsæculo.um experimentis cognitum est in diesque magis apparet quam vere Decessor noster lohannes XXII affirmaverit : Ipse (S. Thomas) plus illuminavit Ecclesiam quam omnes alii Doctores : in cuius libris plus proficit homo uno anno quam in aliorum doctrina toto tempore vitæ suæ. Quam sententiam S. Pius V... ita confirmavit... : omnipotentis Dei providentia factum est ut Angelici Doctoris vi et veritate doctrinæ... multæ quæ deinceps exortæ sunt hæreses, confusæ et convictæ dissiparentur, quod et antea sæpe et liquido nuper in sacris Concilii Tridentini decretis apparuit, eiusdem... meritis Orbis terrarum a pestiferis quotidie erroribus liberatur ».

Similiter *Benedicius XV* confitetur : « Atque ipsa quidem Dei sapientia per dominicanos sodales loqui visa est, cum in eis eminebant... homines ingeniis præstantes disciplinisnisque optimis eruditissimi, ut Thomas Aquinas, quo maximo Dominici alumno vere Deus Ecclesiam suam illuminare dignatus est »; atque Pontifex continuat : « *Thomæ doctrinam Ecclesia suam propriam exidixil esse,* eundemque Doctorem, singularibus Pontificum præconiis honestatum, magistrum scholis catholicis dedit et patronum1. »

Iisdem denique ex dictis sequitur, doctrinam S. *Thomæ* doctrinis alterius scholæ vel doctoris esse *præferendam,* ita ut etiam relicta sententia contraria teneri possit ac debeat. Id enim manifeste sequitur ex eo quod doctrina Aquinatis præ aliis approbatur et commendatur atque sola omnibus proponitur, utpote ut Doctoris communis vel omnium.

Id quod *Pius X* in « Motu proprio » « *Angelici Docloris* » (1914) expresse enuntiat, immediate quidem quoad doctrinam philosophicam, a fortiori autem quoad theologicam. S. Pontifex scribit : » Datis litteris *Sacrorum Antisti-*

1. *Epistola Encycl. Fausto appetente die,* Acta Ap. S., xm, 329-335 ; cf. *Commentarium* E. Gommer, in *Divus Thomas,* 1922, p. 8-16,

lum... hæc imprimis admonebamus : « Ad· studia quod attinet, volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur... Quod rei caput est, philosophiam scholasticam quam sequendam præscribimus, eam præcipue intelligimus quæ a S. Thoma Aquinate est tradita... » lamvero, cum dictum hoc loco a nobis esset « præcipue Aquinatis sequendam philosophiam, non « unice nonnulli sibi persuaserunt nostræ sese obsequi aut certe non refragari voluntati, si quæ unus aliquis e Doctoribus scholasticis in philosophia tradidisset, quamvis principiis S. Thomæ repugnantia, illa haberent promiscue ad sequendum. At eos multum animus refellit. Planum est, cum præcipuum nostris scholasticæ philosophiæ ducem daremus Thomam, nos de eius principiis maxime hoc intelligi voluisse, quibus, tanquam fundamentis, ipsa nititur... ».

« Itaque omnes qui philosophiæ et sacræ theologiæ tradendæ dant operam, illud admonitos iam voluimus, si ullum vestigium præsertim in metaphysicis, ab Aquinate discederent, non sine magno detrimento fore. Nunc vero hoc præterea edicimus, non modo non sequi s. Thomam, sed longissime a S. Doctore aberrare eos, qui quæ in ipsius philosophiæ principia et pronuntiata maiora sunt, illa perverse interpretentur aut prorsus contemnant. Quod si alicuius auctoris vel sancti doctrina a nobis nostrisque Decessoribus unquam approbata est singularibus cum laudibus, atque ita etiam ut ad laudes suasio iussioque adderetur eius vulgandæ ac defendendæ, facile intelligitur *eatenus comprobata qua cum principiis Aquinatis cohæreat aut iis haudquaquam repugnaret.* »

Ubi vero de auctoritate vel sententia S. Thomæ non agitur, cum sc. sententia S. Thomæ fuerit incerta vel ambigua vel desideretur, Pius XI libertatem proclamat his verbis : « At ne quid eo amplius alii ab aliis exigant quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia : neque enim in iis rebus, de quibus in scholis catholicis inter melioris notæ auctores in contrarias partes disputari solet, quisquam prohibendus est eam sequi sententiam quæ sibi verisimilior videatur » (« Studiorum ducem »). E contra « in Thoma honorando maius quiddam

quam Thomæ ipsius existimatio vertitur, id est Ecciesiæ docentis auctoritas » (l. c.).

Conclusio IV : Doctrina quæ est S. Thomæ, non raro, immo communiter, aliunde maiorem adhuc habet auctoritatem : vel quia postmodum fuit definita vel quia consensum SS. Patrum pro se habet vel quia consensus unanimis theologorum accessit vel quia ex vi argumentorum S. Thomæ confirmatur, præsertim ex vi textuum S. Scripturæ et ex vi deductionis evidentis ex alio principm fidei. Huiusmodi particularis auctoritas alicuius doctrinæ specialis in singulis casibus probanda est, ut patet.

III. Obiectiones quæ auctoritati S. Thomæ opponuntur, generaliter solvuntur ex iis, quæ de auctoritate theologorum et de auctoritate S. Augustini diximus. Specialiter tamen duo communiter opponuntur, sc. primo errores qui S. Thomæ imputantur, secundo usus philosophiæ aristotelicæ, quæ tanquam fundamentum doctrinæ theologicæ Aquinatis declaratur.

1. Quantum ad sic dictos errores S. Thomæ primo notandum est, paucissimas eius esse doctrinas de quibus constat eas esse falsas ; immo circa *omnes* huiusmodi doctrinas hucusque disputatur, utrum S. Thomas eas assertive an opinative proposuerit et quinam sit sensus doctrinæ S. Thomæ. De reliquo sufficiunt ea quæ de erroribus SS. Patrum et theologorum et de evincibilitate sententiæ S. Thomæ diximus. Qua in re iam *Leo* XIII enuntiaverat, « rarissime » fore ut a doctrina Angelici Doctoris recedendum sit, et quidem tantum «in una vel altera conclusione, non alicuius momenti, nequaquam vero in præcipuis et quæ tanquam fundamentum sunt multorum plurium»(«Gravissime nos», 30 dec. 1892).

2. Quod alteram obiectionem facilis est distinctio. *Philosophia* enim *arisiotelica* minime recte *fundamentum.* theologiæ S. Thomæ dicitur, sc. quasi doctrina theologica Aquinatis ex philosophia aristotelica sit hausta ; est autem philosophia aristotelica *instrumentum* quo S. Thomas ad doctrinam revelatam exprimendam, determinandam et ad conclusiones deducendas utitur. Atque huiusmodi definitiones, formulationes et conclusiones auctoritatem theologicam

proprie habent, non ut sunt opus scientificum S. Thomæ, sed inquantum ab Ecclesia tanquam legitimæ interpretationes doctrinæ revelatæ agnoscuntur.

3. Circa alia quædam quæ opponuntur, non quidem ut difficultates sed ut effugia, liceat repetere quæ iam alibi scripsimus et diximus[1].

« At sic in Ecclesia regnabit quidam *Panthomismus !* » Respondeo distinguendo : Speratur doctrinam et veritatem thomisticam diffusam fore in tota Ecclesia — et hoc bonum est et præcise intentum ab Ecclesia ; timendum est ne supprimatur omnis alia sapientia et cognitio, nego : e contra reviviscet, revirescet et læta incrementa capiet omnis philosophia et theologia nec non cæteræ scientiæ... »

4. « Tamen certe *libertas scientiæ lædilur* ! » Distinguo : Tollitur libertas errandi et in errorem inducendi, concedo; læditur libertas eligendi veritatem, nego. Atque iustissimum est ex parte Romani Pontificis, imponere doctrinam S. Thomæ : nam ita... præservat nos ab errore et pascit nos pabulo veritatis.

5. « At tamen non est imponendus *thomismus strictissimus,* sed media quadam via incedendum est ! » Respondeo : unum tantum esse modum legitimum sequendi S.Thomam, illum sc. qui est secundum principia theologia· et præsertim secundum locos theologicos. Doctrina vero locorum theologicorum nos edocet aliquem theologum intantum habere auctoritatem et esse sequendum, inquantum est approbatus ab Ecclesia. Quam approbationem, quantum ad S. Thomam, habemus præcise in canone I. C. quo ratio, doctrina et principia S. Thomæ omnibus imponuntur.

6. Inde evanescit etiam effugium ultimum quod tenet, S. Thomam quidem sequendum esse quoad *pronuntiata* eius *maiora,* non vere quoad res secundarias. Nam canon præter principia (quæ sunt pronuntiata maiora) expresse doctrinam ut tenendam imponit. Neque hominis gravis est, probare principia et negare conclusiones inde deri vantes.

1. Oratio inauguralis in Collegio Angelico, anno 1919 ; *Analecta Ord. Preed.,* 1919, p. 265.

Utinam e contra omnes veritatis amatores viribus unitis satagant, doctrinam auream Aquinatis ampliare, excolere, applicare, ut et nos quantum possibile est, ea quæ ipse docuit, intelligere valeamus !

IV. De determinanda sententia S. Thomæ. — Non pauci in doctrina ac sententia S. Thomæ determinanda falluntur, aut saltem variis difficultatibus opprimuntur, ita ut pro multis doctrina S. Thomæ sit quasi hortus conclusus et fons signatus. Tamen res non est nimis difficilis.

Primo sententia S. Thomæ apparet ex eius *conclusionibus,* i. e. ex thesi quam in singulis articulis defendit. Est enim maxime proprium S. Thomæ quod unam doctrinam quæ directe vel indirecte ad fidem pertinet, ex alia doctrina fidei deducat ac hoc modo argumentum theologicum conficiat. Inde thesis articuli accipitur dupliciter a S. Thoma : primo sc. thesis ipsa secundum eius iudicium ac testimonium ad doctrinam Ecclesiæ pertinet ac ipse propterea illam ut probandam suscipit ; secundo thesis ut doctrina in alia doctrina fidei inclusa vel saltem ut cum ea connexa statuitur.

Secundo sententia S. Thomæ apparet in *doctrinis quas S. Thomas ad ihesim probandam adducit.* Sicut iam dixi, S. Thomas communiter unam doctrinam fidei ex alia deducit; unde illa doctrina quam tanquam medium argumentationis adducit, non minus quam conclusio, sententiam S. Thomæ exhibet.

Tertio sententia S. Thomæ apparet *ex interpretatione locorum S. Scripturae.* S. Thomas quidem plures libros S. Scripturæ commentariis specialibus exposuit; at simul in suis operibus theologicis vel speculativis plurimos textus S. Scripturæ exponit ac interpretatur. Talis interpretatio iterum dupliciter sententiam S. Thomæ exprimit, sc. quod alis doctrina ab ipso consideretur tanquam catholica et ul doctrina S. Scripturæ. Idem dicendum est de textibus SS. Patrum qui in argumento adducuntur vel qui exponuntur.

Quarto sententia S. Thomæ apparet *ex solutione obiectioniiiii* inquantum S. Thomas hac occasione quasdam doc-

trinas vel simpliciter reiicit vel distinguendo ad veritatis tramitem reducit.

Quinio : maxime *ad modum loquendi et procedendi* S. Thomæ *attendendum est.* Non raro enim S. Thomas sententiam suam tantum dubitative vel opinative, non autem assertive enuntiat ; non raro tantummodo aliquam doctrinam vel *praxim* in Ecclesia vigentem tanquam convenientem, rationabilem ac cæteris doctrinis et institutis Christianis proportionatam ostendit (cf. e. g. II, II, q. x, a. 7 ss. ; q. xi, a. 3. 4. etc.). Generaliter maxime ad sensum formalem articulorum et quæstionem attendendum est. Ita e. g. III q. lxxxiv, a. 1. S. Thomas quærit : utrum pænitentia sit sacramentum. Sensus formalis quæstionis non est hic, utrum Christus sacramentum pænitentiæ instituerit, sed utrum et quomodo pænitentiæ natura et conditio sacramenti conveniat. Denique S. Thomas decursu suæ vitæ iudicium sententiamque suam circa aliquas quæstiones mutavit vel aliquo modo exactius determinavit atque melius expressit.

Generaliter loquendo, non tam concedendum quam asserendum est, studium doctrinæ s. Thomæ *non* esse *rem tam facilem* ut plurimi opinantur. Sexcenti et quinquaginta enim iam anni a morte S. Thomæ præterierunt ; terminologia multas subiit mutationes, saltem quoad significationem formalem ; modus tractandi non parum differt a modo procedendi recentiorum ; S. Thomas in expositione articulorum communiter doctrinas sui temporis respicit quæ nobis minus sunt notæ, etc. Unde ad studium fructiferum doctrinæ S. Thomæ non sunt prætereunda auxilia vel adminicula scientifica.

V. De adminiculis studii S. Thomæ. — *Adminicula*[1] in sententia S. Thomæ investiganda sunt : *a) commentaria* verorum sectatorum S. Thomæ, ut præsertim *Capreoli, Caietani, Conradi Koellin* (in I, II), *Bannez* (in I et II, II), *Medinæ* (in I, II et in III), *Capponi da Porretta, Joannis*

1. Auxilia et media veterum in studio doctrinæ S. Thomæ optime describit M. Grabmann, *Hilfsmitlel des Thomasstudiums aus alter zeit* (Sonderabdruck aus Divus Thomas, III, série 1), Freiburg, 1923.

a *S. Thoma* (Cursus philosophicus et theologicus), etc. *b) opera theologica thomistarum ; c) lexica et indices,* ut *Tabula aurea* Petri a Bergamo, *Thomas-Lexikon,* ed. a L. Schütz (ed. 2° Paderborn, 1895), *Tabulas synopticæ* P. Berthier ; *d)* denique quam maxime *traditio viva* in Ordine et in scholis theologicis Ord. Præd., ut in Collegio Angelico de Urbe, in Universitate Friburgensi, etc. Omnis enim liber optime ac necessario per traditionem vivam ac legitimam explicatur[1].

VI. Commendatur Summa theologica S. Thomæ.

Maxime denique *theologo* consulendum est studium *Summae theologicæ* S. Thomæ : est enim fructus ultimus et maturus ingenii Aquinatis[2]. Atque Pius X f. r. summopere intendebat ut Summa theologica tanquam liber textus in scholis theologicis superioribus introduceretur. Sufficit hic adducere duo motiva quæ enuntiat.

Primo scribit : « Ad colendam altius hanc disciplinam (sc. theologicam), quemadmodum coli debet in Universitatibus studiorum magnisque athenaeis... omnino oportet, veteri more qui nunquam excidere debuerat, revocato, de ipsa Summa theologica habeantur scholæ; eo etiam quia, hoc libro commentando facilius erit intelligere atque illustrare sollemnia Ecclesiæ docentis decreta et acta quæ deinceps edita sunt... »

Deinde Pontifex observat : Summa theologica ut textus habeatur, ut « genuina et integra S. Thomæ doctrina in

1. Ad traditionem viventem pertinent *versiones* in linguas modernas : C. Schneider, *Die hath. Wahrheil oder die theol. Summa des hl. Th. v. A. ;* Th. Pêgues, *Commentaire français littéraire de la Somme théologique* (Paris, Téqui) ; *Suma Theologica* (hispanice) (Madrid, Moga) ; *The Summa theologica of S. Thomas Aquinas,* literarly transleated, by Fathers of the English tlominicain Province (London, Wastbourne).

2. Cf. J. Berthier, *L'Etude de la Somme théologique de S. Thomas d'Aquin ;* Th. Pègues, *La Somme théologique de S. Thomas d'Aquin en forme de catéchisme pour tous les fidèles;* A. Legendre, *Introduction à l'étude de la Somme théol. de S. Th. d'Aq.,* 1923 ; G. Le Grand, *L'enseignement de la Somme théologique dans les Séminaires,* 1922 ; E. Gilson, *Introduction au système de S. Th.,* 1920 ; C. Amato Masuovo, *Introduzione* alla Somma teol., 1918.

scholis floreat quod nobis maxime cordis est ac tollatur illa docendi ratio quæ in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nititur, ob eamque rem mutabile habet fundamentum, ex quo sæpe sententiæ diversæ atque inter se pugnantes oriuntur... non sine magno scientiæ christianæ detrimento[1]. »

VII. De iuramento de tenenda S. Thomæ doctrina. — In Ordine Prædicatorum a sæculis promovendi ad officia scholastica et ad gradus academicos iuramentum emittunt : « spondeo, voveo ac iuro, me non recessurum a solida S. Thomæ doctrina. » Ratio et religio huiusmodi iuramenti nostris diebus quam maxime patet : nam iurans idipsum voto promittit se observaturum quod Ecclesia per can. 1366 § 2 observandum præcipit.

1. Motu proprio « *Docloris Angelici* » (1914).

SECTIO IV

De usu rationis naturalis in doctrina revelata investiganda, explicanda et defendenda

Ecclesiæ, ut regvlæ fidei, est proponere doctrinam revelatam : quam quidem per doctrinam magisterii ordinarii, per definitiones et alia decreta magisterii sollemnis et per approbationem doctrinæ ss. Patrum et theologorum proponit. Atque ista ratione hucusque locos proprios theologicos exposuimus. Nunc vero quæritur, *quomodo Ecclesiæ magisterium, ad rationem naturalem se habeat.*

Circa quam quæstionem tractabimus :

1° De usu *rationis et philosophise* in doctrina Ecclesiæ, specialiter in theologia (art. 73) ;

2° De auctoritate *philosophorum* (art. 74) ;

3° De auctoritate *historiæ* (art. 75) ;

4° De *methodo historica* in theologia (art. 76).

ARTICULUS SEPTUAGESIMUS QUARTUS

De usu rationis et philosophiæ in theologia[1]

Hucusque de locis vel fontibus theologiæ propriis tractavimus, utpote de iis quæ ex revelatione procedunt, sive immediate sive mediate ; nunc, autem ad fontes improprios vel secundarios inquirendos accedimus. Quæstio prima est de ratione humana, i. e. de cognitione humana, lumine rationis naturali acquisita.

1. S'. Thomas, *Summa theol., I,* q. i, a. 5, 8 ; *Iu tfoethium de Trinitate,* q. n, a. 1-3 ; *Contra gentiles,* l. I, c. vn, 8 ; M. Cano, *De locis theol.,* l. VIII ; Garrigou-Lagrange, O. P., *De revelatione,* p. 238-258, 292-318, 356-369, 408-425. ‘

1. Status quæstionis. — 1. Non quaeritur, utrum in theologia ratione sit utendum, sed utrum ratio humana ex propriis possit afferre argumenta quæ aliquam doctrinam certam faciant, ita ut a theologo tanqua vera et legitima admitti possit et debeat ; ulterius quæritur, utrum ratio, fide illustrata, accepta revelatione et fide, circa veritates revelatas ipsas, novam quandam cognitionem præstare possit.

2. Ratio humana considerari potest vel ut nuda potentia quædam cognitiva vel ut est exculta et instructa quadam cognitione obiectiva, immo aliquo systemate philosophico. Quaestio in utroque sensu accipitur. Quoniam tamen secundus casus generalior et communior est, simpliciter quæritur, utrum theologia argumentis philosophicis uti possit ac debeat, sicut S. Thomas inquirit[1].

3. Praetermittimus quaestionem, inquantum homo in cognitione auxilio divino indigeat, sive generaliter ut creatura, sive particulariter ob peccatum originale, sive specialissime circa doctrinam revelatam (cf. S. *Thomas,* I, II, q. cix, a. 1).

4. Denique notandum est quod non agitur tantum de usu rationis in theologia ut est scientia, sed generalius de usu rationis ex parte ipius *Ecclesiae,* quippe quæ doctrinam a ratione excultam admittit eaque ipsa utitur.

II. Doctrina Ecclesiæ. — Ecclesia quadruplex dogma circa hanc quæstionem definivit.

1. *Ratio humana mysteria fidei demonstrare nequit,* necante nec post revelationem factam. Circa hoc Cone. Vatie, sequentia statuit : a) « Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, a. s. » (Sess. III, de fide et ratione, can. 1. Dezn., 1816); *b)* «(Ratio) nunquam idonea redditur ad ea (sc. mysteria) perspicienda instar veritatum quæ proprium ipsius obiectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum

1. ***I Seni.,*** proi., a. 5 ; *Summa theol.,* I, q. i, a. 8 ; G. G., I, 3, 8 ; *In Bœthium, De Trinit.,* q. u, a. 1-4.

creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta ipsius tamen fidei velamine contecta et quasi caligine obvoluta maneant quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino » (l. c., Denz., 1796) ; *f)* Duplex est *ordo cognitionis* non solum principio, sed obiecto etiam distinctus : principio quidem, quia in altero naturali ratione et altero fide divina cognoscimus ; obiecto autem, quia præter ea ad quæ naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita quæ, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt » (l. c., Denz., 1795).

2. *Ratio humana ex viribus naturalibus* (supposita revelatione) *fundamenta fidei demonstrare potest,* i. e. credibilitatem revelationis et Ecclesiæ ipsius. Circa hoc Cone. Vatie, definivit : « Si quis dixerit... miracula certo cognosci nunquam posse nec iis divinam religionis christianæ originem rite probari, a. s. » (Denz., 1813). Huc similiter pertinet doctrina sequens : « Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit suæque institutionis manifestis notis instruxit ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati *ab omnibus posset agnosci* » (Denz., 1793). Ac. denique : « Recta ratio fidei fundamenta demonstrat » (Denz., 1799). Quæ cuncta luramentum contra errores Modernistarum ita complectitur : « Externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tanquam signa certissima divinitus ortæ christianæ religionis, eademque teneo ætatum omnium atque hominum, etiam huius temporis, intelligentiæ esse maxime accomodata. » Maxime simul huc spectat dogma de cognoscibilitate existentiæ Dei (Vatie., de revelatione, can. 1 et luramentum contra errores modernistarum, prop. 1).

3. « *Ratio, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quærit, aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur* tum ex eorum quæ naturaliter cognoscit analogia tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo » (Cone. Vatic., Sess. III, Denz., 1796).

4. « *Nulla unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest :* cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem

infundit, animo humano rationis lumen indiderit, Deus autem negare seipsum non possit nec verum vero unquam contradicere. Inanis auteln huius contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertiopem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus (Cone. Lat.)1. » Inde ratio humana rite exculta *obiectiones* contra fidei veritates *solvere* valet.

III. Doctrinæ contrariae. — Veteres *Prolesianles,* ut præcipue Lutherus, usum rationis in theologia penitus repudiaverunt, considerantes sc. rationem ut totaliter per peccatum originale corruptam et simul negantes cooperationem activam hominis in ordine supernatural! ; inde secundum illos ratio in ordine ad fidem et revelationem se haberet modo mere passivo vel receptivo, adhærendo simpliciter literæ vel verbo S. Sc ipturæ2.

Protestantes vero recentiores, a tempore Schleiermacher, communiter ita inter fidem et rationem distinguunt quod utraque habeat obiectum non tantum distinctum, sed diversum vel potius disparatum, ita ut ratio nil possit circa obiectum fidei vel in regione fidei ; inde inter fidem et rationem non potest quidem esse repugnantia, at tantum ex hac ratione quod ea quæ a fide, et ea quæ a ratione dicuntur, sese ad invicem non tangunt.

Modernistæ, inhærentes doctrinæ protestanticæ, ipsum Deum et quidquid proprie ad religionem pertinet tanquam penitus a ratione intangibile statuunt, declarantes Deum tanquam rem incognoscibilem vel, uti alii dicunt, tanquam obiectum « irrationale », i. e. extra ambitum rationis constitutum. Itaque ratio nullo modo mysteria fidei explicare potest. E contra ratio tantum circa sensum religiosum versatur eumque modo rationali exponit, definit, format : ita tamen quod nunquam vere et proprie tangat obiectum ipsum sensus religiosi, immo ne quidem sensum religiosum ipsum obiective et vere determinare valeat.

1. *Cone. Vatic.,* Sess. III ; Denz., 1797.
2. Cf. Cano, *De locis theolog.,* lib. IX ; Denifle, *Luther und Luthertum.*

Admittitur igitur theologia quædam speculativa, attamen illa non est nisi symbolica, forsitan alicuius utilitatis ad sensum religiosum excitandum et exprimendum, at nullius valoris obiectivi. Itaque modernistæ denique tandem quam maxime doctrinam catholicam de usu rationis in theologia negant[1].

IV. Thesis : Ecclesia ac theologia ratione humana eiusque cognitione sive communi sive philosophica uti potest ac debet ad veritates fidei explicandas, interpretandas et defendendas idque fructuosissime[2].

Prob. 1°. *Ex modo agendi Christi Domini et Apostolorum.* Dominus ipse secundum Evangelia multipliciter argumentatione logica utitur sive ad explicandam revelationem sive ad refutandos adversarios sive insinuandam doctrinam revelationis : similiter Apostoli. Huius rei testes sunt Evangelia et epistulæ nec non Actus Apostolorum quasi per totum. Ut pauca exempla afferam, Christus utitur parabolis ad expliëandum regnum cœlorum, refutat pharisæos sibi adversarios, ostendendo unitatem et indissolubilitatem matrimonii ex creatione Adæ et Evæ (Mt., xix, 4 ss.), probat misericordiam divinam ex analogia hominum (Mt., vu, 9-11), necessitatem bonorum operum ex sorte arboris infructiferæ (Mτ., vu, 19-23), confutat accusatores, opponendo eis contradictionem in eorum dictis (Lc., xi, 15 ss.), probat, insinuat ac defendit missionem suam ac divinitatem (Lc., xii, 35-37 ; Mt., x x ii, 41-46). Apostoli vero, ut præsertim Paulus, in omnibus epistulis vario genere argumentandi, ac proprie theologico utitur : ita in *I Cor.,* xv, 12-58 ex resurrectione Christi ad resurrectionem fidelium argumentatur, in ep. ad *Rom.,* vi, 1-14 ex baptismo concludit necessitatem vitandi peccata, in *II Cor.,* ni, ex differentia inter statum legis veteris et novæ maiorem gloriam

1. Cf. Encyclica *Pascendi.*

2. Quantum, ad quæstionem de impossibilitate demonstrandi mysteria fidei et de possibilitate probandi fundamenta et credibilitatem fidei et Ecclesia, ad tractatum de revelatione remittimus. Hic tantum thesim principalem considerabimus, quomodo Ecclesia ratione uti possit ac debeat in proponenda doctrina revelata. Idem valet de theologia;

legis Christi ostendit, in oratione coram Areopagitis ex natura Dei inanitatem idololatriæ manifestat *{Act.,* xvii, 24-29) nec denique a poëta pagano citando abhorret *{Act.,* xvii, 28 ; *Tit.,* i, 12).

Itaque Christus Dominus et Apostoli proprie nobis formam argumentationis theologicæ exhibent. Quodsi argumentis philosophicis non utuntur, facile ex conditione auditorum explicatur.

Prob. 2°. ex praxi veterum qui sc. manifeste utuntur argumentatione sive mere logica (dialectica) sive communi sive philosophico-theologica, ut præsertim SS. Patres. Unde et E.cclesia fructus et terminos theologicos definitionibus dogmaticis sancivit, ut terminos consubstantialitatis, unionis hypostaticæ, etc.

Prob. 3°. *ex falsis præsuppositis senlentiæ contrariae.* Sententia enim contraria præsupponit vel totalem corruptionem rationis humanæ per peccatum originale (ut veteres Protestantes) vel impossibilitatem cooperationis humanæ activæ in ordine supernatural! (ut communiter Protestantes) vel contrarietatem inter fidem et rationem (ut multi Protestantes) vel denique agnosticismum, ut præsertim Modernistæ. Contra omnes huiusmodi optime Conc. Vatie, statuit : « Etsi fides sit *supra* rationem, *nulla* tamen unquam inter fidem et rationem *vera dissensio* esse potest : cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit, Deus autem negare se ipsum non possit nec verum vero unquam contradicere » (Denz., 1797).

Prob. 4°. Per rationemS. Thomæ. Aquinas in I, q. i, a. 8 ad 2 scribit : « Utitur sacra doctrina (i. e. tum theologia tum Ecclesia) ratione humana : non quidem ad probandam fidem (quia per hoc tolleretur meritum fidei), sed *ad manifestandum* aliqua alia quæ traduntur in hac doctrina. Cum igitur gratia non tollat naturam sed perficiat, oportet quod naturalis ratio subserviat fidei, sicut et naturalis inclinatio voluntatis obsequitur caritati. »

Id quod S. Doctor in *Commentario in Boëthium de Trinitate,* q. n, a. 3 sic explicat : a) « Dona gratiarum (= supernaturalia) hoc modo naturæ adduntur quod eam non tollunt, sed magis perficiunt ; unde et lumen fidei

quod nobis gratis infunditur, non destruit lumen naturalis cognitionis nobis naturaliter inditum. ô) Quamvis autem naturale lumen mentis humanæ sit insufficiens ad manifestationem eorum quæ per fidem manifestantur, tamen impossibile est quod ea quæ per fidem nobis traduntur divinitus, sint contraria his quæ per naturam nobis sunt indita : oporteret enim alterum esse falsum : et cum utrumque sit nobis a Deo, Deus esset nobis auctor falsitatis : quod est impossibile, c) Sed magis, cum in imperfectis inveniatur aliqua imitatio perfectorum, quamvis imperfecta, in his quæ per naturalem rationem cognoscuntur, sunt quædam similitudines eorum quæ per fidem tradita sunt, d) Sicut autem sacra doctrina fundatur super lumen fidei, ita philosophia super lumen naturale rationis. Unde impossibile est quoad ea quæ sunt philosophiæ, sint contraria iis quæ sunt fidei, sed deficiunt ab eis, continent tamen quasdam similitudines eorum et quædam ad ea præambula, sicut natura est præambula ad gratiam, e) Si quid autem in dictis philosophorum invenitur contrarium fidei, hoc non est philosophiæ, sed magis philosophiæ abusus ex defectu rationis. Et ideo possibile est, ex principiis philosophiæ huiusmodi errorem refellere, vel ostendendo omnino esse impossibilem vel non esse necessarium.» Ultimum S. Thomas in Summa theol., l. c. sic exprimit : « Cum enim fides infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium, manifestum est, probationes quæ contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta. »

V. Corollaria. — Ecclesia et theologia igitur uti possunt ratione, eaque per philosophiam exculta, quadrupliciter.

1. Philosophia potest adducere *argumenta probabilia* pro veritate mysteriorum, principaliter ex analogia divinorum ad res divinas. Hoc sensu S. Thomas docet quod in S. Doctrina philosophia uti possimus «ad notificandum per aliquas similitudines ea quæ sunt fidei, sicut Augustinus in libris de Trinitate utitur multis similitudinibus ex doctrinis philosophicis sumptis ad manifestandum Trinitatem » (in Boeth., l. c.). Similiter tamen S. Thomas ipse

in plurimis articulis. Circa huiusmodi cognitionem S. Doctor notat : « Considerandum videtur quod res quidem sensibiles, ex quibus humana ratio cognitionis principium sumit, aliquale vestigium in se divinæ imitationis retinent, videlicet quod sunt et bonæ sunt, ita tamen imperfectum quod ad declarandam ipsius Dei substantiam omnino insufficiens invenitur. Habent enim effectus suarum causarum, suo modo, similitudinem, cum agens agat sibi simile ; non tamen effectus ad perfectam agentis similitudinem semper pertingit. Humana igitur ratio ad cognoscendam fidei veritatem, quæ solum videntibus divinam substantiam potest esse notissima, ita se habet quod ad eam potest aliquas veras similitudines colligere ; quæ tamen non sufficiunt ad hoc quod prædicta veritas quasi demonstrative vel per se intellecta comprehendatur. Utile tamen est ut in huiusmodi rationibus, quantumcumque debilibus, se mens humana exerceat, dummodo desit comprehendendi vel demonstrandi præsumptio ; quia de rebus altissimis etiam parva et debili consideratione aliquid posse inspicere iucundissimum est » (G. C. i, 8).

2. *Ratio valet ad mysteria fidei explicanda, declaranda, exponenda, interpretanda.* Sensus corollarii est quod ratio hhmana, fide quidem illustrata, ea quæ per revelationem nobis manifestantur, non tantum, quasi passivo modo recipit, sed simul per applicationem luminis vel virtutis rationalis propriae, aliquam *intelligenliam* mysteriorum revelatorum ac creditorum assequi potest, eamque veram ac validam, ita ut hæc cognitio vel intelligentia, per studium proprium acquisita, valorem habeat theologicum. Hoc modo e. g theologia processionem Verbi vel Filii explicat tanquam processionem per modum intellectus, explicat causalitatem sacramentorum per causalitatem instrumentaient et quidem effectivam vel physicam, explicat præsentiam realem corporis Christi in Eucharistia per transubstantiationem, remanentibus accidentibus. Atque huiusmodi explicatio, expositio et declaratio doctrinæ revelatæ proprie officium principale theologiæ constituit (non vera deductio conclusionum proprie vel quoad se dictarum).

Medium logicum manifestationis et declarationis revela-

torum erit communiter syllogismus, media autem *materialia* deductionis a Conc. Vatie, duo principalia indicantur, sc. *analogia* inter naturaliter cognita et divinitus revelata, et *nexus mysteriorum* tum inter se tum cum fine hominis ultimo (Denz., 1796) : id quod quam maxime in doctrina S. Thomæ apparet.

3. Theologia ratione naturali utitur *ad deducendas conclusiones,* sc. quoad se vel proprie dictas. Id quod iterum dupliciter fieri potest : sc. vel deducendo conclusionem ex duobus principiis revelatis, vel ex uno principio revelato et alia præmissa naturaliter cognita. De qua tamen re iam supra, ubi quæstio erat de conclusionibus theologicis, sufficienter dictum est.

Notandum tamen est quod theologi post Conc. Tridentinum tum theoretice tum practice maxime in deductione conclusionum proprie dictarum insistunt, dum theologi anteriores magis in conclusionibus improprie dictis vei quoad nos tantum insudant, i. e. in explicatione et declaratione mysteriorum ipsorum, licet huiusmodi explicatio quoad nos per modum syllogismi acquiratur. S. Thomas utrumque intelligit cum dicit quod theologia ex articulis fidei « procedat ad aliquid ostendendum », ad « aliquid manifestandum », quod theologia » ex articulis fidei ad alia argumentatur » ; tamen et ipse maxime intelligent!am mysteriorum ante oculos habet, sicut quasi omnes eius articuli probant.

4° Denique ratio humana potest *soluere obiecliones* contra fidei veritatem, sive ostendendo eas esse falsas, sive ostendendo non esse necessarias (S. *Thomas, In Boethium,* q. n, a. 3). Etenim « inanis contradictionis species (inter fidem et rationem) inde potissimum oritur quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur » (Gone. Vatie., Denz., 1797). Inde theologi erit, primo quidem sibi procurare intellectum verum doctrinæ fidei ad mentem Ecclesiæ, maxime definitionum dogmaticarum nec non tamen SS. Patrum et theologorum; secundo optime nosse doctrinam philosophicam veram, simul tamen sensum doctrinarum erronearum earumque fundamenta ; tertio, sibi acquirere et facultatem distinguendi : qua in re

utilisimum, immo necessarium auxilium sunt scholasticae disputationes quæ proinde in maximum damnum theologiae plurimis in institutis derelictae sunt. Certe tamen theologus absque cognitione, et quidem non ieiuna, theologiae et philosophiae scholasticæ ad solvendas obiectiones modernorum non erit expeditus, immo nequidem proprie capax. Optimum etiam in hac re erit studium assiduum aureae doctrinæ S. Thomæ Aquinatis[1].

VI. De habitudine Ecclesiæ ad rationem ac scientias naturaliter acquisitas. — Ex thesi simul apparet quomodo Ecclesia generaliter ad scientiam humanam se habeat.

1° *Ecclesia minime esi inimica, sede contra amica cuiusque scientiæ veri nominis.* Ad rem Cone. Vatie. : « Tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturæ obsistat, ut hanc multis modis iuvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur immo eas, quemadmodum a Deo scientiarum Domino profectæ sunt, ita, si rite pertractentur, ad Deum iuvante eius gratia perducere. Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinæ in suo quoque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinæ doctrinæ repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressæ ea, quæ sunt fidei, occupent et perturbent[2] » : atque huiusmodi officium et ius Ecclesiæ satis patet ex dictis.

2° *(Fides el) Ecclesia rationem ab erroribus liberat ac tuetur eamque multiplici cognitione instruit*[3] : id quod ite-

1. *Cavendus* simul est *error et abusus* qui non paucos fefellit, ut sc. propter difficultates quasdam, norf facile solubiles, sive difficultas oriatur ex parte aliorum principiorum fidei, sive ex parte doctrinarum rationalium, principia fidei vel etiam conclusiones aliunde certæ modificentur, restringantur, in dubium vocentur, quinimmo negentur. Id enim præsertim in historia controversiarum theologicarum non circa unam tantum doctrinam accidit. Similiter ob quasdam difficultates theologicas principia quoque rationalia certissima, immo evidentia, negata fuerunt, ut : quidquid movetur, ab alio movetur.

2. Sess. III ; Denz., 1799.

3. *Cone. Vatic.,* Sess. III ; Denz., 1799.

rum facile constat. Ecclesia enim proponendo fidei veritatem, damnando errores contra fidem, explicando doctrinam revelatam, simul veritatem et doctrinam rationis naturalis proponit, defendit eamque ab erroribus praeservat. Atque de facto, omnes illi, qui sunt extra Ecclesiam, erroribus putidissimis adhaerent, sive polythéisme sive deismo sive materialismo sive idealismo ; vel certo in quaestionibus moralibus quasi omni destituti sunt norma veritatis. Hic valet verbum Domini : « Veritas liberabit vos » (Ioa., vin, 32).

3° Ecclesia, sicut et fides, *generaliter rationem humanam honorat,* cum dictamen rationis tanquam legitimum atque obligatorium admittat ac statuat, cum vim rationis in cognoscendo Deo eiusque proprietatibus defendat, cum rationem tanquam fidelem interpretem vel ipsius doctrinæ revelatæ agnoscat, cum denique ratione tanquam ministra in proponendis et evolvendis mysteriis divinis, nobis revelatis, utatur. E contra adversarii Ecclesiæ rationem humanam dehonestant, denegando ipsi vim et facultatem quoad altiora obiecta, imo denegando ipsi vel facultatem cognitionis obiectivæ, i. e. veræ.

VII. Quo sensu philosophia « ancilla theologiae » dicatur. — Notum est adagium quod philosophia sit ancilla theologiæ. Atque S. Thomas docet quod S. Doctrina utatur aliis scientiis « tanquam inferioribus et ancillis » (I, q. i, a. 5 ad 2) et quod « naturalis ratio *subserviat* fidei » (1. c., a. 8 ad 2). Similiter Pius IX Guentherianis opponit quod ratio et philosophia » in rebus religionis non dominari sed ancillari debeant » (Denz., 1656). Verus sensus huius dicti est hic : *in ipsa theologia,* cum theologia utitur philosophia, ida tamquam instrumento et tanquam scientia inferiori utitur. Ita S. Thomas ' « Scientiæ quæ habent ordinem ad invicem, hoc modo se habent quod una potest uti principiis alterius... Unde metaphysics, quæ est omnibus superior, utitur his quæ in aliis scientiis sunt probata : et similiter theologia, cum omnes aliæ scientiæ sint ei quasi famulantes et præambulæ in via generationis, quamvis sint dignitate posteriores, potest uti principiis omnium aliarum (Zn *Boethe* q. n, a. 3 ad 8).

Unde alio in loco S. Doctor modum quo theologia utitur philosophia, comparat modo quo « scientiæ architectonicæ utuntur subministrantibus, ut civilis militari » (I, q. i, a. 5 ad 2).

Quodsi autem *philosophia secundum se* consideratur, philosophia minime ancilla theologiæ dicitur, sicut nec est, dummodo limitas suos non transgrediatur. Id quod optime Pius IX docuit. Improbat quidem « intollerandam philosophiæ licentiam » quæ sc. asserit, philosophiam, nulla habita doctrinæ revelatæ ratione, nunquam auctoritati divinæ se submittere debere vel posse. Id quod tamen sic explicat : « Quod esset tolerandum et forte admittendum si hæc dicerentur de iure tantum quod habet philosophia, suis principiis seu methodo ac sui" conclusionibus uti sicut et aliæ scientiæ, ac si libertas mus consisteret in hoc suo iur" utendi, *ita ut nihil in se admitteret quod non fuerit ab ipsa suis conditionibus acquisitum aut fuerit illi alienum.* » (Denz., 1656}.

Idem declaravit *Concil. Vatic.,* Sess. III, c. iv (Denz., 1799) his verbis : «Nec sane ipsa (Ecclesia) vetat, ne huiusmodi (philosophies) disciplinæ in suo quæque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo ; sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinæ doctrinæ repugnando errores in se suscipiant aut fines proprios transgressæ ea quæ sunt fidei, occupent et perturbent. »

VIII. Inde solitæ *obiectiones* facile evanescunt. *Primo* enim Ecclesia et theologia ratione vel etiam philosophia *non utitur ad principia sua probanda, sed ad ea explicanda ;* ideoque ratio vel philosophia locum revelationis vel Dei minime occupat. Hoc sensu S. Thomas docet *(In Boeth.,* l. c., ad 1) : « Doctrina philosophorum non est utendum quasi principali, ut sc. propter eam credatur fidei ; non tamen removetur quin ea possint uti doctores quasi secundaria. »

Secundo ex usu rationis vel philosophiæ *doctrina theologica Ecclesiæ non mutatur.* Ratio enim et philosophia sunt *instrumenta* tantum, vel ad declarandum et explanandum sensum doctrinæ revelatæ, vel ad exprimendam doctri-

nam revelatam per certos et optimos conceptus et terminos scientificos, vel ad conclusiones deducendas. Quo sensi S. Thomas docet: « Theologia... *utitur* principiis omnium aliarum (scientiarum) » (i. c., ad 7). Falsissima igitur est opinio protestantica quasi in Ecclesia catholica, ob usum rationis et philosophiæ, additamenta quædam ad doctrinam revelatam eaque verbo Dei extranea accesserint. Ita falsissima est sententia Harnackii quod sc. dogmata (catholica) sint « productum theologiæ et opus ingenii gravi (— philosophiæ græcæ) super fundamentum evangeliorum », ita sc. ut « media scientifica (i. e. doctrinæ philosophicæ) quibus mediantibus antiqui doctrinam Evangelii explicare ac exprimere conarentur, cum doctrina evangelica in unum conglutinatæ atque ad dignitatem doctrinæ theologicæ et dogmatis elevatæ fuerint[1]. » Similiter falsa est opinio non paucorum, philosophiam esse « fundamentum » theologiæ, ut e. g. philosophiam aristotelicam in theologia S. Thomæ.

Tertio, adest quidem influxus philosophiæ isque verus et efficax in doctrinam theologicam efformandam, at minime quantum ad res edocendas, sed tantum quantum ad terminos quibus doctrina revelata exprimitur, quantum ad formulas scientificas, quantum ad conceptus quibus res revelatæ examinantur ac determinantur, ac sic denique quantum ad directionem studiorum, inquisitionis et cognitionis doctrinæ revelatæ. Isto modo theologia scholastica a philosophia aristotelica dependet, inquantum sc. doctrina revelata per terminos aristotelicos exprimitur, sub ratione conceptuum Aristotelis concipitur ac denique secundum mensuram cognitionis aristotelicæ investigatur, dum forsitan sub influxu alterius philosophiæ aliis sub rationibus et conceptibus considerata et expressa atque aliæ et aliæ partes revelationis ijivestigatæ fuissent : qua ratione influxus philosophiæ in historia dogmatum et forma concreta dogmatum explicatur. Inde sequitur, esse summi momenti pro theologia et pro evolutione dogmatum ut in Ecclesia vera philosophia vigeat[2].

1. Harnack, *Dogmengeschichte,* I3, XVM ; cf. p. 3.
2. Ad obiectionem quæ theologos, philosophia utentes, coin-

Optime denique S. Thomas explicat qua ratione theologia catholica aliquid a ratione vel a philosophia accipiat. In I, q. i, a. 5 ad 2 ad obiectionem propositam sic respondet : « Hæc scientia accipere potest aliquid a philosophicis disciplinis, non quod ex necessitate eis indigeat, sed ad maiorem manifestationem eorum quæ in hac scientia traduntur. Non enim accipit sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis tanquam a superioribus, sed utitur eis tanquam inferioribus et ancillis, sicut architectonic® utuntur subministrantibus, ut civilis militari. Et hoc ipsum quod sic utitur eis, non est propter defectum vel insufficientiam eius, sed propter defectum intellectus nostri : qui ex his quæ per naturalem rationem (ex qua procedunt aliæ) cognoscuntur, facilius manuducitur in ea quæ sunt supra rationem, quæ in hac scientia traduntur ».

parat cauponibus qui aquam vino miscent, S. Thomas respondet : « Illi qui utuntur philosophicis documentis in sacra doctrina, redigendo in obsequium fidei, non miscent aquam vino, sed convertunt aquam in vinum » (!) In Boeth., *De Trin.,* q. n, a. 3 ad 5.

ARTICULUS SEPTUAGESIMUS QUINTUS

De auctoritate philosophorum[1]

I. Status quaestionis. — Doctrina philosophica quaedam dupliciter considerari potest : *uno modo* secundum quod a nobis ipsis cognoscitur vel per argumenta probatur, *alio modo* inquantum est alicuius philosophi et ex eius auctoritate vim quandam ad inducendum consensum habet. Primo modo considerando habetur locus ex ratione, secundo modo considerando habetur proprie locus ex auctoritate philosophiæ vel potius philosophorum[2]. Quæritur igitur, utrum auctoritas philosophorum in theologica argumentatione vim quandam vel efficaciam habeat, ita sc. ut propter illam aliqua doctrina teneri, admitti ac applicari possit et debeat. Specialis quæstio erit, *quibusnam philosophis* talis auctoritas competat.

II Thesis.

Thesis I : Auctoritas philosophorum theologo quidem argumentum præbet. attamen per se et directe infirmissimum.

Prima pars propositionis facile probatur. Sequitur enim :

a) Ex auctoritate Domini : qui sc. dicta aliorum in argumentum adducit, ut e. g. Lc., xu, 54 ss. : « Cum videritis nubem venientem ab occasu, statim dicitis : nimbus vemt : et ita fit; et cum austrum flantem, dictis : Quia æstus erit ; et fit. »

i>) *Ex auctoritate S. Pauli :* qui coram Areopago non tantum cultum « Dei ignoti » *(Act.,* xvii, 23) sed et dictum Arati (xvii, 28) in argumentum adducit, sicut alio in loco dictum Epimenidis (Tit., i, 12).

c) *Ex naturali auctoritate philosophorum,* utpote ut vi-

1. De Groot, *Summa apologetica de Ecclesia catholica,* q. xxm ; M. Cano, *De locis theologicis,* lib. X.

2. Cf. S. Thomas, *In Boethium de Trin.,* q. n, a. 3 ad 8.

rorum ingenio, studio, doctrina eximiorum : quodsi enim ratio aliquid valet, etiam auctoritas virorum sapientum agnoscenda est.

/'.r *praxi SS. Patrum* : qui auctoritatem philosophorum admiserunt eaque ad probanda asserta et ad adversarios refutandos usi sunt.

e) *Ex necessitate refutandi adversarios per auctoritatem ab ipsis admissam,* quia testimonium adversarii efficacius est[1]. »

/) Denique *sententia contraria* aut generaliter vim rationis negat vel omnem auctoritatem respuit : id quod est *absonum.*

Secunda pars propositionis patet : « Nam locus ex auctoritate quæ fundatur super ratione humana, est infirmissimus[2]. »

Thesis II : Doctrina philosophorum indirecte et ex aliis motivis quam ex auctoritate philosophorum, maiorem auctoritatem haberi potest et quidem :

a) *Ex approbatione Ecclesiæ :* tunc enim auctoritas Ecclesiæ quodammodo accedit ;

b) Ex usu approbante theologorum : tunc accedit auctoritas theologorum ;

c) *Ex bonis fructibus applicationis alicuius philosophise* in quæstionibus theologicis pertractandis, ita sc. ut doctrina mediante tali philosophia exarata ut consonans cum doctrina fidei appareat : tunc enim doctrina illa philosophica ex effectu comprobatur, sicut arbor bona ex fructibus dignoscitur (Mt ., x ii, 33).

d) Denique *ex indicio generali de veritate alicuius systematis ;* quod si enim systema quoddam generaliter ut verum comprobatur, singulæ quoque doctrinæ inde auctoritatem maiorem acquirunt.

Thesis III : Ex systematibus philosophiae antiquae philosophia aristotelica maxime commendatur.

Quæstio non est de philosophia aristotelica corrupta, ut e. g. apud Arabes vel modernos quosdam (Zeller), sed de

1. S. Thomas, *In Boelhium,* de Trin., q. n, a 3 ad 8.
2. S. Thomas, I, q. i, a. 8 ad 2.

vera et genuina doctrina Aristotelis ipsius. Huiusmodi philosophia commendatur, tum ob valorem intrinsecum, quia sc. optimam doctrinam logicam, psychologicam et metaphysicam continet ; tum ob auctoritatem scholasticorum : qui sc. doctrinam aristotelicam non tantum commendaverunt sed etiam felicissime et fructucssissime excoluerunt et in theologia applicaverunt quin in errores incidissent, nisi forsitan accidentales : tum ob auctoritatem Ecclesiæ : quæ sc. usum philosophiæ aristotelicæ approbat, fovet, immo suum facit[1].

Rationes in contrarium sunt : vetustas doctrinæ aristotelicæ : quæ tamen veritati eius non obstat ; dependentia a scientia naturali erronea : quæ tamen principia essentialia et proprie philosophica non tangit. Gætera argumenta communiter ex capite cuiusdam doctrinæ erroneæ, immo hæreticæ procedunt.

Thesis IV : Philosophia scholastica, praecipue est S. Thomae Aquinatis, maxime commendatur.

Propositio intelligenda est de vera et genuina philosophia S. Thomæ, non vero de corrupta vel male exposita. Simul agitur de philosophia proprie dicta, non vero de doctrina naturali.

Prob. 1. *Ex valore intrinseco* philosophiæ scholasticæ, et principaliter S. Thomæ : est enim systema compactum, optime ordinatum, in omnibus partibus sibi constans atque cum rerum factis consonans : id quod est optimum signum veritatis ; simul elucet proprietate terminorum, expositione lucida quæstionum ac determinatione limpida sententiarum. Denique, ut alia transeam, quæstiones vere scientifice tractantur, i. e. quæstiones profundissime exami-

1. Gregorius IX quidem in ep. *Tracti dolore* ad theologos Parisienses (1228) usum philosophiæ (aristotelicæ) in theologia prohibuit, at usum philosophiæ aristotelicæ corruptæ et contra regulas theologicas factum. Scribit enim contra eos qui « positos a Patribus terminos profana transferre satagunt novitate, cœlestis paginæ intellectum... ad doctrinam philosophicam naturalium inclinando », « scientiæ naturalium plus debito insistentes », « dum ad sensum doctrinæ philosophorum ignorantium Deum sacra eloquia divinitus inspirata extortis expositionibus, immo distortis, inflectunt » et « *fidem* conantur plus debito ratione adstruere naturali ». D. 442.

nantur — consideratis omnibus considerandis ; — argumenta tum in rerum factis, tum in principiis altissimis fundantur, et usque ad rationem propriam et immediatam descendunt (demonstratio propter quid); rationes apparenter obstantes vel obiectiones alterius partis sollerter ponderantur atque solvuntur, et quidem ex ipsis principiis philosophise et ex natura ipsius rei. Inde « disciplina Doctoris Angelici mire facta est ad confirmandas mentes, mire usum parit commentandi, philosophandi, disserendi presse invictequel. » îuremerito philosophia scholastica « *perennis* » vocatur[1].

2. *Accedit auctoritas theologiæ scholasticæ :* quse sc. istam philosophiam non tantum approbavit sed simul felicissime in usum deduxit atque eius ope et auxilio miro modo fidem explicavit ac theologiam excoluit. Principaliter auctoritas S. Thomæ, Doctoris Ecclesiæ, accedit qui sc. magnam partem gloriæ suæ debet philosophise quam tenebat.

3. Maxime *auctoritas Ecclesiæ accedit,* quæ sc. non tantum theologiam scholasticorum, maxime S. Thomæ, suam fecit et imposuit, sed simul etiam philosophiam. Hic præsertim recolendus est Can. 1366 § 2 quo præscribitur : « Philosophiae rationalis et theologiæ studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte tenant ». Qui canon optime per verba Pii X explicatur quibus dicitur : « Quæ in philosophia S. Thomæ sunt capita, non ea haberi debent in opinionum genere, de quibus in utramque partem disputare licet, sed velut fundamenta in quibus omnis naturalium divinarumque rerum scientia consistit[3]. » Idque idem Pontifex iam in Encyclica « *Pascendi* » præceperat, his quidem verbis : « Ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur... (et) quod rei caput est, cum philosophiam scholasticam sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus quæ a S. Thoma Aquinate est tradita.»

1. Leo XIII ad episc. Bavariæ.
2. E. Commer, *Die immerwahrende Philosophie,* 1898.
3. Pius X, *Motu proprio* « *Doctoris Angelici* », 29 Iun. 1914.

Denique hic referenda esset integra quasi Encyclica *Æterierni Patris,* qua Leo XIII restaurationem philosophiæ Doctoris Angelici induxit. Pontifex laudat philosophiam S. Thomæ ut maxime *aptam.* «Apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohaerentia, ille ordo et dispositio tanquam militum in pugnando instructio, illæ dilucidæ definitiones et distinctiones, illa argumentorum firmitas et acutissimæ disputationes... præclaræ, inquimus, et mirabiles illæ dotes unice a recto usu repetendæ sunt eius philosophiæ quam magistri scholastici, data opera et sapienti consilio, in disputationibus etiam scholasticis, passim usurpaverunt. »

Eminentia philosophiæ S. Thomæ his verbis laudatur : « In eo neque copiosa quaestionum seges neque apta partium dispositio neque optima procedendi ratio neque principiorum firmitas aut argumentorum robur neque dicendi perspicuitas aut proprietas neque abstrusa quaeque explicandi facilitas desideratur. »

« Illud etiam accedit quod philosophicas conclusiones Angelicus Doctor speculatus est in rerum rationibus et principiis, quæ quam latissime patent et infinitarum fere veritatum semina suo velut gremio concludunt, a posterioribus magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda. Quam philsosophandi rationem cum in erroribus refutandis pariter adhibuerit, illud a se ipso impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellarit et ad profligendos, qui perpetua vice in posterum exorituri sunt, arma invictissima suppeditarit. »

« Præterea rationem, ut par est, a fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum iura conservavit, tum dignitati consuluit, ita quidem ut *ratio ad humanum fastigium Thomæ pennis evecta, iam fere nequeat sublimius assurgere; neque fides a ratione fere possit plura aut validiora adiumenta praestolari* quam quæ iam est per Thomam consecuta. »

Exinde summus Pontifex *concludit :* Nos igitur, dum edicimus libenti gratoque animo excipiendum esse quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum ; omnes vos Fratres... quam enixe exhortamur ut ad catholicæ fidei tutelam et decus,

ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum auream S. Thomæ sapientiam restituatis et quam latissime propagetis. Sapientiam S. Thomæ dicimus: si quid enim est a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quæsitum vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris ævi doctrinis minus cohærens vel denique quocumque modo non probabile, id nullo pacto in animo est, ætati nostræ ad imitandum proponi. Cæterum, doctrinam Thomæ Aquinatis studeant magistri... in discipulorum animos insinuare eiusque præ cæteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant. « Adiungitur : « Ne autem supposita pro vera, neu corrupta pro sincera bibatur, providete, ut *sapientia* Thomæ *ex ipsius eius fontibus* hauriatur, aut saltem ex iis rivis quos ab ipso fonte deductos adhuc integros et illimos decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est : sed ab illis quæ exinde fluxisse dicuntur, re tamen alienis et non salubribus aquis creverunt, adolescentium animos arcendos curate[1]. »

4. Denique veritas et utilitas philosophiæ thomisticæ *ex factis* comprobatur[2]. Nam una ex parte ilii qui philosophiam S. Thomæ secuti sunt, nunquam in errores inciderunt, altera ex parte omnes illi qui contra philosophiam Angelici sentierunt, alias et alias vel hæreses vel saltem errores amplexi sunt[3].

5. *Obiectiones* quæ philosophiæ S. Thomæ opponuntur, sunt eaedem quæ contra auctoritatem S. Thomæ' in theologia et contra philosophiam Aristotelis fiunt. Certe tamen theologo et quantum ad usum philosophiæ S. Thomæ in theologia auctoritas Ecclesiæ et experientia sæcularis sufficere debet, ut sequatur S. Thomam et omnem philosophiam contrariam relinquat, immo impugnet[4].

1. De qua re, cf. etiam Breve *Gravissime nos.*

2. Cf. M. Grabmann, *Der Gegenwarlswert der geschichllichen Erforschung der mittelalterlichen Philosophie,* Wien, 1913.

3. Celebre est dictum Pii X : Nemo « sine magno, detrimento ullum vestigium, præsertim in metaphysicis, ab Aquinate discederet « *Motu proprio* » *Angelici Doetoris* ».

4. Quoad 24 theses thomisticas per decretum S. Studiorum Congregationis propositas (27 Julii 1914) « veluti tutæ normæ directive » (Decretum eiusdem Congreg., die 7 martii 1916), videsig* E. Hugon, O. P., *Les vingt-quatre thèses thomistes,* Paris, Téqui, 1922.

Thesis V : Philosophia moderna in theologia adhiberi nequit, immo quam maxime vitanda atque impugnanda est.

Sub nomine philosophiæ modernæ minime illam vocamus quæ, insistendo in principiis philosophiæ scholastics, cognitionibus recentioribus, præsertim naturalibus et historicis, ad doctrinam et methodum scholasticam excolendam utitur; sed intelligenda est illa philosophia quæ quoad principia et methodum in doctrina cartesiana-kantiana-positivistica fundatur, cum oppositione expressa ad scholasticam : ita philosophia moderna eadem est ac philosophia subiectivismi (sive absoluti sive relativi), idealismi et agnosticismi. Nec quidem negandum est, etiam apud huiusmodi philosophos quædam reperiri quæ in utilitatem veritatis applicari possint (licet communiter vel huiusmodi dicta simul apud scholasticos et melius inveniantur). Thesis proprie est contra illos qui huiusmodi philosophiam modernam loco philosophiæ scholastic®, et maxime thomisticæ, ad theologiam excolendam applicare praetendunt.

Thesis probatur.

a) *Principia et methodus philosophiæ* modernæ essentialiter et specifice principiis et doctrinis fidei contradicunt : negat enim huiusmodi philosophia demonstrabilitatem rationalem existentiæ Dm, negat et confundit distinctionem inter duplicem ordinem cognitionis, sc. naturalis et supernaturalis ; est inimica fidei, utpote rationalismo addicta, etc.

δ) Huiusmodi philosophia formaliter et expresse *damnata* est quoad sua capita, ut præsertim in Cone. Vatie., in Syllabo Pii IX, in Encyclica *Pascendi* Pii X.

c) Philosophia moderna de facto plures *hæreses induxit,* ut Hermesii, Guentherii et maxime Modernistarum, immo ad generalem subversionem fidei perduxit apud plurimos : ita ut in præsenti tanquam maximum periculum fidei sit consideranda adeoque vitanda et impugnanda.

d) Illi qui fautores philosophiæ modernæ inter catholicos existunt, communiter nec verum characterem philosophiæ modernæ (certe minime eius oppositionem ad fidem) nec philosophiam scholasticam (quam nihilominus acriter impugnant) satis cognoverunt.

Opponitur communiter, etiam S. Thomam novam quamdam philosophiam in theologiam induxisse. At aliucl est, novam eamque *veram* philosophiam ad theologiam applicare, et aliud est, novam eamque manifeste falsam commendare et applicare. Similiter minime valet aliud effugium, sc. philosophiam modernam applicari ut expurgatam a suis erroribus : expurgatio enim possibilis erat in philosophia aristotelica, cuius errores sunt accidentales et ex ipsis principiis fundamentalibus Aristotelis corrigi poterant ; errores autem quæ in philosophia moderna existunt, sunt maxime fundamentales, adeo ut illa corrigi nequeat, sed simpliciter relinquenda et expugnanda sit. Potest tamen adduci ut argumentum ad hominem contra adversarios.

ARTICULUS SEPTUAGESIMUS SEXTUS

De auctoritate historiael

1. Status quæstionis, — Tanquam ultimus locus theologicus historia nominatur. Historia generalissime definitur tanquam scientia rerum praeteritarum. Quæritur igitur, utrum scientia rerum præt^ritarum theologo argumentum præbere possit. Quantum ad hanc quæstionem duo patent vel saltem ad nostrum propositum non pertinent. *Primo* sc. patet, notitiam, et quidem scientificam, doctrinæ antecedentis Ecclesiæ, sc. Conciliorum, SS. Patrum et veterum theologorum in argumentatione theologica esse necessariam ; *secundo,* ex iis quæ in cap. i diximus, hic supponitur quod facta historica ipsa vim habeant probativam, sc. ut motiva credibilitatis, ut præsertim miracula et prophetias (cf. *Cone. Vatic.,* Sess. III, de fide) ; unde in toto nostro libro tum ex factis historicis tum ex doctrina veterum argumentati sumus.

Quæstio vero quæ proprie locum theologicum ex historia respicit, hæc est : *utrum cognitio et consideratio historica jactorum praeteritorum,* præsertim ipsius fieri vel evolutionis, theologo argumentum præstare possit, ita ut ipsi sit utilis et necessaria. Quæritur igitur proprie de utilitate et necessitate scientiæ historic® in argumentatione theologica.

Scientia enim historica *proprie* illa vocatur, quæ ipsum fieri rerum investigat et exponit. Quantum ad nostram materiam historia evolutionis Ecclesiæ, maxime dogmatum, simul cum scientia omnium illarum rerum quæ cum evolutione Ecclesiæ et dogmatum connexionem habent, in quæstionem venit.

I. R. Schultes, *Introductio in historiam dogmatum,* p. 325-342 ; C. Schaezler, *Bedeutung der Dogmengeschichle,* p. 150 ss. ; G. Pfeilschifter, *Einfiihrung in das Studium der hath. Théologie* p. 61-80 ; E. Dublanchy, in *Dici, de théol. cath.,* verbum « dogme », col. 1648 ss. ; Mabillon, *Traité des études monastiques,* p. II.

Huiusmodi scientia nostris diebus communiter *theologia historica* dicitur quippe quæ totam materiam theologicam sub ratione historica et secundum methodum historicam considerat. Cuius partes principales sunt : historia Ecclesiæ, historia dogmatum, historia archeologiæ christianæ, historia literaturæ ecclesiasticæ, historia religionum, theologia biblica etc. Itaque propriissime est quæstio de auctoritate, utilitate et necessitate theologiæ historic®. Simul inde oritur quæstio de methodo historica in theologia applicanda[1].

II. Thesis : Theologia historica theologo perutilis, immo necessaria est atque argumenta nova suppeditat.

Prob. Theologia dogmatica sua argumenta ex S. Scriptura, ex SS. Patribus et ex doctrina theologorum haurit. Atqui huiusmodi argumentatio per auxilium scientiæ vel theologiæ historicæ perfectior efficitur. Ergo.

Minor prob. a) Testimonia veterum communiter sub tanto involucro historico nobis transmissa sunt ut nonnisi per studia historica exacte dignosci possint.

b) Ad perfectionem argumenti dogmatici requiritur, ut sensus singulorum textuum exacte determinetur. Atqui id vix fieri potest, saltem non perfecte, si textus tantum separatim considerentur ; e contra sensus testimoniorum et doctrinæ SS. Patrum et veterum theologorum multo perfectius determinabitur, si connexus singularum doctrinarum et textuum consideratur, si evolutio alicuius doctrinæ investigatur et ostenditur; similiter vis argumentativa quorundam factorum in historia Ecclesiæ vel etiam in historia aliarum religionum magis apparet si illa in connexione cum aliis factis et in sua evolutione examinantur et determinantur.

c) Officium est theologiæ dogmaticæ, ostendere consonantiam dogmatum hodie in Ecclesia vigentium cum doctrina S. Scripturæ, SS. Patrum et veterum theologorum et

1. Veteres quidem theologi, de loco theologico historiæ tractantes, *facta* potius historica considerant ; at sicut scientia et consideratio historica nostris diebus progressum enormem habuit, ita et doctrina de loco theologico ex historia magis altiusque determinanda est.

cum factis historiæ ecclesiastic» vel etiam historiæ civilis. Atqui huiusmodi consonantia vix, saltem perfecte, ostendi potest nisi doctrinæ veterum et facta historica in lumine conditionis illorum temporum adeoque sub ratione evolutionis historicæ considerentur[1].

d) Absque auxilio theologiæ historicæ, argumentatio dogmatica ex SS. Patribus ad puram *accumulationem textuum* facile declinat, quin vis argumentorum appareat, immo quin argumenta vere proprieque vi probativa polleant ; erit autem argumentum dogmaticum omnino perfectum, si ostendatur, quomodo dogma postmodum definitum succedentibus temporibus in rerum factis magis magisque appareat, quomodo doctrina quædam, eadem permanens, succedentibus temporibus alias atque alias formas induerit, in dies magis explicata fuerit, usquedum ad dignitatem dogmatis evecta fuerit. Inde denique ipsa methodus dogmatica per theologiam historicam quodammodo legitimatur, inquantum doctrina præsentis Ecclesiæ, quam methodus dogmatica sequitur, ut consonans cum factis et cum doctrina temporis præteriti comprobatur.

Iuvabit afferre *exempla.* Primum exemplum sit dogma de primatu Romani Pontificis. Certe *facta* historica circa primatum perfecte determinari nequeunt absque scientia proprie historica ; similiter *sensus* testimoniorum SS. Patrum exacte determinari nequit, nisi illa in connexu historico et ut membra in evolutione examinentur ; similiter denique *consonantia* plurimorum dictorum veterum cum dogmate vaticano perfecte ostendi nequit nisi illa dicta in lumine doctrinæ et conditionis illius temporis conside-

1. Iam Mabillon utilitatem et necessitatem theologiæ historicæ optime ita determinaverat : « Il est certain que sans cette étude on ne peut avoir une parfaite intelligence des Pères, ni de la théologie, et que c'est par là qu'on apprend... les dogmes de notre religion. » *Traité des études monastiques,* p. II, ch. vin. » L'étude de la théologie scholastique donne les premiers éléments de cette science ; mais il faut la perfectionner par une étude sérieuse de l'Écriture et de la Tradition de l'Église, qui est renfermée principalement dans les Conciles et les Pères. Il en faut examiner les sentiments et les maximes, tâcher de les concilier ensemble, et de joindre par ce moyen la doctrine des premiers siècles avec les derniers. C'est *cet* enchaînement qui fait, à proprement parler, la tradition » (l. c., p. H, ch. xx).

rentur. Aliud factum sit doctrina de Trinitate et de Incarnatione. Historia horum duorum dogmatum maxime obtecta est involucro historico; sensus terminorum doctrinæ S'. Patrum nonnisi ex connexu cum aliis doctrinis perfecte cognosci potest; consonantia cum dogmate postmodum definito tantum ex evolutione doctrinæ perfecte dignoscitur et comprobatur.

e) In theologia, præsertim scholastica, decursu temporum plurimæ *controversiae,* contigerunt et adhuc extant, et quidem de quaestionibus gravioribus, ut de gratia et libero arbitrio etc. : quæ contreversiæ auctoritatem theologiae non parum laedunt ac progressum impediunt et de reliquo sunt signum alicuius defectus. Iam vero ad huiusmodi controversias dirimendas optimum remedium erit notitia exacta totius evolutionis circa doctrinam disputatam : ex successiva enim evolutione doctrinæ tum sensus dictorum veterum, tum vis argumentorum communiter facile determinantur.

Doctrina e. g. de gratia et libero arbitrio decursu temporum maximam habuit evolutionem. Quid iuvat citare textus S. Augustini quin sensus verborum illius ex contextu historico determinetur ! Quid iuvat doctrina S. Thomæ quin status quæstionis apud ipsum determinetur, quin terminologia eius cognoscatur !

e) Denique cogit *necessitas apologetica.* Fides enim catholica nostris diebus quam maxime argumentis historicis impugnatur, sive ex historia Ecclesiæ sive ex historia dogmatum sive ex historia religionum. Neque sufficit theologo catholico, facta historica quocumque modo defendere, sed omnino necesse est, veritatem historicam sub historica ratione et secundum exigentias methodi historicæ investigare et defendere : adversarius enim scientificus non aliter quam armis propriis et secundum methodum propriam efficaciter convincitur.

Totum denique verbis Pii X confirmatur qui scholasticis consuluit ut magis theologia positiva uterentur, « mutuato a veri nominis historia lumine » (Encycl. *Pascendi).*

III. Corollaria. — *Corollarium primum.* Non est quidem *historiae,* sive Ecclesiæ sive dogmatum, formare pro-

prie argumenta dogmatica, sed *materiam ministrare* pro huiusmodi argumentis conficiendis, materiam tamen ut ita dicam, ultimo dispositam. Quodsi enim historia Ecclesiæ et dogmatum vel religionis determinaverit, qualis secundum rerum veritatem vita Ecclesiæ fuerit, quænam historia religionum, quibus sub formis dogmata postmodum definita decursu temporum in doctrina Ecclesiæ extiterint, facile erit pro theologo dogmatico inde argumenta sua ordinare.

Corollarium alterum. Theologiæ dogmaticæ tamen est, non tantum facta historica in argumentum componere, sed simul ostendere *consonantiam* factorum et doctrinarum temporis præteriti cum doctrina in Ecclesia hodie vigente.

Corollarium tertium. ⊢ Theologia historica et dogmatica *mutuum* sibi adinvicem *auxilium* ferunt. Theologia enim dogmatica et historica ad invicem sibi non opponuntur neque se excludunt, sed e contra theologia historica, licet ut talis proprium habeat finem et methodum, tamen ad theologiam dogmaticam ordinatur, ut sc. ei argumentorum materiam præbeat vel argumenta perficiat ; ex altera tamen parte theologia dogmatica per suos conceptus, per doctrinam speculativam theologos historicos adiuvat et dirigit, ut facta historica et doctrinas varias veterum facilius exactiusque capere et diiudicare valeant.

Corollarium quartum. — Theologia historica est *officium speciale nostri temporis.* Sicut enim dona et officia hominum singulorum sunt diversa, ita et temporum singulorum ; inde etiam in theologia periodi diversæ diversa habent officia. DumSS. Patres summam doctrinæ revelatæ determinaverunt et explicaverunt, dum theologi scholastici eandem doctrinam formulis scientificis expresserunt, in systema reduxerunt et varias inde conclusiones deduxerunt, nostris diebus « spiritus historicus » fervet et incumbit officium investigationis et perlustrationis historicæ evolutionis vitæ et doctrinæ Ecclesiæ; ita fiet ut theologia moderna necessitatibus præsentis temporis satisfaciat atque profectum novum et proprium addat.

Corollarium quintum. — Theologia tamen dogmatica eaque scholastica primario et maxime necessaria est. Primario enim et ante omnia necessarium est, scire *quid*

sit credendum, tenendum, agendum : id quod theologia dogmatica et moralis edocet. Neque theologia historica theologiam dogmaticam supplere potest. Ad rem optime A. Palmieri : « Nefas esset, abdicata theologia dogmatica theologicam omnem impendere operam in formulis dogmaticis historice rimandis[1]. »

Totum confirmetur et concludatur verbis Pii X quibus decernit : « Addimus... eos... Nobis laude dignos videri qui incolumi reverentia erga traditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium, sapienti iudicio catholicisque usi normis (quod non semper omnibus accidit) theologiam positivam, mutuato a veri nominis historia lumine, collustrare studeant. Maior profecto quam antehac positivæ theologiæ ratio est habenda ; id tamen sic fiat ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur utpote qui modermstarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt ut scholasticam theologiam despicere videantur » *(Pascendi.')*

1. *Theologia dogmatica orthodoxa,* I, p. 118.

ARTICULI S SEPTUAGESIMUS SEPTIMUS

De methodo historica in theologia'

Ab aliquibus annis, præsertim tempore perturbationis modernistic®, inter catholicos orta est quæstio de methodo theologiæ historicæ vel simpliciter de methodo historica. Itaque ultimo adhuc de re ista determinabimus, quantum ad usum methodi historicæ in theologia attinet.

I. Doctrina catholica. — In luramento contra errores modernistarum quatuor principia catholica proponuntur.

1. *Fides non potest historiæ repugnare :* « Reprobo errorem affirmantium, propositam ab Ecclesia fidem posse historiæ repugnare, et catholica dogmata quo sensu nunc intelliguntur, cum verioribus christianæ religionis originibus componi non posse. » Cf. prop. 3 et 23 Decreti *Lamentabili.*

'2. *Historico non licet, retinere doctrinam vel praemissa fidei directe vel indirecte opposita :* « dammo quoque et reicio eorum sententiam qui dicunt christianum hominem eruditiorem induere personam duplicem, aliam credentis, aliam historici, quasi liceret historico ea retinere quæ credentis fidei contradicant, aut praemissas adstruere, ex quibus consequatur, dogmata esse aut falsa aut dubia, modo hæc directo non denegentur » (cf, prop. 24 Decr. *Lamentabili).*

3. *Normæ calholicæ in theologia historica non sunt seponenda vel excludenda.* Id præsertim hac propositione inculcatur : « Sententiam præterea illorum reicio qui tenent, doctori disciplinæ historicæ theologiæ tradendæ aut iis de rebus scribenti seponendam prius esse opinionem ante conceptam sive de supernatural! origine catholicæ traditionis sive de promissa divinitus ope ad perennem conservationem uniuscuiusque veri revelati; deinde scripta Pa-

1. R. Schultes, *Introductio in historiam doi/malum,* p. 309-33? ; ibi simul alii fontes indicantur.

Irum singulorum interpretanda solis scientiæ principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eaque indicii libertate qua profana quævis monumenta solent investigari. » Particulariter hæc regula ad exegesim applicatur, his quidem verbis : « Reprobo eam Scripturæ Sanctæ diiudicandæ atque interpretandi rationem quæ, Ecclesiæ traditione, analogia fidei et Apostolicæ Sedis normis posthabitis, rationalistarum commentis inhæret et criticen textus velut unicam supremamque regulam haud minus licenter quam temere amplectitur ». (Cf. Decr. *Lamentabili,* prop. 1-4 et 12.)

4. *Conceptus modernisticus de origine et evolutione doctrinae et vitae ecclesiasticae maxime cavendus est* : « In universum denique me alienissimum ab errore profiteor quo modernistæ tenent, in sacra traditione nihil inesse divini ; aut quod longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt, ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiæ factis æquandum, hominum nempe sua industria, solertia, ingenio scholam a Christo eiusque Apostolis inchoatam per subséquentes ætates continuantium. »

Tota hæc doctrina tantummodo doctrinam Concilii Vaticani applicat quæ generaliter enuntiat : « Nec sane Ecclesia vetat, ne huiusmodi *disciplinae in suo quæque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo,* sed iustam hanc libertatem agnoscens id sedulo cavet, ne divinæ doctrinæ repugnando errores in se suscipiant aut fines proprios transgressæ ea quæ sunt fidei, occupent et perturbent[1]. » Itaque nihil obstat quin theologia historica intra limites suos methodo historica utatur.

II. De methodo historica. — Methodus generaliter rationem vel ordinem in scientia acquirenda et in investigatione scientifica importat. Methodus igitur cuiusque scientiæ ex natura scientiæ ipsius determinanda est.

Scientia autem historica definitur : scientia quæ *facta evolutionis societatis humanae eorumque causas investigat atque exponit*[2]. Duo igitur sunt officia principalia historiæ :

1. Sess. III, c. iv ; Denz., 1799.
2. Bernheim, *Lehrbuch der historischen Methode,* p. 5.

primo investigatio factorum, secundo investigatio causarum evolutionis. Simul historiæ est, ut facta præterita ex testimoniis vel documentis historicis eruat, eorum causas proprias et immediatas consideret, ut proprie evolutionem factorum sive ipsum fieri rerum investiget et determinet.

Methodus igitur historica essentialiter est positiva atque a posteriori procedit, fieri rerum considerat, conclusiones non ex principiis generalibus sed ex factis ipsis deducit, rem denique totam in lumine factorum et rationis naturalis considerat.

Itaque theologia historica secundum methodum historicam primo ex documentis historicis facta historiæ Ecclesiæ et præcipue doctrinam veterum determinat atque exponit, secundo evolutionem vel fieri vitæ et doctrinæ Ecclesiæ considerat, tertio connexum causalem huius evolutionis investigatl.

111. De distinctione inter methodum dogmaticam et historicam. — Methodus historica a methodo dogmatica differt tum ex parte obiecti proprii tum quantum ad modum procedendi.

a) Quoad *obiectum* proprium differentiæ sunt sequentes :

1. Theologus dogmaticus *veritatem* alicuius *doctrinae* considerat, historicus investigat quomodo doctrina illa cognita, explicata, proposita fuerit, vel breviter dicendo, genesim doctrinæ et vitæ ecclesiasticæ considerat : *quomodo res antea se habuerit.*

2. Theologus dogmaticus *[idem præsentis* Ecclesiæ proponit, atque fidem temporis præteriti in testimonium fidei præsentis adducit ; historicus statum fidei in *tempore praeterito* determinat atque profectum in fidem præsentem exponit.

3. Theologus dogmaticus, cum fidem temporis præteriti considerat, convenientiam fidei antiquæ cum doctrina S. Scripturæ et cum dogmatibus postmodum definitis

1. De regulis particularibus methodi historic» vide libros speciales, ut e. g. Bernheim, *Lehrbuch der liistorischen Methode* (vel eius abbreviationem : *Einletlung in die Geschichtswissenschafl).* Mandonnet, O. P., A. Feder, *Lehrbuch der hist. Methodilc,* 19212.

ostendere intendit ; historicus causas inquirit quibus ad posteriorem statum explicationis et definitionis perventum sit.

4. Multæ proinde sunt qæstiones historicæ quæ theologum dogmaticum vix movent, historicum vero quam maxime agitant.

b) Quoad modum considerandi, differentia principalis inter theologiam dogmaticam et historicam hæc est. quod theologus dogmaticus doctrinam sub lumine fidei, et quidem sub lumine *fidei Ecclesiæ temporis præsentis considerat, illam sub lumine definitionum ecclesiasticarum et aliorum locorum theologicorum explicat atque diiudicat, dum theologus historicus doctrinam in lumine factorum et documentorum considerat et investigat. Inde sequentes sunt differentiæ particulares :

1. Theologus dogmaticus doctrinam SS. Patrum immediate in lumine fidei præsentis Ecclesiæ explicat, dum historicus eam sub ratione status vel conditionis fidei temporis eoævi vel antecedentis considerat.

2. Secundum methodum dogmaticam sensus S. Scripturæ, doctrina SS. Patrum, auctoritas theologica alicuius Patris vel Doctoris, immediate secundum interpretationem, declarationem vel approbationem Ecclesiæ determinatur atque diiudicatur; secundum vero methodum historicam doctrina, auctoritas alicuius auctoris immediate in lumine factorum et documentorum examinatur et diiudicatur.

Certo non potest esse alia et alia doctrina secundum indicium Ecclesiæ et secundum testimonium fontium, tamen alia et alia est *via* ad illam doctrinam determinandam. Itaque theologus historicus alia via quam theologus dogmaticus procedit. Atque historicus præcipue *methodo comparativa* utitur, comparando sc. dicta singula sive S. Scripturæ sive Patrum sive theologorum non tantum cum contextu eiusdem auctoris vel etiam cum sententiis adversariorum, sed insuper cum doctrina temporis antecedentis et consequentis ; maxime theologus historicus doctrinam quandam cum doctrina .philosophorum et religionum aliarum comparat.

3. Theologus dogmaticus doctrinam SS. Patrum directe

tanquam testimonium traditionis dogmaticae adducit; historicus vero doctrinam alicuius Patris tanquam statum intermedium in evolutione doctrinæ considerat, adeoque tanquam effectum explicationis antecedentis et tanquam causam explicationis subsequentis.

4. Theologus dogmaticus, ut talis, totam vitam Ecclesiæ et omnem doctrinam SS. Patrum et theologorum primario tanquam effectum divinæ revelationis et magisterii ecclesiastici considerat; theologus autem historicus præcipue influxum laboris humani et conditionis temporis vel hominum in processu explicationis investigat : id quod intellectum vel sensum historicum appellat.

IV. Corollaria. — *Primo* manifesto apparet, non parvam existere differentiam inter methodum dogmaticam et historicam, vel etiam inter theologiam dogmaticam et historicam, *nullam* tamen esse *oppositionem* inter utramque. Similiter nullum latebit, considerationem historicam in Ecclesia nunquam defuisse totaliter[1].

Secundo : consideratio proprie et mere *historica,* licet evidenter sit legitima et utilis, tamen valde limitata est adeoque *imperfecta :* attingit enim doctrinam revelatam tantum sub ratione restrictissima. Inde theologia historica secundum methodum historicam optime quidem facta

1. Bernheim, *Lehrbuch der hislorischen Methode,* quidem audet dicere, medium aevum vel saltem scholasticos incapaces fuisse ut conditiones aliorum temporum intelligerent. At S. Thomas e. *g.* observationibus historicis vel abundat. In quæstione e. g. de Trinitate sequentia observat. In I, q. xxvn, a. i. observat quod haeretici antiqui ut Arius el Monarchiani vel Sabelliani, processionem divinam, de qua S. Scriptura loquitur, tanquam processionem ad extra, sc. ut effectus a causa sua, intellexerint. In q. xxix, a. 3 ad 1, et 2 rationem historicam pro novis terminis theologicis proponendis et introducendis assignat : « ad inveniendum nova nomina antiquam fidem de Deo significantia coegit necessitas disputandi cum haereticis » (l. c., ad. 1). In q. xxrx, a. 4 observat idem Angelicus Doctor : « Dici potest quod hæc significatio huius nominis personae (sc. quod ex vi significationis relationem significet) non erat percepta ante haereticorum calumniam ». In q. x.x.xm, a. l Angelicus praeceptor notat influxum terminologies diversa* ; idem, q. xxxv, a. 2. Denique u. xxxvi, a. 2 ad 1. 2, optime rationes historicas progressus dogmatici assignat.

historica determinare valet, tamen vitam Ecclesiæ eiusque naturam tantum ex parte attingit.

Quo sensu etiam effatum quorundam historicorum intelligendum est, quod sc. dicit : nullam veritatem absolutam per historiam probari posse[1]. Id enim verum est quodsi facta historica mere historice considerantur ; sub alia tamen consideratione facta historica optime ad cognitionem veritatum universalium et necessariarum manuducere possunt, ut in theologia apologetica manifeste apparet, sc. mediante aliquo principio universali et indirecto. Denique de facto quasi omnes historici ex historia conclusiones philosophicas et theologicas deducunt, licet in hoc communiter limites methodi historicæ excedapt.

Tertio ex dictis sequitur, in theologia historica regulas vel normas practicas et technicas *communes* inquisitionis historicæ servandas esse, licet cum accomodatione quadam ad materiam propriam.

Quarto : immerito quidam historici assignant theologiæ historicæ officium investigandi et *probandi veritatem* Ecclesiæ eiusque doctrinæ. Dicunt quidem : sicut theologia apologetica veritatem Ecclesiæ suo modo probat, ita theologia historica modo historico. At theologia historica valet quidem refutare argumenta historica contra veritatem fidei, valet quidem probare fundamenta historica fidei, valet ostendere, dogmata semper in praxi et in doctrina Ecclesiæ fuisse, valet exponere processum evolutionis alicuius doctrinæ in Ecclesia ; tamen, saltem secundum methodum historicam, *de veritate obiectiva* Ecclesiæ et doctrinæ ecclesiasticæ indicare nec valet nec debet. Nihil tamen obstat quin historicus, non quidem ut historicus, sed ut theologus, et secundum aliam methodum, etiam de veritate alicuius doctrinæ indicet.

Quinto : licet methodus historica per se non sit apologetica, nihil tamen obstat, neque ex parte historiæ neque ex parte methodi, quin historicus, sua methodo utendo, fidei doctrinam contra commenta historica adversariorum defendat ; immo certis sub conditionibus et servata mensura ad illud teneri videtur.

1. Cf. e. g. Harnack, Il'esen *des Chrislentums,* p. 11.

Et quidam historicus catholicus *indirecte* saltem apologeta Ecclesiæ erit, velit, nolit. Investigando enim et exponendo facta historica secundum rerum veritatem necessario errores adversariorum Ecclesiæ refutabit. Quomodo e. g. historicus historiam Ecclesiæ duorum priorum sæculorum exponere poterit quin, saltem vi sententiæ et argumentorum, commenta historica modernistarum et protestanticorum refutet ? Ulterius historicus, quo magis argumenta adversariorum refutaverit, eo magis suas quoque conclusiones confirmabit. Neque quidpiam obstat quin historicus *ex intentione* commenta erronea redarguat, dummodo nil tanquam probatum defendat quin illud adamussim et per argumenta proprie historica probaverit et disputatio secundum exigentiam methodi historicæ procedat. Qua in re valet dictum *Leonis XIII* : « primam esse historiæ legem ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat[1]. »

Sexto : Immerito quidam historici postulant quod theologia *exclusive methodo historica* utatur ac quasi in theologiam historicam transeat. Methodus enim historica optime quidem in theologia applicari potest, attamen est methodus tantum subsidiaria et proprie methodus loci theologici qui argumentatur ex historia. Iamvero manifestum est, alios locos theologicos esse principaliores et magis necessarios. Ita similiter methodus dogmatica in theologia est primaria, propria et fundamentalis. Itaque magnum quidem meritum habent illi qui totam materiam dogmaticam historice investigant, qui historiæ locum debitum in theologia vindicant, at memores semper maneant oportet quod historia ultimum locum in theologia dogmatica teneat, sc. ut subministrans argumenta pro argumentatione sive apologetica sive dogmatica.

V. De normis catholicis in theologia historica servandis. — Iuramentum contra errores modernistarum inter alia normas catholicas servandas præcipue inculcat : id quod non paucis petra scandali et lapis offensionis fuit. Dicuntur autem normæ catholicæ tum veritates revelatæ tum dog-

1. *Acta S. Sedis.,* XVI, p. 14.

mata Ecclesiæ tum decreta Romanorum Pontificum ; huiusmodi normæ etiam « criteria theologica » vocantur, sc. « normæ omnes de ipsa revelatione descendentes specialesque regulæ quas revelatio vel natura sua infert vel de facto assignavitl. » Multis historicis videtur, huiusmodi regulas in historia investiganda, saltem secundum methodum historicam, observandas non esse. Quam ad rem sint sequentes conclusiones.

Conclusio I. Scientia historica vel methodus historica neque negationem fidei neque suspensionem assensus fidei vel non considerationem normarum catholicarum exigit.

Ratio patet. Nulla enim adest oppositio inter fidem et historiam vel methodum historicam. Nam neque habetur duplex veritas, una dogmatica et aiia historica (quæ sc. sibi opponerentur) ; neque fides revelata veritati factorum contraria esse potest neque consideratio factorum in lumine factorum considerationem factorum in lumine fidei excludit, sicut nec viceversa consideratio in lumine fidei considerationem in lumine factorum excludit. Sententia opposita falso supponit : aut quod habeatur duplex veritas aut quod doctrina fidei possit esse falsa : id quod certe in doctrina fidei divinitus revelata et infallibiliter ab Ecclesia proposita locum habere non potest. Quodsi Protestantes doctrinas sectarum suarum tanquam fallibiles vel falsas supponunt, vel si modernistæ omnem veritatem proprie dictum denegant, id nos non tangit.

Conclusio IL Normæ catholicæ vel criteria theologica in theologia historica positiva tenenda atque in praxim ducenda sunt.

Probatur triplici argumento.

1. Auctoritas revelationis divinæ, quæ est auctoritas Dei revelantis, exigit ut doctrinæ revelatæ a fidelibus non solum non negentur vel non negligantur, sed e contra positive teneantur ac in praxim deducantur. Itaque historico non licet, in investiganda et diiudicanda doctrina et

1. Card. Billot, *De immutabilitate traditionis,* p. 82.

vita veterum négligera vel non considerare doctrinam fidei et indicia vel præcepta Ecclesiæ.

2. Omnis error circa fidem non tantum in theologia dogmatica sed similiter etiam in theologia historica quam maxime vitandus est : salus enim hominum non tantum per errores dogmaticos sed similiter per errores historicos periclitatur. lamvero, ut facta testantur, in theologia historica quam facillime errores magni momenti et periculosissimi intervenire possunt. Historicus igitur normas catholicas positive tenere et sequi debet, ne, in errores incidat.

, 3. Historicus de multis rebus indicat, de quibus secundum lumen historicum iudicium definitivum et perfectum fieri nequit, et de quibus iudicium altius, certius et perfectius secundum lumen fidei habetur, ut de sensu dictorum SS. Patrum et maxime Sacra; Scripturæ, ile vita et ratione Ecclesiæ, de progressu dogmatico. Absonum igitur est, négligera vel non considerare iudicium quod secundum fidem habetur.

Conclusio III. Doctrina fidei cum suis consequentiis pro historico ut tali et quatenus secundum methodum historicam procedit, non tenet locum principiorum vel fontium ex quibus suas conclusiones historicas deducit vel cognitionem factorum hauriat sed se habet ut norma vel regula superior vel proprie ut critérium theologicum.

Prima pars propositionis manifeste ex iis quæ de methodo historica diximus, sequitur : nam historicus ut talis (et secundum methodum historicam) cognitionem factorum ex fontibus historicis haurire atque de factis secundum lumen naturale indicare debet. Itaque historicus nullam affirmationem ut historice probatam admittit, accipit atque proponit quatenus ex solis fidei principiis deducitur vel a sola auctoritate ecclesiastica proponitur. Nam neque fidei vel Ecclesiæ auctoritas argumenta historica supplere potest neque argumenta historica ex approbatione Pccle, siæ vim probativam accipiunt neque consequentia logica factorum propter respectum ad fidem deneganda rsl neque facta vel argumenta in favorem Ecclesia· suàl

mutanda vel potius corrumpenda, ut quidein adversarii calumniantur.

Altera pars propositionis ex dictis patet. Cum enim normæ catholicæ argumenta historica supplere non possint, sequitur, illas esse criteria ordinis superioris et extrinseca. Non pauci inde huiusmodi normas negativas dicunt, eo sc. sensu quod contra illas agere non liceat[1].

1. *Obiecliones* quorundam historicorum videsis in *Introductio in h. d.,* p. 325-327.

CAPUT X

De relatione Ecclesiæ ad extra

Tractantes de Ecclesia, ultimo relationem et habitudinem Ecclesiæ ac extra considerabimus. Et quidem tractabimus :

1° De habitudine Ecclesiæ ad societatem civilem (art. 78) ;

2° De habitudine Ecclesiæ ad Ecclesiam cœlestem (a. 79).

ARTICULUS SEPTUAGESIMUS OCTAVUS

De habitudine Ecclesiæ ad societatem civilem[1]

1. Doctrina Ecclesiæ. — 1. *Tum Ecclesia lum societas civilis sunt societates in suo genere perfectæ atque indépendantes.* Quoad Ecclesiam iam supra, art. 29 vidimus ; quoad statum patet ex doctrina Leonis XIII in Encycl. *Immortale Dei* (1 Nov. 1885), ubi dicitur : « Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, sc. ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus præpositam. *Utraque est insuo genere maxima :* habet utraque certos quibus contineatur terminos eosque sua cuiusque natura causaque proxima definitos ; unde aliquis velut orbis circumscribitur in quo sua cuiusque actio *iure proprio* versetur?. »

2. *Ecclesia non est a statu separanda sed e contra mutua concordia et cooperatio inter potestatem ecclesiasticam et*[2]

1. Moulart Ferd., *L'Eglise et l'Etat;* Bxeckenhoîî Koniguh, *Katholische Kirche und moderner Staal* ; J. IIehgenuiViiiin, *K<dh. Kirche und christh. Slaat.*

2. Cf. doctrinam oppositam in propo. I'.· Syll. Pii IX (Hinz., 1719).

civilem expetenda. In Syllabo Pii IX damnatur propositio : « Ecclesia a statu statusque ab Ecclesia seiungendus est » (prop. 55, Denz., 1755). Leo XIII in Encycl. supra dicta adducit verba Gregorii XVI quibus dixerat : « Neque lætiora cl religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis qui Ecclesiam a regno separari mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, pertimesci ab impudentissimæ libertatis amatoribus concordiam illam quæ semper rei et sacræ et civili fausta extitit et salutaris » (Denz., 1867)1.

3. *Triplex gemis rerum vel negotiorum distinguendum est,* sc. sacrum, civile et mixtum. De qua re *Leo XIII,* l. c. sequentia habet.

a) « Quidquid est in rebus humanis quoque modo *sacrum-,* quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natu a sua sive rursus tale intelligatur propter causam ad quod refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiæ » (Denz., 1866, cf. n. 1869).

b) « Cætera vero quæ *civile* vel politicum genus complectitur, rectum est civili potestati esse subiecta, cum Christus Iesus iusserit, quæ Cæsaris sint, reddi Cæsari, quæ Dei, Deo » (Denz., 1866, cf. Mt., XXII, 21).

c) « *In negotiis mixti iuris,* maxime esse secundum naturam itemque secundum Dei consilia non secessionem alterius potestatis ab altera, multoque minus contentionem, sed plane concordiam eamque cum causis proximis congruentem : quæ causæ utramque societatem genuerunt» (Denz., 1870).

II. Sententiae contrariae. — Huiusmodi sufficienter ex dictis patent.

1. Quidam enim prætendunt, Ecclesiam esse partem status eique subiectam : (cf. Denz., 1719, 1739, 1867, 1869, cf. supra art. 29).

2. Alii separationem mutuam Ecclesiæ et status tanquam necessariam vel legitimam edocent (cf. Denz., 1755).

1. In *schemate Cone. Vatie,* parabatur definitio : « Utriusque civitatis coniunctio, ex qua in ipsam civilem societatem tanta bona promanant, non liberæ hominum optioni permissa, sed Dei lege praecepta est. »

3. Alii ingerentiam status in sacra tanquam necessariam vel legitimam proponunt (cf. Syll. Pii IX, prop. 19, 41, 42, 44)1.

4. Alii denique praetendunt, Ecclesiam nullam habere potestatem temporalem directam vel indirectam (Syll. Pii IX, prop. 24).

Generaliter loquendo, nostris temporibus præsertim systema quod nomine *liberalismi* insignitur, relationem mutuam inter Ecclesiam et statum corrupit, colendo una ex parte statolatriam, altera ex parte denegando Ecclesiæ vel iura naturalia2.

III. Theses. — Præsupponimus duplicem propositionem, primam quod Ecclesia sit societas perfecta atque independens et quod per consequens potestati civili nullo modo competat, .se immiscere rebus quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent ; similiter secundam quod societas civilis in suo ordine sit societas perfecta atque independens : prima enim propositio iam supra art. 29 probata est, secunda vero a nomine negatur. Duas tamen alias propositiones examinabimus.

Propositio I. Neque status ab Ecclesia neque Ecclesia a statu seiungenda, sed mutua cooperatio in concordia expetenda est.

Prob. 1. *Ex parte Dei.* Duæ societates quæ ambæ sunt a Deo ut auctore, quæ ad bonum eorundem hominum a Deo ordinantur et quæ a Deo media quædam communia ad finem proprium consequendum acceperunt, non sunt adin-

1. *Gallicanismus, Jansenismus, Febronianismus ei Josephinismus* principium *potestatis indirectes negatives in sacra* statuerant vel principium iuris maiestatici circa sacra. Inde deducebatur *ius advocatiee* quo status in ministris rJigionis instituendis, in educandis aluminis sacerdotii, in ordinibus religiosis promovendis imeproprio disponit, *ius supremi dominii* in bona ecclesiastica, *ius n· formandi* abusos, *ius supremee inspectionis* super vitam el uclivilatem Ecclesiæ, *ius cavendi* ne Ecclesia statui noceat, *ius placeli rt exequatur, ius appellandi* tanquam ab abusu, etc. Cf. l»l Ciioor, *De Ecclesia,* p. 416 ss.

2. Cf. de hac re : Card. Billot, *De Ecclesia.* Tom. Il /te *habi liidine Ecclesiæ ad civilem societatem ;* Scuaezi.eh, *l.iberalismus.*

vicem separandæ sed ex ipsa Dei institutione et voluntate in concordia mutuo cooperari debent.

Atqui Ecclesia et status sunt duæ societates quæ ambæ Deum habent auctorem, ad bonum eorundem hominum ordinantur et ex parte media communia ad fmem proprium consequendum a Deo obtinuerunt. Ergo.

Maior patet. Etenim duæ societates quæ ab eodem auctotore sunt institutæ, ab ipso ad finem communem sunt ordinatæ et ad hunc fmem consequendum media communia obtinuerunt, ex voluntate auctoris ad invicem ordinantur. Unde huiusmodi principium ab iis solis negatur quæ vel Deum, non agnoscunt vel saltem institutionem divinam Ecclesiæ negant.

Minor ex iam dictis patet. Nam status saltem mediate est a Deo institutus, sc. tanquam ab auctore natural humanae, Ecclesia vero immediate a Deo instituta est ; similiter utraque societas ad bonum eorundem hominum ordinatur ac denique plura media habent communia, sc. omnia bona naturalia quæ Deus hominibus contulit et quibus Ecclesia similiter ac status ad finem proprium consequendum utuntur, ut sunt homines cum omnibus suis facultatibus sive spiritualibus sive materialibus, tum denique bona cuncta materialia quæ hominibus ad fmem naturalem vel supernaturalem consequendum necessaria vel utilia sunt.

Prob. 2. *Ex natura Ecclesiæ et societatis civilis.* Duæ societates quæ eosdem homines tanquam membra, principes et cives habent, quæ (saltem ex parte) eisdem mediis utuntur, quæ ad bonum utriusque societatis ad invicem ordinantur, non sunt separandæ, sed ad mutuam cooperationem coniungendæ.

Atqui huiusmodi sunt Ecclesia et societas civilis. Ergo.

Argumentum patet : nam huiusmodi societates ex natura rei, vel ut Leo XIII dicit, ex proximis causis quæ illas genuerunt, ad invicem ordinantur, ut sc. mutua cooperatione ad invicem se adiuvent.

Prob. 3. Illa separatio est vitanda quæ utrique parti damnum infert, saltem quantum est per se. Atqui separatio Ecclesiæ et status utrique damnum infert, saltem quantum est per se. Ergo.

Minor prob.

) *Ex parte Ecclesiæ.* Licet Ecclesia per se et principaliter inediis propriis iisque supernaturalibus utatur, tamen med'a naturaba neque sunt mutilia neque superflua, immo saltem quantum ad homines magnæ utilitatis et efficaciae. Atque de facto concordia et mutua cooperatio potestatis ecclesiastic® et civilis augent auctoritatem Ecclesiae, saltem quantum ad homines, plura ipsi auxilia ad homines in bono promovendos vel a malo arcendos praebet (auxilium brachii saecularis), atque generaliter efficit ut Ecclesia actionem suam latius et efficacius exercere possit.

E contra separatio a statu Ecclesiam huiusmodi auxilio privat.

Denique separatio, licet in abstracto considerata non importet inimicitiam, tamen in concreto vix vel nunquam absque inimicitia et pugna contra Ecclesiam fit : ex rerum enim adiunctis inter duas societates tam intime coniunctas, sicut sunt Ecclesia et societas civilis, aut erit concordia et mutua cooperatio aut inimicitia et bellum. Atque de facto fautores separationis quasi omnes sunt Ecclesiæ inimici et separationem ex odio Ecclesiæ intendunt.

) Similiter *societas civilis* ex separatione ab Ecclesia damnum patitur. Ex concordia enim cum Ecclesia auctoritas civilis augetur, bonum civile per auxilia spiritualia et supernaturalia Ecclesiæ promovetur, ac generaliter actio ipsius status multipliciter adiuvatur. Nec praetereundum est quod Ecclesia statui amico communiter privilegia latissima concedit, ut patet ex concordatis.

E contra separatio status ab Ecclesia auctoritatem status quodammodo minuit, saltem quoad catholicos, atque statum multis auxiliis iisque maxime efficacibus privat. Denique patet, nullam benedictionem divinam specialem illi statui concedi qui Ecclesiam respuit, sive ex despectu sive ex inimicitia : id quod per facta superabundanter comprobatur.

Diximus tamen in argumento quod separatio damnum inferat, *saltem per se loquendo.* Nam per accidens et quandoque separatio ad tempus permitti potest, eo e. g. in casu cum propter rerum conditionem maiora mala | imcan-

lui· vel bona vix sint expectanda. Tamen Ecclesia communiter etiam difficillimis sub conditionibus unionem iam mitam non infrangit, nisi forte ad tempus, memor sc. voluntatis divinæ et verbi divini (quod hic optime applicari poterit) : « Quod Deus coniungit, homo non separet » (Mc, x, 9).

Propositio II. Societas civilis multiplici ratione Ecclesiæ quodammodo subordinatur[1].

1. *Ecclesia esi societas altior el dignior quam societas: civilis :* id quod sufficienter manifestum est ex fine Ecclesiæ qui est supremus et dignissimus, ex institutione immediata Ecclesiæ per Christum, ex mediis supernaturalibus quibus Ecclesia est instructa, tum denique ex superioritate Ecclesiæ super statum quantum ad durationem existentiæ, numerum membrorum et extensionem latissimam. Ubi nunc est imperium romanum tum antiquitatis tum medii ;evi, ubi sunt dynastiæ europææ quæ Ecclesiæ voluntatem suam imponere conatæ sunt ! Ex ista maiore dignitate et. maiestate manifeste quædam subordinatio status per respectum ad Ecclesiam sequitur, licet indirecta, qua sc. independent!a status in genere suo nec minuitur nec tangitur.

2. *Potestas civilis tum ex natura rei tum ex voluntate· positiva divina aliquo modo ad Ecclesiam ordinatur :* et quidem tum negative tum positive : *negative* quidem inquantum societas civilis lege Dei naturali et supernatural! tenetur abstinere ab omnibus illis quibus sanctificatio et salus hominum impediretur, et per consequens abstinere ab omnibus iis quibus actio Ecclesiæ circa sanctificationem et salutem hominum procurandam impediretur ; *positive*- vero quatenus societas civilis ex lege Dei positiva obligatur ut Ecclesiæ se coniungat atque ipsam in opere sanctificationis hominum adiuvet[2].

3. *Ecclesia habet potestatem indirectam in fideles caiho-*

1. Expositionem iuridicam ; cf. e. g. Cappello, *Instil, iuris. pubi, eccl.,* vol. I, c. m.

2. A. Straub, *De. Ecclesia,* n. 1090.

licos etiam circa res temporales et politicas, maxime circa res mixlas, ut supra art. 40 exposuimus[1].

4. *Super infideles non baptizatos Ecclesia quidem nullam habet potestatem vel iurisdictionem proprie dictam :* nulla enim est potestas proprie dicta nisi in subditos ; subditus autem Ecclesiæ homo fit per baptismum[2]. Unde Ecclesia super principes vel cives infideles non baptizatos nullam potestatem proprie dictam habet. Immo ex praxi iam sæculari Ecclesia auctoritatem suam vel potestatem etiam in illos hæreticos saltem non exercet vel non vindicat qui extra Ecclesiam sunt nati vel baptizati, ut præsertim in protestantes.

Indirecte tamen Ecclesiæ potestas etiam infideles et hæreticos separatos tangit, sc. inquantum Ecclesia, cum necessitas id postulat, se suosque iure et potestate divina defendit contra damna ab infidelibus et hæreticis vel illata vel imminentia. Qua ratione Ecclesia legitime ius proprium urget contra voluntatem societatis inimicæ ; Ecclesia proprios fideles ad quædam obligat quibus etiam infideles vel hæretici tanguntur, ut e. g. statuenda impedimenta matrimonii sive dirimentia sive impedientia, ut in impedimento disparitatis cultus, et mixtæ religionis, vel ordinando quædam fidelibus etiam circa res materiales et politicas quibus indirecte etiam acatholici tanguntur, ut circa associationes operariorum, circa sqlarium iustum etc. Denique Ecclesia auctoritate divina quantum ad fideles quasdam leges irritat, utpote contrarias legi divinæ, ac ita indirecte etiam infideles tangit[3].

1. De potestate Ecclesiæ in principes sæculares : videsis Cappello, *Instil. iuris publici eccl.,* l. III, c. xxxin, app. II.

2. Quo sensu. S. *Thomas* in quaestione, utrum Ecclesia communicationem cum infidelibus in rebus civilibus prohibere possit, docet : « Primo modo (sc. inpœnam) non interdicit Ecclesiæ fidelibus communionem infidelium qui nullo modo fidem Christianam receperunt, sc. paganorum vel iudæorum : *quia non habet de eis indicare spirituali iudicio,* sed temporali, in casu cum inter Christianos commorantes aliquam culpam committunt et per fideles lemporalil· r puniuntur·» (II, II, q. x, a. 9).

3. Ad rem iterum S. *Thomas,* II, II, q. x, a. 8, in quirslmin·. utrum infideles compellendi sint ad fidem, docet : « Infidelium qui

5, *Nullum detrimentum potestas civilis ex dicla subordinations ad Ecclesiam capit, a)* Dignitas maior Ecclesiæ naturam, perfectionem et independentiam societatis civilis in suo ordine nec mutat nec tollit nec minuit : unde status manet societas vere et proprie perfecta, licet Ecclesia sit societas altior et perfectior.

b) Similiter quod status aliquo modo ad Ecclesiam ordinatur, minime ipsum diminuit, sed e contra ipsum perficit : unumquodque ex eo perficitur quod superiori coniungitur.

c) Similiter nec potestas Ecclesiæ indirecta in temporalia qua *fidelibus* etiam circa res temporales et politicas iubere potest ac debet, auctoritatem potestatis civilis lædit vel minuit. Nam Ecclesia potestatem supremam civilem agnoscit, ac tantum *usum* huius potestatis sub ratione superiori dirigit et ex potestate superiori.

d) Neque denique infideles vel etiam hæretici causam quærelæ contra Ecclesiam habent, licet indirecte per eius regimen tangantur, cum Ecclesia potestatem super illos sibi non vindicet ac nonnisi ius proprium defendat, mediis quidem licitis et sibi iure divino competentibus. Quodsi -denique quædam difficultates inde consequantur, id defectui infidelitatis adscribendum est ac communiter culpæ manifesto infidelium, qui sc. Ecclesiam iniuria afficiunt.

De reliquo facta ostendunt, per Ecclesiam iura status minime minui vel lædi sed sancte servari, dum e contra potestas civilis per sæcula Ecclesiæ iura invadere conata est.

IV. De diversis systematibus theologorum catholicorum.

σ') Merito derelictum est systema *potestatis directæ* Ecclesiæ in statum quod adscribitur *Augustino Triumpho (De potestate ecclesiastica)* et *Nicolao de Tudeschis,* vel Panormitano *(Comment, in Decret.,* l. II).

dam sunt qui nunquam susceperunt fidem, sicut Gentiles et Iudaei : et tales nullo modo sunt ad fidem compellendi... : sunt tamen *compellendi a fidelibus,* si adsit facultas, *ut fidem non impediant* vel blasphemiis vel malis persuasionibus vel etiam apertis persecutionibus ; et propter hoc fideles Christi frequenter contra infideles bellum movent ; non quidem ut eos ad credendum cogant... sed propter hoc, ut eos compellant, ne fidem Christi impediant. »

b) Doctrina altera Ecclesiæ tantum *potestatem direçlivam* attribuit, sc. potestatem docendi, consulendi, etc, Huiusmodi doctrina verum tenet, attribuendo Ecclesiæ potestatem docendi fideles cum auctoritate, tamen deficit in hoc quod potestatem saltem indirectam Ecclesiæ circa res materiales quoad fideles non considerat.

c) Tertia denique doctrina *potestatem indirectam* Eccleclesiæ supra statum edocet : verum tenet inquantum Ecclesiæ quantum *ad fideles* potestatem indirectam etiam quoad res materiales vindicat ; immerito tamen huiusmodi potestas tanquam potestas indirecta *supra statum* vocari videtur. De reliquo cf. art. 40.

V. De doctrina veterum scholasticorum. — Quoad doctores veteres, maxime scholasticos, *duo principaliter notanda* sunt, a) Scholastici cum de potestate Ecclesiæ super principes loquuntur, regulariter principes catholicos considerant adeoque potestatem Ecclesiæ quantum ad fideles; *b)* scholastici non tantum potestatem quam Ecclesia iure divino habent, considerant, sed simul potestatem quam ex conditione politica medii ævi habuit, respiciunt.

b) Id quod præsertim *in doctrina S. Thomæ* interpretanda considerandum est. Ita e. g. in II, II, q. x, a. 10 S. Thomas docet quod Ecclesia merito et iure « nullo modo permittit quod infideles acquirant dominium super fideles vel qualitercumque reis præficiantur in aliquo officio »;. similiter tenet quod « potest iuste per sententiam vel ordinationem Ecclesiæ auctoritatem Dei habentis tale ius dominii vel prælationis (sc. iam existens) tolli ; quia infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles qui transferuntur in filios Dei »; ac inde S. Doctor diversas dispositiones circa ludæos tanquam iustas defendit, « quia, cum ipsi ludæi sint servi Ecclesiæ, (Ecclesia) potest disponere de rebus eorum. » His tamen et similibus locis Angelicus Doctor non tantum potestatem nativam Ecclesiæ sed simul iura considerat quæ Ecclesiæ ex conditione temporum competebant. Etenim Ecclesia illis temporibus iure publico et communi tanquam divinitus instituta agnita fuit ac recepta, ita ut potestate etiam temporali frueretur ad finem suum consequendum vel

defendendum. Unde « sicut principes sæculares multas leges ediderunt in favorem libertatis » (l. c.), ita Ecclesia — non quidem quasi alius status, sed ut « auctoritatem Dei habens » — leges edere potuit etiam circa res materiales, sive in tutelam fidei sive in favorem libertatis fidelium. Eadem ex ratione ludaei tanquam « servi Ecclesiæ » considerabantur. Unde doctrina S. Thomæ qua leges Ecclesiæ illius temporis tanquam iustas ac rationabiles ostendit, ad conditiones nostri temporis nonnisi cum debita restrictione applicari poterit : non enim principia fundamentalia exponit, sed quasdam dispositiones Ecclesiæ simul ex principiis fidei et ex conditionibus temporalibus légitimât.

Principium autem S. Thomas enuntiat cum docet : « In tantum sæcularis potestas est sub spirituali inquantum est ei a Deo supposita, sc. in his quæ ad salutem finimarum pertinent : et ideo in his magis est obædiendum potestati spirituali quam sæculari. In his autem quæ ad bonum civile pertinent, est magis obædiendum potestati sæculari quam spirituali, secundum illud Mt., xxii, 21 : Reddite quæ sunt Gæsaris, Cæsari[1]. »

1. *De regimine principium,* i, 14.

ARTICULUS SEPTUAGESIMUS NONUS

De relatione Ecclesiæ terrestris ad Ecclesiam coelestem

In complementum tractatus nostri breviter relationem Ecclesiæ terrestris ad Ecclesiam quæ est in cœlis considerabimus. Iamvero in cœlis distinguimus homines (et angelos) beatos, Christum Dominum et Deum trinum ipsum : inde triplex relatio Ecclesiæ militantis.

T. Relatio Ecclesiæ militantis ad Ecclesiam triumphantem. — Optime S. Augustinus, symbolum apostolicum explicando, scribit : « Rectus confessionis ordo poscebat ut Trinitati subiungeretur Ecclesia, tamquam habitatori domus sua et Deo templum suum et conditori civitas sua. Quæ *tota* hic accipienda est, non solum ex parte quae peregrinatur in terris..., verum etiam ex illa quæ in cœlis est semper... Hæc in sanctis angelis beata persistit et suæ parti peregrinanti sicut oportet opitulatur, quia utraque una erit consortio æternitatis et nunc una est in vinculo caritatis, quæ tota instituta est ad colendum Deum[1]. »

Itaque Ecclesia militans et triumphans sunt *duæ partes* distinctæ et diversæ *unius Ecclesiæ,* unius regni cœlorum, unius civitatis Dei. Inde multiplex inter utramque relatio intercedit.

a) Ecclesia militans at triumphans *ab eodem Deo* immediate sunt *conditæ.*

b) Utraque Ecclesia *ad eundem finem* ordinentur, sc. ad colendum Deum et ad fruendum Deo.

c) Utraque Ecclesia « *una est in vinculo caritatis* », *sc.* uniuntur in dilectione Dei et dilectione mutua.

d) Utraque Ecclesia *communicant inter se :* Ecclesia beatorum « suæ parti peregrinanti sicut oportet opitulatur », tum per intercessionem apud Deum, tum per auxi

1. *Enchirid.,* n. 56.

Hum (Angeli custodes), tum per ministerium, præsertim Angelorum, qui « sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis » *(Heb.,* i, 14) ; Ecclesia vero peregrinantium Ecclesiam beatorum veneratur atque invocat.

e) Ulterius Ecclesia militans ordinatur ad *reparandam ruinam* angelorum adeoque Ecclesiæ coelestis. « Hoc enim promissum est resurgentibus sanctis quod erunt æquales angelis Dei. Ita superna Hierusalem,, mater nostra, civitas Dei, nulla civium suorum numerositate fraudabitur aut uberiore etiam copia fortasse regnabit[1]. »

/) Quo sensu denique superna Hierusalem dicitur « mater nostra[2] » vel « Ecclesia primitivorum » *(Heb.* 12, 23), inquantum sc. Ecclesia militans numerum beatorum complet et auget[3][4]

II. Relatio Ecclesiæ militantis ad Christum[1]. — 1. *Christus caput Ecclesiae.* Christus ipse habitudinem suam ad Ecclesiam multiformiter expressit : ipse est *pastor* qui posuit animam suam pro ovibus suis (Ioa., 10, 2 ss.) ; Christus est *vitis* vera (Ioa. xv, 1) ; ipse est sponsus Ecclesiæ (Mc., ii, 19 s.) ; comparatur homini qui exiit *seminare* (Mt., xm, 3 ss.) ; Christus ipse profitetur se esse *Messiam* ac regem regni divinitus promissi (Lc., xxn, 29 ; Ioa., xviii, 36) ; denique Christus Ecclesiam simpliciter vocat suam : « super hanc petram ædificabo Ecclesiam *meam* ». Quæ cuncta complectens, Paulus Christum tamquam *caput Ecclesiæ* glorificat : « et ipsum (Deus) dedit caput supra omnem ecclesiam (τη εκκλησία), quæ est corpus ipsius et plenitudo eius » *(Eph.,* i, 22 s. ; cf. *Eph.,* v, 23 ; *Col.,* i, 18). Atque ista formula merito in Ecclesia invaluit : Christus est caput Ecclesiæ, cuius vicarius est Romanus Pontifex.

2. *Quomodo Christus sit caput Ecclesiæ.* Terminus « caput

1. S. Augultinus, *Enchir.,* n. 28.
2. S. Augustinus, l. c.
3. Eadem dicenda sunt, servata proportione, de habitudine Ecclesiæ militantis ad Ecclesiam purgantem.
4. M. Grabmann, *Die Lehre des hl. Thomas v. A. voη der Kirche ils Gotteswerk,* 1903, p. 194-294.

Ecclesiæ » manifeste est locutio metaphorica, cuius tamen significationem S. Thomas optime explicat[1]. »

« Sicut tota Ecclesia dicitur unum corpus mysticum per similitudinem ad naturale corpus hominis..., ita Christus dicitur caput Ecclesiæ secundum similitudinem humani capitis. In quo *tria* possumus considerare, sc. ordinem, perfectionem et virtutem[2]... »

Atque secundum ista tria Christus caput Ecclesiæ dicitur. « *Primo* enim... *gratia* eius *altior est el prior...,* quia omnes alii acceperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius... ; *secundo vero perfectionem* habet quantum ad plenitudinem omnium gratiarum... ; *tertio* virtutem habet *influendi* in oinhia membra Ecclesiæ...[3]. »

Maxime tamen Christus tertio modo caput Ecclesiæ dicitur, sc. « quod omnis operatio, omnis motus, omnis vis et efficacia et energia quam habent christiani homines, habent a Christo et per Christum[4] ».

3. *De influxu Christi in Ecclesiam.* Christus multipliciter in Ecclesiam influit :

a) Potestale regia Christus Ecclesiam ut societatem perfectam constituit eiusque ius divinum condidit atque rectores Ecclesiæ tanquam ministros suos potestate sacra instruit.

b) Passione sua Christus homines redemit atque iis gratiam meruit et salutem æternam.

c) Ut *instrumentum* Deo personaliter coniunctum, Christus gratiam hominibus largitur, sive mediantibus sacramentis sive extra sacramenta, et quidem per efficaciam quandam, sc. ut instrumentum causans gratiam[5] ; maxime in sacramento Eucharistiæ Christus copiam gratiæ largitur.

d) Ut *sacerdos* Christus sacrificium cruentum crucis modo incruento innovat eiusque vim hominibus applicat, per sacrificium missæ.

1. III d. 13 q. u, a. 1 ; *De Verit.,* q. xxix, a. 4 ; III, q. vm, a. J.
2. III, q. vm, a. 1.
3. L. c.
4. B. Medina, Comment, in III, q. xix, a. 4.
5. S. Thomas, III, q. xvviu, a. 6.

e) Denique Christus, sedens ad dexteram Patris, *interpellat* pro nobis *(Bom.,* vm, 34 ; *Heb.,* vu, 25).

4. *Unio inter Christum el Ecclesiam est intima,* ita ut ‹Ihristus et Ecclesia sit *una persona mystica.* Ita S. Thomas : ı Sicut naturale corpus est unum ex membrorum diversitate consistens, ita tota Ecclesia, quæ est mysticum corpus Christi, comparatur quasi una persona cum suo capite, quod est Christus[1]. »

Etenim « membrum et caput ad eandem personam pertinent ; unde cum Christus fuerit caput nostrum propter divinitatem et plenitudinem gratiæ in alios redundantem, nos autem simus membra eius, meritum suum non est extraneum a nobis, sed in nos redundat propter unitatem corporis mystici[2]. »

5. *Mediante Christo simul unio intima inter Ecclesiam et B. V. Mariam, Matrem Dei, intercedit.* — Et quidem multipliciter, a) B. Maria Virgo est *mater* Christi, *capitis Ecclesiæ,* adeoque simul mater Ecclesiæ atque membrorum Ecclesiæ. Inde S. Augustinus : « Ecclesia quoque et mater et virgo est... Maria corporaliter caput huius corporis (sc. Ecclesiæ) peperit : Ecclesia spiritualiter membra illius corporis parit...[3] »

b) Tanquam mater Christi, « beata Virgo Maria tantam gratiæ obtinuit plenitudinem ut esset propinquissima auctori gratiæ, ita ut eam... pariendo quodammodo *gratiam ad omnes derivaret**. »

c) B. Maria Virgo, sicut in vita sua mortali in unione cum Christo, filio suo, partem habuit in opere redemptionis generis humani, ita nunc in coelo tanquam mater et advocata pro Ecclesia *intercedit.*

d) Denique B. Maria Virgo est *symbolum ac typus unionis Ecclesiæ cum Christo,* maxime caritatis et dilectionis, nec non omnium virtutum quæ in Ecclesia ex virtute Christi promanant.

Merito igitur s. Bernardinus de Siena B. Mariam V. vocat « collum corporis mystici ».

1. III, q. XLix, a. 1.
2. In III d. 28, q. i, a. 6, sol. 1, ad. 2.
3. S. Augultinus, *De s. virgini!.,* c. n.
4. S. Thomas, III q. xxvii, a. 5, ad. 1.

III. Relatio Ecclesiæ ad Spiritum Sanctum. — 1. Iam audivimus S. Augustinum dicentem : « Rectus confes-
Isionis ordo poscebat ut trinitati sub iungeretur Ecclesia, tanquam habitatori *domus* sua et Deo *templum* suum et conditori *civitas* sua[1] » : id quod plane patet ex iis quæ
I de Ecclesia ut regno Dei vel cœlorum exposuimus (art.6).
t 2. Spiritus S. recte dicitur *anima Ecclesiæ.* Sicut enim animæ est corpus vivificare, ita Spiritus S. corpus Ecclesiæ spiritualiter ac supernaturaliter vivificat : « Hoc agit Spiritus S. in tota Ecclesia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis[2]. » Vivificat autem Spiritus S. Ecclesiam « ut inhabitans Ecclesiam et docens et sanctificans eam[3]. » Ita enim Christus promiscerat : « Et ego rogabo Patrem et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum »(Joa.,xiv, 16) ; «ille vos docebit omnia, quæcumque dixero vobis » (l. c., xiv, 26) : atque huiusmodi Paraclitus est Spiritus Sanctus (l. c.), Spiritus vivificans et sanctificans. Unde Spiritus S. *assistit* Ecclesiæ, illuminans eam ut veritatem revelatam sancte custodiat et infallibiliter exponat, simul tamen illuminans corda fidelium ut Dei aspirante et adiuvante gratia firma fide verbum Dei credant ; Spiritus Sanctus *sanclificat* Ecclesiam, diffundens gratiam sanctificantem et caritatem Dei in cordibus nostris ac copiosa auxilia gratiæ actualis largiens, maxime mediantibus sacramentis et ministris Ecclesiæ ; Spiritus S. *unii Ecclesiam*[4], uniendo sc. fideles tum inter se tum episcopis et Romano Pontifici, maxime vero Christo, Deo et homini : etenim « per Spiritum S. efficimur unum cum Christo[5] ».

3. Merito Spiritus S. vocatur : *cor Ecclesiæ* », ut S. Thomas exponit. » Caput habet manifestam eminentiam respectu coeterorum membrorum, sed cor habet quandam
R influentiam occultam ; et ideo cordi comparatur Spiritus S., qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit ; capiti

I

1. *Enchir.,* n. 56.
2. S. Augustinus, serin. 267, c. iv, n. 5.
3. S. Thomas, in I Cor., c. xn, leet. 2.
4. S. Thomas, III, q. vm, a. l, a<l. 3.
5. S. Thomas, *in Eph.,* c. i, leet. 5.

autem comparatur ipse Christus secundum visibilem naturam, secundum quod homo hominibus præfertur[1].

4. Denique *lex noua,* quæ est proprie lex Ecclesiæ, est *ipsa gratia Spiritus Sancti,* ut docet S. Thomas : «id quod est potissimum in lege Novi Testamenti et in quo tota virtus eius existit, est gratia Spiritus Sancti, quæ datur christifidelibus[2] », sc. per sacramenta quæ sunt Novæ Legis. Omnia autem alia quæ in lege nova continentur, ad gratiam Spiritus S. ordinantur. Id quod S. Doctor, l. c., ad 1, sic explicat : « In Scriptura Evangelii non continentur nisi ea quæ pertinent ad gratiam Spiritus S·, vel sicut dispositiva vel sicut ordinativa ad usum huius gratiæ[3]. »

Quam unionem intimam Ecclesiæ et Spiritus Sancti iam Irenaeus celebraverat, his verbis : « Ubi Ecclesia, ibi est Spiritus Dei : et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia[4]. » S. Augustinus vero exclamat : « *Credamus, fratres, quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum Sanctum* ».

Conclusio

Quibus verbis tractatum nostrum de Ecclesia catholica concludimus.

Deus vero omnipotens, Pater clementissimus, per lesum Christum, Filium suum, Ecclesiam suam sanctam catholi- • eam pacificare, custodire, adunare et regere dignetur toto orbe terrarum : una cum famulo suo Papa nostro Pio et omnibus orthodoxis atque catholicæ et apostolicæ fidei cultoribus.

1. III, q. vin, a. 1, ad. 3.
2. S. Thomas, I-II, q. evi, a. 1.
3. A. H. III, 24.
4. In Ioa., tract. 32, n. 8.

INDEX ALPHABETICUS RERUM ET NOMINUM NOTABILIUM

A

Atceplio rei (in inspiratione), 531.
Accumulatio mera textuum evitanda per considerationem historicam, 729.
Adam K. 797, 380.
Aerius, 337.
Affectus subieclivi in S. Scriptura, 548.
Alexander VIII, 353, 686.
Ambrosius, 264, 274, 396, 473, 508.
Americanismus, infallibiliter damnatus, 654.
« *Angelicum* », Collegium, A., 62.
Anglicani, 170, 193, 283, 362 ; ordinationes anglicanæ, 654.
Anima (et corpus) Ecclesiæ, 97.
Aphraates, 396.
Appellationes-ad Rom. Pont., 433 ; ad concilium, 492. 503.
Apocryphi (libri), 537.
Apologetæ antiqui, 18, medii ævi 19, post reformationem 19. Doctrina ap. veterum, de Ecclesia 76, de unitate Ecclesiæ, 174, de sanctilaté Ecclesiæ, 180.
Apologetica : definitio, 5, 14 ; nomina, 14 ; obiectum : institutio et'auctoritas divina Ecclesiæ, 1-5 (art. 1) ; methodus (art. 2) : rationalis, tamen sub directione positiva Ecclesiæ, 6-14, 21 (methodus historica in apol., 738).
Necessitas el utilitas, 15 ; historia et evolutio (a. 3), 18 ; auctores, 23.
Necessitas et utilitas, 15 ; historia et evolutio (a. 3), 18 ; auctores, 23.
Auctoris intentio, 17, et modus procedendi, 24.
Apostoli : potestas, 48, 49, 68, 11)4, 363 : vide : potestas Eccl. Doctrina Apostolorum ad unamquamque quasi quæstionem refertur.
Apostolicitas (nota). — Definitio notæ apostoiicitatis, 192 (sententiæ erroneæ, 193, distinctio inter ap. ut notam et ut proprietatem Ecclesiæ, 192).
Ecclesia vera Christi erit apostolica, 193 (art. 22), quæ nota

reperitur in Eccl. catholica, 234 (art. 26), déficit vero apud schismaticos, 248, et protestantes, 258.
Argumentatio : apologetica, 7-14 ; triplex via, 156, argumentatio ex notis 157 ; arg. dogmatica : ex S. Scriptura, 556, ex traditione 604, ex S. Patribus 677, ex auctoritate theologorum 690. ex ratione 706-714, ex historia 727-732.
Aristoteles : usus et auctoritas philosophiæ aristotelicæ in theologia, 716, 720; philosophia aristotelica minime fundamentum sed instrumentum in theologia S. Thomæ, 699, 716.
Arnold (Jans.), 372.
Articuli fundamentales. 170, 172, 292.
Assensus religiosus : notio, 615, obiectum 618, motiva 619, quid agendum in casu difficultatum scientificarum 620. — De assensu fidei, vide : fides.
Assistentia Spiritus S. in infallibilitate ,285. 461.
Asterius Amas., 395, 474.
Athanasius, 290, 508, 520, 541, 640, 667.
Athenagoras, de S. Scriptura, 519.
Augustinus — de nomine Ecclesiæ, 28, 1843; de membris Ecclesiæ, 93 ; de visibilitate, 150 ; de sanctitate, 181 ; de catholicitate, 189, 257 ; de apostolicitate, 196, 234, 235 ; de necessitate, 273 s. ; de indefectibilitate, 279; de infallibilitate, 290; de primatu, 399,430; de infallibilitate Rom. Pont., 473; de auctoritate Conciliorum, 509 ; de S. Scriptura, 520 ; de canone S. Scripturæ, 540; 'de interpretatione S. S., 557 ; de progressu dogmatico, 641 ; de auctoritate Patrum, 667, 671.
.De auctoritate theologica S. Augustini, 674.

B

Baco de I *'erulam,* 682.
Bainael, 23, 268.
Balmes, 256.
Bannez D., 268, 480, 702.
Baptismus, ut ingressus in Eccl., 90, 94, 95-97.
Barnabæ ep., 117; 519.
Bartmann, 38.
Basileense Cone., 442.
Basilius, de primatu, 394, 429, de traditione, 584.
Batiffol, 430.
Beatificatio, 323s.
Bellarminus, 143, 163, 191, 274.
Benedictus XIV, de beat, et canon., 322 ss., de revelat, privatis, 332.
Benedicius X I : de S. Scriptura, 548, 550.
Bernheim, 734, 735, 737.
Berthier J., 585, 696, 703.

Bianchi B., 478
Billot, Card., de criteriis theol., 740.
Blondel, 21.
Bonaventura, 501.
Bonfrère, J., 524.
Bonijalius VIII, 265, 353.
Bossuet, 352, 479, 482.
Bouix, 352.
Bullmann, .385.

C

Caietanus, 454, 480, 499, 504.
Çalvinus, 90, 164.
Camerlynck, 540.
Canon S. Scripturæ (art. 56): notio, 537 ; libri canonici, 514, 537 canon tridentinus vindicatur, 538-542.
Canon J. C. 1366 § 2, de doctrina S. Thomæ tenenda, 696, 722.
Canonizatio Sanctorum : notiones, 322 ; obiectum infallibilitatis, 323.
Canus M., 191, 268, de indefeclibilitate et infallibilitate Ecclesiæ 294, 2952, de canonizatione, 323, 325 ; 504 ; de traditione. 587, 592, 601-603 ; 604, 6631 ; de auctoritate Patrum, 672 ; de auctoritate theologorum, 687, 690, 691.
Capponi de Porretta, 782.
Capreolus, 631, 702.
Cardenas, 657.
Cathedra — definitio ex C., 458.
Catholicismus — essentia c., 352.
Catholicitas Ecclesiæ (nota). — Definitio, 183 (conceptus erronei,. 184 ; c. ut nota et ut proprietas, 183.
Nota catholicitatis Ecclesiæ Christi promissa, 185 (art. 21) ; iq Ecclesia Romana reperitur 228 (art. 25), deficit apud schismaticos, 247, et protestantes, 25?.
Causæ Ecclesiæ : cap. II, vide : institutio, finis, membra, constitutio Eccl.
Causa principalis et instrumentalis in inspiratione, 525-529.
Censuræ ecclesiastic® (a. 70) : notio, 648, divisio, 648, modus infligendi, 650, effeci us, 651.
Cercia R., 23.
Chapman, 424.
Charismata. Notiones, 125; requiruntur ad notam sanctitatis, 176, in Ecclesia catholica abundant, 220, deficiunt in Protestantismo, 254, apud photianos, 246; qua ratione possint esse in Ecclesia falsa 177 '.
De constitutione charismatiea Ecclesiæ (art. 15) : seni entia adversariorum, 124, facium historicum, 124, error adversariorum, 128 ss.

Chrisman, 6821.
Christus ut caput Ecclesiæ, 66, 72, 370, 754. — Doctrina Christi : viile ad singulas quæstiones.
Chrysoslomus— de primatu, 395, 429 ; 341, 520, 586.
Citationes in S. Scriptura-explicitæ, 547, et tacitae, 551.
Claves, 377, 380.
Clemens VIII —· de auctoritate S. Augustini, 675.
Clemens Alex.. 76, 118, 520.
Clemens Romanus, de institutione Ecclesiæ, 73 ; de membris 92 ; de constitutione hierarchica, 110 ; de visibilitate, 149 ; de unitate, 173 ; de catholicitate, 187; de Sede Romana Petri, 406 : de primatu, 415 s. ; de S. Scriptura, 519.
Clementis, ep. II : 188.
Coactio — potestas coactiva Ecclesiæ, 335, 342 ss.
Codex J. C. : quoad substantiam infallibilis, 321 ; auctoritas theologica, 655.
De doctrina S. Thomæ tenenda, 696, 722 ; de definitionibus dogmaticis, 459, 626 ; de subditis Ecclesiæ, 348 ; de Ordinibus religiosis, 328, et passim.
•*Cœlesïinus I,* 437, 498, 675.
Commissio biblica, 546, 549, 551, 552.
Complexio oppositorum, 185.
Concilia (cap. VII). — Notiones, 488, quomodo Ecclesiam repræsentet, 503, de institutione, 503 ; de convocatione, actione et confirmatione, 492-500 (de convocatione per imperatores, 496s). ; de auctoritate Conciliorum (art. 53) : suprema pollent auctoritate, 492, 501, non supra Papam, 442, 492, 493, 501-503, non datur appellatio a Papa ad Concilium), 492, 503.
De utilitate et necessitate, 505.
De Concilio in casu Papæ dubii 504 et Sede vacante, 504
De infallibilitate, 506.
De conciliis provincialibus, etc., 510.
Decreta Conc. vide ad singulas quæstiones.
Conc. Vatic., vide Vaticanum.
■Conclusiones theologicæ : notio, 629, conclusio explicativa et illativa, 629-631 ; conclusio explicativa definibilis ut dogma ,632, non.vero illativa, 632-636.
Ratio humana capax ad deducendas conclusiones theologicas, 713 ; conclusiones theol. obiectum infallibilitatis, 307, et fidei ecclesiastic», 617.
Confessio, 215. 224.
Congregationes Romanæ, de earum auctoritate et quo assensu decreta doctrinalia sint tenenda, 619-623.
■*Coniunciio* Ecclesiæ et status, 743-748.
Connexa cum revelatis, 302, obiectum infallibilitatis, 303, obiectum fidei ecclesiasticæ, 617.
Conradus de Gelenhusen, 493.
Conscientia, 140.
Consensus unanimis S. Patrum, 665.

Consilia evangelica — observata in Ecclesia catholica, 218.
Constantiense Conc., 442, 493, 502.
Constantinus imp,, de sepulchro Petri, 409.
Controversiae theologicæ : non auferunt unitatem Ecclesiæ, 206 utilitas methodi historicæ ad controversias componendas, 730.
Corpus (et anima) Ecclesiæ, 97.
Credibilia per se et in ordine ad alia, 298.
Credibilitas Ecclesiæ, 3 : cf. fides.
Criteria theologica in theologia historica, 733, 739.
Cultus — unitas requisita in Ecclesia Christi, 172, adest in Ecclesia catholica, 200, vin sanctifica cultus catholici, 214.
Cyprianus —de schismate, 150, de unitate 171, 209. de Ecclesia catholica, 188, de E. apostolica, 196, de necessitate, 272, de primatu, 393, 423-429, de infallibilitate Ecclesiæ Romanæ, 472..
Cyrillus Alex., 398, 474, 508, 668.
Cyrillus Hier., 520.

D

D'Alès A., 423,.426, 427.
Damasus P., 396, 540.
Decreta doctrinalia Ecclesiæ, quo assensu tenenda, 616-623 (episcoporum, 619,. Congregat. Rom., 619, Commiss. bibi. 619). —ı Recentiora decreta infallibilia Rom. Pontii., 653-655.
Definitio (dogmatica) : notio et conditiones, 458, 626 ; signa definitionis dogmaticæ, 626.
De Groot, 23, 50, 162, 163, 296, 315, 359, 568, 576, 672.
Dell A., 385.
Denifle, 253, 690.
Denis Ch., 21.
Didache, 27, 73, 110, 173, 180, 187.
Dinkel, 455.
Diogrlelus, ep. ad D., 762, 181, 188.
Disciplina Ecclesiæ (leges disciplinares) notio, 318, quomodo obiectum infallibilitatis, 319.
Doctrina, quid, 625, doctrina de lide et moribus, 297, 459, vis sanctifica doctrinæ cath., 213.
Doctores Ecclesiæ, notio, 660, approbatio obiectum infallibilitatis, 330, auctoritas theol. doctorum, 660 ss. (art. 71).
Doellinger, 471.
Dogma : notio, 624-627 (art. 68), veritas et immutabilitas. 627,. 643, 646; progressus dogmaticus'(ari. 69) : doctrina catholica, 637, sententiæ erroneæ, 638, necessarius, 639, consistit in successiva propositione et explicatione revelatorum, 642 ss., augmentum quoad explicationem, non vero quoad substantiam, 6 11.
Dogma — obiectum fidei divinæ et catholicæ, 616.
Donatislæ, 184

Dorscli Ae., 23, 83, 161, 462.
Doles Ecclesiæ, 260.
Dublanehy, 354.

E

Ecclesia : vide : Divisio operis. De nomine Ecclesiæ, 26-29, definitio, 142 s., Ecclesia spiritualis, 27, universa, 27, primitivarum, 271, 28. Figuræ et metaphoræ Ecclesiæ, 71 ss., Ecclesia —ı regnum Dei, 38 ss. (art. 6).
Institutio, art. 4-10 ; finis, art. 11 ; membra, art. 12 ; hierarchia, art. 13-16 ; notæ Ecclesiæ, art. 17-28.
Proprietates : societas perfecta, art. 29 ; necessaria, art. 30, indefectibilis, art. 36, infallibilis, art. 32-38.
Potestas, art. 39-41, primatus, art. 42-50.
Ecclesia ut regula fidei, art. 66 s.
Relationes Ecclesiæ, art. 78 s.
Ephraem, 384, 397, 473.
Epiphanius, 398, 474, 584 (de traditione).
Episcopatus (monarchicus) 111-121, 130.
Ernst, 423.
Errores theologici, 687.
Esser, 422, 423.
Eugenius IV, 502.
Euringer, 384.
Eusebius, 408.
Excommunicati, 96.
Explicatio revelationis, 642 ss.
Explicita — implicita revelatio, 300.
Extra Ecclesiam nulla salus, 268 ss.

F

Factum dogmaticum, notio, 313, obiectum infallibilitatis, 315-17'
Febroniani — de potestate status in sacra, 262, 7451 ; de potestate Ecclesiæ, 388, de primatu, 372, 444.
Fides : fides divina et catholica, 607, 613, 614 (obiectum, 616) ; fides ecclesiastica, 614 (obiectum, 617) ; fides explicita — implicita, 207, 644 ; fides et credibilitas, 4 ; res (doctrinæ) fidei et morum, 297, 459, 625.
Progressus fidei, 644 ; fides Ecclesiæ, quomodo visibilis, 153 ; unitas fidei, 168, 171, 199; fides Ecclesiæ Romanæ — norrna Ecclesiæ universalis, 470, 472; fides E. indefectibilis, 471; Ecclesia ædificata super fidem Petri, 471 ; quæstiones fidei per Rom. Pont., flniendæ, 471.
Fides in inquisitione historica, 739.

Finis Ecclesiæ : notiones, 83, — sanctificatio hominum, 82 ss (art. 11).
Foerster, 185, 232.
Fonk, 384.
Forget, 498 s.
Franzelin Card., 5583, 596, 6641.
Frey, 517.
Funk, 499.

G

Galilei, 487.
Gallicanismus, de primatu, 372, 443, 493 ; de infallibilitate R. P., 463, 493 ; de potestate Ecclesiæ, 338 ; de auctoritate Conciliorum, 493 ; de potestate status in res ecclesiasticas, 262, 7451.
Garrigou-Lagrange, de methodo apologetica, 6ss. ; de martyrio, 219 ; 157.
Gelasius, 540, 435, 454.
Gerhardus, 150*.
Gerson, 493, 502.
Gnostici, 193, 515.
Gotti, 164.
Grabmann M., 181, 754, 702.
Granados, 614.
Granina, 331.5
Gregorius M., 521, 476.
Gregorius Naz., 429, 509.
Gregorius Nyss., 394.
Gregorius IX, de usu philosophiæ aristotelicæ, 7211.
Groot : vide De Groot.
Guenther, de infallibilitate, 284, de progressu dogmatico, 639, de traditione, 590.

H

Haeretici, 96, 648.
Hagiographi — causæ instrumentales, 524-529.
Haneberg, 523.
Harnack A., de unitate Eccl. catholicæ, 200 ; de pœnilentia, 215 ; de paucitate martyrum, 2181 ; de Mt 16, 16-19 : 200, 384, 3852 ; de Sede Romana Petrt, 404 ; de infallibilitate R. P. 463 ; de origine dogmatum, 717 ; de vi probativa historiæ, 738; de origine Ecclesiæ, 31, 33, 35, 53, 64 s. ; de regno cœlarum, 43 s. ; de ecclesia Hierosol., 60 ; de opere Pauli, 'O4, 70 ; de ep. ad Diognetum, 76 ; de notione hierarchiæ, 1022, 127 ; de origine episcopatus, 113, 118, 124-132 ; de catholicitate, 185.

Hermeneutica biblica, 559.
Heiler Fr., 352, 185. 232, 3815, 433s.
D'Herbigny, 261, 2434, 243®, 2502, 2751, 4202.
Hierarchia (a. 13-16) : notiones, 101 ; dogma catholicum, 100 errores, 100; institutio divina, 103-123, hierarchia et charismata, 124 (art. 15) ; convenientia hiérarchisé, 134.
Hieronymus, 290, 381, 396, 430, 473, 520, 541, 550.
Hierosolymitana Ecclesia (a. 8), distinctio a synagoga, 57-62.
Historia : de auctoritate historiæ (art. 76), utilitas et necessitas, 728, officium 730, 738.
De methodo historica (art. 77) : notio, 734; officium, 737; decriteriis theologicis servandis, 739, utrum sit apologetica, 738^
Theologia historica, vide : theologia.
Historia in S. Scriptura, 549.
Sensus historicus, 737.
Holden, 543.
Honorius P., 485.
Hormisdas, 436, 476.
Hort, 101 h
Hosius, 264.
Hudal, 242, 250.
Humanistes, 682.
Husitæ, 89, 372.

I - J

Jacome, 522.
Jahn, 524.
Janin R., 228.
Jansenismus, de potestate status in res ecclesiasticas, 262, 7541, de potestate Ecclesiæ, 338, de senilitate Eccl., 277, de obscuratione traditionis, 595, 600 ; de auctoritate Augustini, 676, de auctoritate theologorum, 682.
Ibas, 316.
Ignatius Ant., de hierarchia 74, 114; de Ecclesia catholica, 27, 188 ; de necessitate E., 272 ; de indefectibilitate, 279 ; de infallibilitate, 289, 472; de Sede Romana Petri, 407 ; de primatu, 417-19.
Ignorantia circa veram Ecclesiam, 275.
Implicita revelatio, 300.
Indefectibilitas Eccl. (a. 31), 277-294.
Indifferentismus, 269.
Indulgentiae, 234.
Infallibilitas. — Notiones, 284, 458-462 (art. 32), distinctio a revelatione et inspiratione, 534.
Obiectum primarium — res fidei et morum, 302 ; obiectum secundarium — connexa cum revelatis, 303 (— conclusiones theol., 307-312 ; facta dogmatica, 313-317; leges disciplinares,

318-321, canonizalio, 327, approbatio Doctorum E., 330; revelationes pnvatæ, 332) ; obiectum intermedium — credibilia in ordine ad alia, 304, 562-571 (S. Scriptura).

Subiectum : Ecclesia universalis credens et docens, 294, Romanus Pont. 458 (art. 49-50), Gone, œcumenicum, 506 (art. 54). 4261. Recentiora decreta infallibilia, 653, 321.

Innocentius I, 540.

Inspiratio. —- Existentia inspirationis (art. 55) : dogma cath. 514, errores, 515, argumenta, 516-521, convenientia, 521.

Natura inspirationis (art. 56) ; doctrina catholica, 522, errores, 523, explicatio : Deus auctor principalis, hagiographus instrumentalis, 524-9 ; inspiratio importat communicationem cognitionis divinæ, 529, illuminationem hagiographi, 530, et quidem per modum transeuntis, 530, adeoque cognitionem sub ratione altiori, 531, sive per novam acceptionem, sive saltem per indicium supernaturale, 531, insuper motionem in voluntatem, 530-2, et in facultates executives, 533.

Definitio Leonis XIII, 533 s.

Distinctio inter revelationem, inspirationem et infallibilita; tem, 53 l.

Inspiratio subsequens, mere negativa et concomitans, 523, l'ormalis-materinlis, 534, verbalis, 535.

Institutio divina Ecclesiæ. — Dogma, 31, errores, 31-36, obiectum apologeticæ, 1-5.

Probatur : ex doctrina Christi de regno cœlorum, 38-47 (art. 6), ex præceptis Christi, 48-55 (art. 7), (successiva institutio, ■50), ex Ecclesia Hierosol., 56-62 (art. 8), ex S. Paulo et aliis Apostolis, 63-72 (art. 9), ex testimonio veterum, 73-78 (art. 10), ex præscriptione, 79-81.

Instrumentum : hagiographus, 524-9, potestas instrumentalis, 103, l 16.

Inlerconfessionalismus, 269.

Intolerantia, 276.

Ioa. 21, 15-18 : 387, 466.

loaehim ile Horis, 193, 639.

loannes a S. Thoma, 310, 454, 504, 702.

lose/inismus, de primatu, 372, 444, de potestate status in res ecclesiasticas, 262, 754*.

Irenæus, de institutione Ecclesiæ, 77, de hierarchia, 119, de sanctitate E., 181, de apostolocitate, 195, 234, de necessitate E., 272, de indefectibilitate, 279, de infallibilitate, 289, de Sede Romana Petri, 407, de primatu, 420-2, de infallibilitate, 472, de S. Scriptura, 519, de traditione, 582, 5831, de regula fidei, 609.

lulius I, 432.

luramenlum c. errores Modernistarum infallibilitas, 654 ; 31, 571, 589, 592, 638, 662.

Ius — compatibile cum Ecclesia, 53.

histinus, de Ecclesia et synagoga, 75, de sanctitate, 181.

tusti/icalio — quomodo sit finis Ecclesiæ, 83, non excludit hierarchiam, 138.

K

Knabenbauer, 400.
Kocft *H.,* 423.
Koehler W., 3815.
Koellin, 702.
Krose, 228.
Krueger, 153, 32, 34, 352, 381.

L

Lagrange, 39, 46, 47, 374 ss.
Laicorum regimen in Ecclesia, 141.
« *Lamentabili...* » — decretum infallibile, 654.
Le. 18, 20-21 : 43.
Le. 22, 31 : 386.
Le. V2, 32 : 466.
Lectio privata S. Scripturæ, 571 s.
Lenormant, 544.
Leo M., de primatu, 3743, 3761, 397, 433, 454, 497.
Leo XIII, de fine Ecclesiæ, 55'; de Ecclesia, ut societate adamanda, 87 ; de unitate E., 174 ; de E. ut societate perfecta, 262 ; de necessitate E'., 270 ; de obiecto potestatis E., 349 de inspiratione S. Scripturæ, 533 ; de inarrantia S. S., 544, 550 s. ; de •interpretatione S. S., 570, 571 ; de auctoritate scholasticorum, 691 ; de auctoritate S. Thomæ, 699, 723 ; de veracitate historiæ, 739,; de Ecclesia et statu, 743 s.
Decreta infallibilia, 654.
Lerinus V., v. Vincentius.
Lessius, 523.
Lex mosaica : obligatio, 52 ; observatio ex parte Christi, 52. e\ parte Christianorum primitivorum, 59-62, 202.
Lex nova continet gratiam, 758.
Liberalismus, 262, 269, 338, 652, 682, 745.
Liberius P. — casus L., 484.
Libertas evangelica, 140.
Loci theologici, notio, 605, divisio, 606.
l.oisy, 36, 44, 451, 46, 101, 381.
Loofs, 34.
Lulherus, 682.

M

Mabillon, 729.
Macarius, 165.
Magisterium Ecclesiæ (a. 41) : notio, 359 ; magisterium ordinarium et sollemne, 359, 627 ; dogma, 360 ; errores, 361 ; probatio, 362.

Magisterium Ecclesiæ in interpretanda S. Scriptura, 562-571.
Marel, 455.
Maria, B. V. — relatio ad Ecclesiam, 756.
Marin-Sola, de revelatione virtuali, 269 ; de conclusione theol., 308, 629, 631, 635 ; de lactis dogmaticis, 315 ; de fide ecclesiastica, 6142, 6151, 6181, 622 ; de progressu dogmatico, 637, 647.
Marini, Card., 395.
Marsilius Pat., 262, 337, 372.
Martinus V, 502.
Martyrium, 218, apud protestantes, 255.
Maximus Coni'., 474, 4851.
Mazzella, 313.
Melanchthon, 682.
Medina, 702.
Membra Ecclesiæ (a. 12) : dogma, 90 ; errores, 89. lusti et peccatores, 92 ; medium baptismus, 94 ; Regulæ, 95-97 ; membra re et voto, 274, 268.
Sanctitas membrorum in Ecclesia catholica, 217.
Messianismus ludæorum, 39, 46.
Methodus historica (a. 77), vide : historia, dogmatica, 735, comparativa, 736. Cf. : scholastici, S. Thomas.
Ministerialis quo sensu potestas It. Pont, possit dici ministerialis, 443.
Miracula, pertinent ad notam sanctitatis, 176 ; de miraculis in Ecclesia aliena, 177, 246.
Missae, sacrificium, 224.
Missio extraordinaria, 194.
Modernismus, a Pio X infallibiliter damnatus, 654 — Methodus apologetica, 212 ; de origine Ecclesiæ, 35 ; de regno coelorum, 44-47 ; de necessitate E., 54 ; de hierarchia, 101 ; de potestate E., 338, de magisterio, 361 ; de primatu, 372 ; de inspiratione, 516 ; de traditione, 578, 590 ; de progressu dogmatico, 639 ; de S. Patribus, 661 ; de vi rationis humanæ, 708.
Molinos, 337.
Montaigne, 651.
Montanistæ, 193.
Mt., 16, 15-19 exponitur : 41. 48. 374-385, 455, de interpolatione, 381-5, 4P. .
Mt 28, 18-20 : 48, 287.
Mysteria fidei et ratio, 706, 714.

N

Necessitas Ecclesiæ (societas necessaria, extra Ecclesiam nulla salus — art. 30). Notiones, 268; probatio, 270.
Nestorius, 316.
Neæman, Card., 241, 544.
Nicolaus I, 264, 436, 476.

Normæ catholicæ in theologia historica, 733.
Notae Ecclesiæ (cap. III). — Definitio notæ, 159 ; conditiones, 160 ; usus, 162 (argumentum ex notis, 158) ; numerus, 162 (utrum unio cum Rom. Pont, sit nota, 163), connexio notarum, 197 (utrum sint positivæ, 161).
Dogma catholicum, 158, error protestanticus, 164, sententia schismaticorum, 165.
De quatuor notis, Ecclesiæ Christi promissis, 167-198 : vide unitatem etc.
Quatuor notæ Ecclesiæ catholicæ competunt, 199-241, deficiunt in ecclesiis photianis, 242-250, et in protestantisme. 251-259.

O

Obscuratio traditionis, 440, 595 ss.
Ordines religiosi — approbatio obiectum infallibilitatis, 327.
Optatus, 189.
Origenes, 181, 196, 272, 541, 584, 586, 640.
Orsi, 480.

P

Padanus, 189.
Pœnitentia, vis sanctifica in Ecclesia, 215, 224.
Palmieri A., 732.
Papias, 392,
Pastor Hermæ, 118.
Patres Ecclesiæ (auctoritas PP., art. 71). Notiones, 659, de varia auctoritate PP., 660, doctrina catholica, 661, errores, 661, 676.
Prob. auctoritas PP circa res fidei et morum, 666 ss., in interpretanda S. Scriptura, 563, 570, 663.
Argumentum ex SS. Patribus, 677, regulæ pro usu, 677, reverentia debita, 678.
De auctoritate theol. S. Augustini, 674.
Paulus *Apost.* — De opere Pauli, 64, 70, de constitutione ecclesiarum S. Pauli, 63 ss. — Doctrina S. Pauli quasi ad omnes quæstiones adducitur.
Peccatores, membra Ecclesiæ, 92, 95 ; non obstant notæ sanctitatis, 218, 222.
Peelers P., 246.
Pelagius I, 436, 476.
Péréfixe, 614.
Perfectio Ecclesiæ (= societas perfecta (art. 29).
Notiones, 260, dogma, 261, errores, 262, probatio, 263 ss.
Pesch Ch., 6641, 6861.
Petavius, 596.
« *Petra* », 375, 378.

Petrus, vide : primatus Sepulchrum, 108, Sedes Rornana, 404-411 (art. 46).
Phantasmata in inspiratione, 532.
Philosophia. — Usus philosophia; in theologia, 705-718 (art. 74) : philosophia — ancilla theologiæ, 716; instrumentum, non vero fundamentum theologiæ, 699, 716.
Auctoritas philosophorum, 719 ss. (art. 75); valor phiL aristotelicæ, 720, scholastica;, 721, philosophise moderns, 725.
Physicae res, in S. Scriptura, .548.
Pisanum, Cone., 442.
Pistorienses, 90, 278, 295, 319, 336, 353. 443, 572*.
Pius VI, 443, 444, 682.
Pius VII, 319, 336, 348.
Pius IX, de notis Ecclesiæ, 158 ; de independentia E., 261, 2623 ; de necessitate, 269, 275 ; de potestate, 336, 337, 353 ; de auctoritate Congregationum U., 619; do veritatibus catholicis, 619; de auctoritate Syllabi Pii IX, 652; de auctoritate theologorum, 683; de libertate scientia;, 716.
Pius X, de auctoritate S. Thum®, 697, 722 ; de necessitate theol. positivae, 732, de methodo historica, 733 ; iudicia infallibilia Pii X : 654.
Pius XI, 17, 694, 696, 698.
Polycarpus, 75, 519.
Pontifex Romanus, vide : primatus.
Porlæ inferi, 380.
Potestas Ecclesia (cap. V). —ı Notiones, 333-336. Ecclesiæ competit potestas regiminis, 338 ss., eaque legislativa, 340, iudiciaria, 341, coactiva, 342, etiam per poenas temporales, 342 ss.
Sublectum potestatis —ı baptizati, 348, 749.
Obiectum : directum — res sacræ, 349, indirectum, 349.
Potestas indirecta in fideles circa res temporales, 350-358, nulla supra non baptizatos, 749, licet eos indirecte tangat, 749.
Potestas magisterii, vide : magisterium.
Potestas Rom. Pont., vide : primatus.
Potestas Goncil., vide : concilia.
Potestas Apostolorum : 48, 49, 68, 104-109, 363.
Praedestinati : non soli nec omnes semper membra Ecclesiæ, 91.
Praedicatorum Ordo, 17, 703.
Prxsidere (Eccl. Rom.), 417.
Primatus. — Notiones, 370; relatio primatus ad Christum, 370, primatus et apostolatus, 371.
Primatus Petri : dogma, 369 (explicatur, 370 ss.), errores, 372, probatur, 374-403 (art. 42-46).
Primatus Romani Pontificis : dogma, 441, errores, 142, pio batur, 412-440 ; attributa primatus, 441-456 ; infallibilitus l P., 457-487.
Sedes Romana Petri, 404-411.
Connexio primatus cum Sede Romana, 45.3.
Principalitas Eccl. Rom., 420.

Progressus dogmaticus, vide ; dogma ; in S. Scriptura interpretanda, 566.
Promulgatio decretorum Conciliorum, 500.
Propositio doctrinæ revelatæ, 626, 642.
Protesiantismus : defectus notarum veræ Ecclesiæ Christi, 251 ss. (art. 28).
Doctrina protestantica ad singulas quæstiones refertur.
Proulx G., de traditione, 574, 577.
Puseytæ, 193, 283.

Q

« *Ouahal* », 26, 42. 51.
Quesnel, 90, 184, 277, 5721.

R

Ratio humana in theologia (art. 74) : principia, 706 ; errores, 708 ; ratio valet assequi intelligentiam quandam mysteriorum, 709, 712, argumenta probabilia adducere, 711, deducere conclusiones, 713, solvere obiectiones, 713.
Ecclesia — amica et adiutrix ratipnis, 714.
« *Reformatio* », 254.
Regimen — unitas r. necessaria in Ecclesia, 173, habetur in Eccl. •cath., 200, 203 ; vis sanctifica regiminis Ecclesiæ, 216.
Potestas regiminis E. 333-347 (art. 39).
Regnum Dei — cœlorum — Ecclesia (art. 6) : 38 ss., neque mere spirituale, 43, neque mere eschatologicum, 44-47. Sensus metaphoræ, 72.
Regula fidei — symbolum, 582, 608.
Regula fidei — doctrina Ecclesiæ (art. 66) : dogma, 608, errores, 608, sensus dogmatis, 607, prob. 609 ss.
S. Scriptura — regula remota, non vero sola nec proxima, 585, 608, 610.
De assensu præstando, videsis art. 67-77.
Relationes *Ecclesiæ* (cap. X). — Relatio Ecclesiæ ad societatem civilem (art. 78) : doct. catholica, 743, sententiæ theologorum, 750, errores, 744 ; cooperatio, non vero separatio expetenda, 745 ; qua ratione Ecclesia rebus status utatur, 266 ; qua ratione status sit Ecclesiæ subordinatus, 748.
Relatio Ecclesiæ militantis ad Ecclesiam triumphantem, 753, ad Christum, 754, ad Mariam B. V., 756, ad Spiritum S., 757.
Resch A., 3816.
Revelatio : conceptus catholicus et protest., 611 ; vis obligandi, 582 ; distinctio ab inspiratione et infallibilitate, 534.
Notiones et divisiones, 299 ss.
Revelationes privatæ, 622\ 331.

Itirhe.r (Kicherianismus), 262, 372, 113, 193. 505.
Hohling, 543.
Huville, 156.

S

Sabatier, 33, 44, 60.
Sacramenta — vis sanctifica s. in Ecclesia, ?1 l
Sancti, in Eccl. cath., 217 ; cultus sanctorum, ' .'5
Sanctitas (nota). — Notio, 175, sanctitas ul nola ι·| ni proprietas. 176, error prote^tanticus, 178.
Nota sanctitatis Ecclesiæ Christi promissu, 178 (uri. 20) competit'Ecclesiæ catholicæ, 210-27 (art. 24), delicii npud schismaticos, 245, et protestantes, 252.
Sanctificatio ⊢ tinis Ecclesiæ et quo sensu, 8.3 (art. 9).
Schaezler C., de regula fidei, 612, de auctoritate Augustini, 67 l 6751.
Schanz, 249.
Schell O., 34.
Schell, 21.
Schepens, 384.
Schill, 50.
Schismatici, quomodo membra Ecclesiæ, 96 ; schisma occidentale non obstat unitati Ecclesiæ catholicæ, 204-206.
Schnitzer, 44, 3815.
Schultes : citantur sæpius : Fides implicita; Introductio in historiam dogmatum, De obiecto fidei (Divus Thomas, Piacenza), Circa evolutionem homogeneam dogmatum (1. c., 1925), etc.
Schuetz L., 703.
Schweitzer, 44.
Scriptura Sacra (cap. VIII). Notio, 513. De *existenlia* et *natura* scripturæ inspiratae, vide : inspiratio ; de canone : v. canon S. S. *De veritate* S. Scripturæ (a. 58) ; dogma, 544-6, errores, 543, principia 546, citationes expliril.il), 5 17, implicitae, 551, affectus subiectivus, 548, res physicas, 548, res historicæ, 549.
De *sensu* S. Scr. (a. 59) : divisio sensus. 553, multiplex sensus literalis, 554, de existenlia sensus spiritualis, 555, argumentatio ex sensu Scripturæ, 556.
De versione *Vulgata* (art. 60); dogma, 558 60, de authenticitate Vulgatae, 568-60.
De *interpretatione* S. Scripturæ (art, 61) : authentica (per Ecclesiam), 562-569, scientiflca, 569-571 (rcgiilæ catholicæ, 570), lectio privata, 571-573. Interpretes scholastici, 689.
Sufficientia S. Scriptura), 586; nec sola nec proxima regula fidei, 585, 608, 610; Scriptura ut medium traditionis transmittendae, 589.
Quomodo Scriptura in argumentatione apologetica consideretur, 8-12.
Seeberg, R., 33, 34, 112, 117, l 19.

Seitz a., 423.
Sensus Ecclesiæ, 600, sensus historicus, 7371, sentire cum Ecclesia, 600.
Sententia communis, 6861.
Sichenberger, 384.
Silentium religiosum, 621, 314.
Siricius, 396, 432.
Sixtus III, 475.
Sohm R., 34, 35, 53, 57, 114.
Soto D, 454.
Spacil, 250.
Specht, 430, 432.
Spiritus S. — cor Ecclesiæ, 757.
Spiritualis Ecclesia — societas spiritualis, quo sensu, 86, 152.
Status : relatio inter Ecclesiam et statum, 743-753. (art. 78), vide : relatio : potestas status in res ecclesiasticas, 754.
Straub — de argumentatione apologetica, 11, 15 ; de auctoritate episcoporum, 619; circa decreta Congregat. Rom., 621.
Successio legitima, 194, 195, 240. Rom., Pontif. 235, 236 ; apud protestantes, 258, apud schismaticos, 248.
Summa theologica S. Thomæ, exemplum apologiæ, 71, commendatur ut textus, 703.
Supernaturalis — Ecclesia — societas supernaturalis, 86, 97, 153.
Syllabus Pii IX, utrum infallibilis, 652.
Sylvius, 328.
Synagoga, distinctio ab Ecclesia, 49, 52, 59-62; utrum infallibilis, 292.
.*Szabo* S., 331, 693.

T

Territorium Ecclesiæ, 265.
Tertullianus, 78, 120, 181, 195, 234, 290, 392, 408, 423, 582, 583.
Textus dogmatici, 313.
Theodoretus, 316, 668.
Theodorus Stud., 474.
Theologia : notio, 688 ; theol. positiva — scholastica, 680, theol historica, 735.
Auctoritas theologorum (art 72) : doctrina catholica, 682 errores, 682, probatio 683 ; auctoritas in S Scripturæ interpretatione, 689 ; argumentatio ex auctoritate theologorum. 690.
Connexio theologorum cum Ecclesia — testes doctrinæ Ecclesiæ, 684, 687, 688.
Errores theologorum, 687.
Theologia : usus rationis in theologia (art. 74), vide : ratio.
Theologica historica : officium, 730, 738, mutuum auxilium inter th. historicam et dogmaticam, 731, utilitas et necessitas, 727, 731, imperfectio, 737, theol. hist, apud schol., 7371.
Théologicæ veritates : quo assensu tenendæ, 619.
Theologicæ conclusiones, vide : conclusio.

Thomas Aq Auoimiin . ιι>·.<ιΐ̂..μ ▬ ▁ inmnm (iirt. 73), 693-699. Ouomodo doclilmi II... π it ur'iiilii, (194, præscrip-Iuuu C. .1. ('·., 69(1, Ilnur I'lnmiie 119(1, obloel limes, 699 ss., <lo iurnmeolo <li' doelillln I hmmo Iι u mh Iu 7·>-l, de studio doctrina) 8. Thomui, 7oi 7o3

Doctrina S. Thom®, do iifllelo ·ιρ··Κ ι,· |n |i. do nomine Ecclesia', 28, 29* ; de rogno en<loriim m ,|r pmooslii Domini, 48; de observatione legis mu u|i · . ' All ' di membris Ecclesiæ, 93, 94, 97; de perpel nil nl e pul, lull \pu lului'iim, 1(16, 135-197; definitio Ecc Ιοh Ik , 142, do mnrl vrlo. 'IV. de miraculis extra Ecclesiam, 1.77*, '.'Ki/. de ..... Unir I '. I ; de immutabilitate E, 282; distini liii inter πodlllllli pin (el in ordine ad alia, 298; de c.anonizul limo, I'll. de re\ididlunlbus privatis, 331 ; de occisione liærclicorum, .Id· de imigl·›l ei'lo E, 365 ss. de Christo ut capite Ecclesiio, 371, 7b · - . do prlmill.il, 449 ss., de infallibilitate R. I'., 468 ss. , de mm iilule, 175 hh. ; de fontibus doctrinæ E, 441); de superiori! ni ▮ Il I' imper Concilia, 5(10, 501, 508; de potestale Eci'leslm (In Inlldelos), 749, 751; de Ecclesia ut corpore mystico Christi. 755 . de Spiritu S. ut corde Ecclesiæ, 757.

De inspiratione S. .Scripl une, 529 532 . de cumme, 541 ; de veritate S. Scripturæ, 545 s., 548 551 . de sensu pirituali, 553, 554, 555, 556; de multiplici sensu litorali, 55 I , de interpretatione S. S., 564.

De obiecto formali fidei, 6072, (ill, 612, 63 I ; de conclusionibus theol., 628; de progressu dogmatico, 640, 644-6.

De auctoritate Patrum, 670 ; de usu rationis in theologia, 16, 710, 712, 716, 718 ; quomodo philosophia sit ancilla theologiæ,; '5 · de auctoritate humana, 720 ; sensus historicus Aquinatis, 7371. Di reli<|no possim.

Tolerantia, 276.

Traditio divina (m1. ·› ' 65). Muliones <4 divisiones, 574, dogma, 576, errores, 577.

Existentiii triid., 579, ul foulls dlsllmll revolutionis, 581, et quidem· adlDl|Ulll.l, 585.

Conservatio et I ιiιιιηιιιIηηIο ll In t.i i Icnlu, 588 597 (modin, 588, mutatio excluditur, 590, modus I riiiismlssImilH, 593, pari im explicite, piirtlm linpllello, 594, id»u innIIo, 595 7).

Regulæ discernendi I ικIII Ium· ▮. 598 Ulli

Tritlenlinum linin'., de hleiiiii hin, |ou, de s Scriptum 515, de canone, 538, de Vidgiiln, 558, de Ini erprel ul loue S. Scripturæ, 562, de I rmlllioim, 577, do nuciorllulo 1'idriim, bll'.', 661.

Tubbervillr., 347.

Ttirrccrennila, do imlliili* Il . 169, I781, de i ni lmlli'11 alo, 183; de membris 14., '1119 , do pol esi nl e Imll i ei In I . 15 I do Cone. Consi mit. 443. 50'.'.

U

Uganda, martyres, 255.
Unio ecclesiæ orientalis, 249.
Unitas Ecclesiæ(nota). Definitio, 167 (sec. Protestantes, 169), distinctio inter notam et proprietatem unitatis, 169.
Nota unitatis Ecclesiæ Christi promissa, 170 (art. 19), reperitur in Eccl. catholica, 199 (art. 23), deficit apud schismaticos, 243, et protestantes, 251.

V

Van Espen, 342.
Van Noorl, 256, 334, 410, 536, 591.
Vaticanum Concil., de divina institutione Ecclesiæ, 31 ; de fine E., 82 ; de visibilitate, 146 ; Ecclesia ipsa — motivum credibilitatis, 156 ; de E. ut societate perfecta, 261 ; de indefectibilitate, 278 ; de infallibilitate E., 283, 296, 307 ; de potestate E., 336 ; de primatu, 369, 412 ; de infallibilitate R. P., 457-462 ; de magisterio E., 360 ; de S. Scriptura et inspiratione, 513 ss., 522 ; de canone, 538 ; de interpretatione, 563 ; de traditione, 577 ; de regula fidei, 608 ; quænam fide divina et catholica credenda, 616 ; de notione dogmatis, 624, 632, 635 ; de progressu dogmatico, 637; de auctoritate Patrum, 661; de vi rationis humanæ, 706 713 ; de habitudine Ecclesiæ ad rationem, 714, 716.
Vega A., 268, 559.
Veritas prima, 6072.
Vetero-catholici, 372, 464.
Vincentius Ler., 594, 603, 637, 641, 668.
Visibilitas Ecclesiæ, 145-157 (art. 17). Notio, 146, dogma, 146, errores, 145, prob. 147 ss. Triplex via, 156, Cf. : notæ Eccl.
Voslé J., 261, 63, 543, 547, 549, 5'50, 552.
Vulgata, authentica, 558-561 (art. 60).

W

Weiss A., O. P., 211, 214, 682.
Weiss *J.,* 44.
Wiclefitæ, 89, 372.f
Wilpert, 408.

Z

Zahn, 389.
Zigliara, 15, 159.
Zosimus, 433, 503.

IMPRIMERIE DE L'EST — BESANÇON — 1925

DIVISIO OPERIS

\l·ı Γ I. — De defensione Ecclesiæ catholicæ 1
\it. I. — De obiecto apologeticæ 1
VI. 2.— De methodo apologeticæ 6
X11.3. — De historia et evolutione apologeticæ 18

\pl I' 11 : De causis Ecclesiæ 26
VI, 4.— De nomine Ecclesiæ 26
Sectio i. — *De institutione Ecclesiæ* 30
\i t. 5. — De institutione Ecclesiæ. Sententiæ 30
\ 11.6. — Divina institutio Ecclesiæ probatur ex doctrina de regno cælorum 38
VI, 7. — Divina institutio Ecclesiæ probatur ex voluntate Christi 48
VU 8. — Divina institutio Ecclesiæ probatur ex Ecclesia Apostolorum 56
! VI 9.— Divina institutio Ecclesiæ probatur ex S. Paulo 63
Vt. 10.— Divina institutio Ecclesiæ probatur cx testimoniis veterum 73
Sectio ii. — *De fine Ecclesiæ* 82
VI. 11.— De fine Ecclesiæ 82
Sectio m. — *De membris Ecclesiæ* o 89
Art. 12. — De membris Ecclesiæ 89
Sectio iv. — *De constitutione Ecclesiæ* 99
AH. 13. — Doctrina Ecclesiæ de constitutione hierar- F .«t "ehica et probatio ex S. Scriptura 100
AH. 14. — Constitutio hierarchica Eccl. probatur ex le^Aimonio veterum 110
AH. 15. — De constitutione charismatica Ecclesiarum S. Pauli ..... 1'4
Ai i |6. — De convenientia constitutionis hiérarchie» .. 134

A l'l I III : De notis Ecclesiæ 144
Sectio i. — *De uisibilitale Ecclesiæ* 145
Ar(. 17.— De visibilitate Ecclesiæ 145

Sectio n. — *De nojis in generali*..... 156
Xrl. 18. — De notis in generali. Notiones..... 156
Sectio m. — *De notis in particulari*..... 167
Art. 19..— De nota unitatis..... 167
Art. 20. — De nola sanctitatis..... 175
Art. 21. — De nota catholicitatis..... 183
Art. 22. — De nota apostolicilalis..... 192
Sectio iv. — De *Ecciesia cui nolæ conveniunt*.. 199
Art. 23. — Nota unitatis Ecclesiæ catholicæ competit. 199
Art. 24. — Nota sanctitatis Ecclesiæ catholicæ compepetil..... '210
Art. 25. — Nota catholicitatis Ecclesiæ catholicæ coinpetit..... 228
Art. 26. — Nota apostolicitatis Ecclesiæ catholicæ competit 234
Sectio v. — *De defectu nolarum*..... 242
Art. 27. — De defectu notarum in ecclesiis photianis... 242
Art. 28. — De defectu nolarum in protestaritisino..... 251
CAPUT IV : De perfectione et dotibus Ecclesiæ in ordine societatis 260
Sectio i. — *De perfectione Ecclesiæ*..... 260
Art. 29. — De Ecclesia ut societate perfecta..... 260
Art. 30. — De Ecclesia ut societate necessaria..... 268
Sectio ii. — *De dotibus Ecclesiæ*..... 277
Art. 31. — De indefectibilitate Ecclesiæ..... 277
Art. 32.— Dé infallibilitate Ecclesiæ. Notio et probatio . 283
Art. 33. De obiecto infall, in genere..... ?..... 296
Art. 34. — De infall. Ecclesiæ circa conclusiones theologicas..... 307
Art. 35. — De infall. Ecclesiæ circa facta dogmatica 313
Art. 36. — De infall. Ecclesiæ circa res disciplinares.... 318
Art. 37. — De infall. Ecclesiæ circa canonizafioppm sanctorum.....‹ 322
Art. 38. — De infall. Ecclesiæ circa approbationem ordinum 327
CAPUT V : De potestate Ecclesiæ..... 333
Sectio i. — *De potestate regiminis*..... 333
Art. 39. De potestate regiminis Ecclesiæ in generali . 333
Art. 40. De subiecto, obiecto et amplitudine pot. regiminis..... 348

Sectio ii. — *De polestate magisterii*..... 359
Ari. 41. — Oe magisterio Ecclesiae..... 359

\fi l'VI. De Primatu Romani Pontificis 368
Art. 42: De primatu Petri. Notiones..... 369
Art. 43. — Primatus Petri probatur ex Mt. 16, 16-19 .. 374
Art. 44.— — — ex Le. et Joa..... 386
Art. 45. — Primatus Petri probatur testimonio veterum 391
Art. 46. — De Sede Romana Petri..... 404
Art. 47. — be Romano Pontifice ut successore Petri in primatu..... 412
Art. 48. — De attributisprimatus..... 441
Art. 49. — be infallibilitate Rom. Pont. Notiones et sententiae..... 457
Art. 50. — ProbaturinfallibilitasR. Pont..... 465

API T VII : De Conciliis oecumenicis..... 488
Art. 51. — De conciliis oecumenicis. Notiones..... 488
Art. 52. — De convocatione, celebratione et confirmatione concil. oecum..... 495
Art. 53. — De auctoritate conc. oec..... 501
Art. 54. — De infallibilitate conc. oec..... 506

API T VIII : De fontibus doctrinæ Ecclesiæ..... 512

Sectio i. — *De D. Scriptura*..... 512
Art. 55. — De notione ut txislentia Scripturæinspiratae 513
Art. 56. — De natura inspirationis..... 522
Art. 57. — De canone S. Scripturæ..... 537
Art. 58. — De veritate S. Scripturæ..... 543
Art. 59. — De multiplici sensu S. Scripturæ..... 553
Art. 60. — De veritate et authenticitate Vulgatæ..... 558
Art. 61. — De interpretatione S. Scripturæ..... 562

Sectio n. — *De traditione divina*..... 574
Art. 62. — De existontia traditionis divinæ..... 574
Art. 63. — De traditione, d. ut fonte revelationis..... 581
Art. 64. — De conservatione et transmissionetrad. d. . 588
Art. 65. — De regulis discernendi traditiones..... 598

API T IX : De Ecclesia ut regula fidei..... 605

Sectio i. — *De Ecclesia ut regula fidei*..... 606
Art. 66. — Quo sensu Ecclesiæ doctrina sit regula fidei. 606
Art. 67. — Quo assensu doctrina Ecclesiae tenenda sit . 614

Sectio n. — *De dogmate*..... 624
Art. 68. — De notione dogmatis..... 624
Ari. 69. — De progressu dogmatico..... 637
Art. 70. — De censuris ecclesiasticis..... 648

Sectioni.—I*De auctoritate SS.Palruin et llieolog.* 658 ,
Ari. 71. — De auctoritate ss. Patrum 659
Art. 72. De auctoritate theologorum 680
Art. 73. De auctoritate theol. S. Thomæ 693

Sectio iv. *De auctoritate rationis* 705

Art. 74. I De usu rationis et philosophiæ 705
Art. 75. Do auctoritate philosophorum 719
Art. 76. De auctoritate historiæ 727
Art. 77. I)e methodo historica in theologia 733

CAPI T X : De relationibus Ecclesiæ ad extra Λ 743
Art. 78. — I)e habitudine Ecclesiæ ad societatem civilem 743
Art. 79. — De relatione Ecclesiæ terrestris ad Ecclesiam coelestem 753